


Sum Georgii Sten
delii

MELCHIORIS ZEIDLERI

Philos. & Theol. Doct. ac P. P. in Academia Regiomontanâ, atque hactenus quidem Concionatoris Aulici, nunc autem Pastoris Ecclesiæ Cathedralis

INTRODUCTIO

In

LECTIONEM ARISTOTELIS,

causas aperiens obscuritatis in hoc Philosopho, quoad verba pariter ac res, nec non modum ambo tractandi, & remedia ejus circa singula ista suggerens, cui antehac præmissus

est

PRODROMUS

De

Discrimine librorum Acroamaticorum & Exotericorum,

nunc autem Præfationis loco præmittitur

APOLOGIA

adversus laudati Philosophi Calumniatores.

Sum Christiani Risii
Rast. Prussi.
Difficilia quæ
pulchra!
ao 88. d. 17. Jul.



REGIOMONTI,

Typis & Sumptibus MATTHÆI GILBERTI, 1681.

SERENISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

DN. LUDOVICO,

MARCHIONI BRANDENBURGICO,
BORUSSIÆ, MAGDEBURGI, JULIÆ, CLIVIÆ,
MONTIUM, STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDALORUM, IN SILESIA ITEM, CROSNÆ,
CARNOVIÆQVE, NEC NON BIRSARUM, DUBINCORUM, SLUCIÆ ET KOPYLI

DUCI,

BURGGRABIO NORIBERGENSI,
HALBERSTADII, MINDÆ ET
CAMINI

PRINCIPI,

MARCÆ ET RAVENSBERGÆ

COMITI,

RAVENSTEINI, LAUENBURGI,
BUTOVIÆ, NEVELLÆ INSUPER
ET SEBISIÆ

DOMINO &c. &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

Gratiam à Deo Optimo, Maximo, omnigenamq; prosperitatem!

SERE.

SERENISSIME ac CELSISSIME

MARCHIO,

PRINCEPS AC DOMINE CLEMENTISSIME,

QVem diu desideraveram vel eminus saltem videre, Eum singularis Tua Clementia etiam cominus alloqui concessit, cum Patriam nostram accedens subjectissimæ Academiæ gratulationem ex ore meo gratiosissimè audires atque benignissimo responso dignareris. Vel ipse autem ille primus Tuus aspectus pectus adeò delibutum gaudio reddidit, ut quasi novè, novis viribus instructus, vivere mihi viderer. Quid enim vultus Clementium Principum nisi Sol, ex quo exeuntes radii Clementiæ subditorum fidelium animos mirè movent & excitant, iisq; novas vires sensim & vi quadam occultâ ingerunt, ut tantò alacrius deinceps peragant, quæ ipsis muneris ratione incumbunt? Accedit, quod in Te, CELSISIME PRINCEPS, expressa MAGNI NOSTRI FRIDERICI

relucet imago: cujus Clementiæ jubar nisi me subinde fovisset, jamdudum obrutus variis molestiis, quibus cum continuo confli-ctari hactenus fui coactus, spiritum trahere desiissem. Et sanè non exiguis difficultatibus premebar vel eo ipso quoque tempore, quo adventus Tuus exoptatissimus patriæ denuntiabatur. Incumbebat enim mihi tum munus Rectoratus, humeros ita onerans, ut succumbere ei necesse habuissem, nisi aliunde novæ vires mihi accessissent. Has verò ipsas contulit fulgor ille gratiæ, qui ex facie Tua vi magnâ erumpens sese oculis primùm, atqve hinc & mirê cordi meo insinuârat. Privabar durante adhuc Rectoratu unico filio, quem SERENISSIMUS PARENS ex Baptismo inclyto nomine suo suscipi jusserat, tantâqve gratiâ dehinc adauxerat, ut ejus fotu liberaliter educatus indies majores in virtute pariter & eruditione faceret progressus. Quanto majorem autem spem mihi dederat, tantò gravior erat ejus jactura, quippe in quo

eti-

etiam poſt fata victurum me fueram perſuaſus. Sed neſcio, quomodo etiam mœrorem hunc mitigarit non ſolùm, ſed & ferè omninò disſiparit vis radiorum faciei Tuæ animo meo firmiter impreſſa, præſertim cum non multò poſt, ſub diſceſſum Tuum ex patriâ, Academiæ ſubjectisſimæ copiam faceres Te denuo ſalutandi atq; non ipſam ſolùm, ſed & me ſigillatim gratiæ Tuæ faceres certiorem. Hæc me erigebat labantem, neque permittebat dubitare, fore, ut eâ adjutus & confirmatus poſteritati mei memoriam commendarem libris, quam in liberis mei nominis relinquere mihi fata denegarant. Quâ ſpe fretus è veſtigio ſcripta quædam, Philoſophica pariter & Theologica, jam olim elaborata, hinc autem ferè oblivioni data, ex ſupellectili meorum manuſcriptorum conquiſivi atq; fautoribus requirentibus tradidi, ut, ſi ita viſum foret, in lucem publicam ederentur. Placuit hoc illis, ſed ita ut initium fieret ab Introductione in Ariſtotelis lectionem. Hic enim ipſe eſt,

 quem

quem â Philosophis Studiosæ juventuti in Academiâ hâc nostrâ prælegi & commentariis illustrari ad exemplum tot celebrium Imperatorum Serenissimus Academiæ nostræ Fundator jusserat. Cujus constitutionem etiam hâc in parte confirmavit MAGNUS TUUS PARENS, Incomparabilis ille Heros, cujus memoriam obliterari non permittent secula ulla. Verùm â lectione laudati Philosophi haud paucos non discentium solùm, sed & docentium obscuritas deterret ejus decantata. Inde quamprimum GLORIOSISSIMUS TUUS PARENS provinciam Philosophicam mihi ornandam tradiderat, quod viginti tribus abhinc contigit annis, consilium cepi de inquirendis causis & remediis huic obscuritati opponendis. Nec caruit res successu. Inveni enim obscuritatis causas non paucas, sed nec pauciora remedia, quæ omnia in certum ordinem redegi atque deinceps literis consignavi. Unde natus est præsens hic Liber, quem SERENISSIMO TUO

NO-

NOMINI, ut inſcriberem, res ipſa poſtula-
bat, nempe, ut ſubjectionem meam, quam antehac POTENTISSIMO PARENTI, atque hinc SERENISSIMO FRATRI, ELECTORATUS HÆREDI, inſcriptione aliorum librorum, declaraveram, hoc ipſo erga Tuam quoq; CELSISSIMAM SERENITATEM facerem teſtatam. Quid enim juſtius, quàm ut liber hic in frontiſpicio Ejus nomen præ ſe ferat, cujus Sereniſſimi vultûs virtus fuit vigorem ei novum dare & audaciâ armare in lucem prodeundi, quam cæteroqui aſpicere adhuc formidaſſet. Age ergo, SERENISSIME PRINCEPS, atqve libellum hunc eâ, quâ ſoles, ſerenâ, inquam, ſuſcipe fronte, ac protectioni inſuper MAGNI TUI, & nunquam ſatis laudati PARENTIS una cum ſtudiis Generi, qui & ipſe publicum commodum ut promovere pergat, nullum non movebit lapidem, commenda. Calcar id addet ad majora, in Theologicis præcipuè, tentanda & quamprimum

divul-

divulganda. Interea sospitet Clementissimum Numen magnum istum TUUM Parentem, concedat illi longam vitam, adaugeat vires animi & corporis, omnigenaque benedictione locupletet, ut, quod fert nomen Ejus, & *pace dives* sit, & ut *cupidus*, ita & potens porrò *galeâ* invictæ fortitudinis & prudentiæ omnes suos subditos tueatur. Sospitet & SERENISSIMAM MATREM unà cum SERENISS. FRATRIBUS ac SORORIBUS & TE cum lectissimâ Tuâ LUDOVICA, cujus non minus, ac CELSISSIMORUM ipsius PARENTUM tot in me extant gratiæ singularis documenta, ut ea nunquam satis valeam deprædicare. Estote ambo, bonis omnibus copiosissimè instructi, id, quod vos esse nomen vestrum declarat, nempe *refugium populi* vestri. Vestrum autem refugium sit is, de quo divinus Psaltes: *Sedens* (†) inquit, *in abdito excelsi & commorans sub umbrâ omnipotentis dicit Domino: Tu refugium, tu asylum meum & arx mea, Deo meo nitar.* Sit Deus (††) *Patrum vestrorum vester adjutor, & omnipotens benedicat vobis benedictionibus cœli desuper, & benedictionibus abyssi jacentis infra.* Largiatur Tibi *sapientiam* (†††) *per quam Principes regnant & legum conditores justa decernunt,* atque totam domum ac familiam Brandenburgicam majora indies incrementa sumere atque perpetuâ successione vigere jubeat, quod ut fiat precibus à Summo Numine contendere, quoad vixero, non desinam, quippe

[†] *Psal. XCI, 1, 2.* [††] *Gen. XLIX, 25.* [†††] *Prov. IIX, 15.*

CELSISS. TUÆ SERENITATIS

devotissimus & subjectissimus

MELCHIOR ZEIDLER, D.

PRÆFATIO ad LECTOREM.

SI *quicquam hodie in multorum ore est, certè illud est, quod liberè sit philosophandum. Quod quidem suo modo intellectum verum est. Neq; enim probare possumus eorum consilium, qui ita alicujus placitis se dedunt, ut toti ab eo pendeant & non aliâ de causa pro vero hoc vel illud venditent, nisi quia ab illo profectum est. Sanè ita autoritate alicujus niti ne Dialectici quidem est boni. Rationis enim hic indigus est, hanc quærit, neq; prius exsaturari potest, quàm ejus particeps fuerit factus. Quâ de causa & locus ab auctoritate & testimonio ab Aristotele inter locos Dialecticos non numeratur.* Non *enim* tàm auctores in disputando, quam rationis momenta, quærenda sunt, *ut ait Cicero lib. de nat. Deorum. Quanto minus ergò Philosophum ab auctoritate alicujus pendere fas est, qui pro fine non nisi veritatem habere, inq; ejus investigationem omne studium, omnem laborem & operam conferre debet, ut nihil sibi antiquius, nihil prius veritate esse credat. Ad quod utiq; necessarium est, ut animum habeat liberum ab istiusmodi molestâ servitute solutum. Unde & in Græcis sententiis dicitur,* Ἐλευθέρε γὰρ ἀνδρὸς τἀληθῆ λέγειν, liberi viri esse, vera dicere. *At vix miserabilior servitus est ulla, quàm ea, quam isti serviunt, qui ita se totos alicui mancipant, ut non admittant, præterquam quod ex illius prodiit officinâ. Querebatur servus ille apud Aristophanem, molestum admodum esse stulto Domino servire, causam ejus rei hanc reddens, quod proprij corporis non haberet potestatem:* τοῦ σώματος γὰρ, *inquit,* οὐκ ἐᾷ τὸν κύριον κρατεῖν ὁ δαίμων, ἀλλὰ τὸν ἐωνημένον. *At illi ne mentis quidem potestatem sibi reliquisse videntur, utpote quam unius hominis arbitrio subjecerunt.*

Longè aliam philosophandi rationem tenuerunt jam inde ab initio sapientissimi quiq;, qui considerandæ veritatis causa, etiam propria, nedum aliorum, placita evertere non dubitarunt. ὁ γὰρ

πρός γε τ̃ ἀληθείας τιμητέ૭ ἀνὴρ, *ait Plato in X. de Republ. Inprimis verò notatu digna sunt verba Aristotelis I. Ethic. IV. (VI.) ita scribentis:* Fortasse autem satius est omninoqve oportere videtur, veritatis tuendæ causâ vel nostra ipsorum decreta evertere, cum præsertim Philosophi simus. Nam cum chara utraqve sint *(& veritas, & illi, qui ἰδέας introduxerunt, adversus quos ibi disputat Philosophus,)* sanctum est pluris facere veritatem. *Cur verò hoc? nempe ideò, quia Philosophus est ἐραστὴς τ̃ ἀληθείας, ut iterum loquitur Plato in VI. de Republ. Interim non ita hoc intelligendum est, quasi is, qui philosophatur, ad nullas planè leges sit adstrictus. Veritatem namq; scientificam, quam pro fine habet, qui philosophatur (* Philosophia *enim nihil aliud est, quàm* scientia veritatis *II. Met. c. I.) non ex quibusq; indagare licet principiis v. c. non ex falsis, neq; ex endoxis; (ex illis enim nascitur ignorantia κατ᾽ διάθεσιν, ex his autem opinio,) quin nec ex veris quibusq;. Non enim ex communibus, sed ex propriis; neq; ex nobis, sed naturâ notioribus sive clarioribus; neq; ex iis, quæ à causis pendent, sed ex causis ipsis. Ex talibus enim constat demonstratio: scientia autem nihil aliud est, quam* ἕξις ἀποδεικτικὴ, habitus per demonstrationem acquisitus. *I. Post. Analyt. II. VI. Ethic. cap. III. Istiusmodi principia quisquis fundamenti loco non ponit, is veritatis scientiam nunquam consequetur & quod inde infertur, nec philosophari dicendus erit. Porrò principia illa ut quis intelligat, experientiâ opus habet. Hæc enim medium est, per quod pervenitur ad principiorum notitiam, I. Prior. XXX. §. 3. & II. Post. cap. ult. Quæ & causa est cur Diodorus Siculus lib. I. Bibl. c. II. historiam dicat esse quasi* metropolin *totius* Philosophiæ. *Cui consentit etiam Plutarchus, qui historiam ait* ὕλην *esse* τῆς φιλοσοφίας, *lib. de Oracul. defectu. Ut enim forma materiâ nituntur: Sic Philosophia nititur principiis per historiam aut experientiam collectis. Ex quo simul colligitur, ne sic quidem philosophari liberum esse, ut eorum, quæ à veteribus observata & posteritati*

ritati tradita sunt, nulla omninò ratio habeatur. Non enim unius hominis, imò ne unius quidem seculi est, experientiam omnium sumere. Diuturnum admodum ad id requiritur tempus, quod ideò veritatis Patrem non invenustè Romani appellarunt. Nam, ut Græca habet sententia, ἄγει δὲ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος, In lucem veritatem protrahit tempus. *Unde & Simonides, interrogatus, quidnam* sapientissimum *esset*, tempus *respondit. Tempore enim acquiritur hominibus sapientia. Et Aristoteles I. Ethic. c. VII. nullam artem,* inquit, *simul inventam & absolutam esse, sed omnes à tenuibus profectas principiis paulatim ad perfectionem suam pervenisse. Quod repetit & II. Sophist. cap. ult. Habetq; in eandem sententiam & egregia aliqua Maximus Tyrius, Philosophus Platonicus, dissert. XL. ubi & exemplis hoc ipsum illustrat,* videlicet *exemplo artis nauticæ, medicæ, architecturæ, aliarumqve similium.* Sic unum quidqvid paulatim protulit ætas in medium, ratioqve in luminis eruit oras. Nam aliud ex alio clarescere corde videbant Artibus, ad summum donec venere cacumen, *sicuti canit Lucretius lib. V. extremo. Falluntur ergò & sua se suspectos temeritatis reddunt, qui rejectis antiquæ Philosophiæ auctoribus suopte Marte & ingenio novam quandam Philosophiam formare & exstruere conantur, non minus explodendi, quàm qui repudiatis antiquorum Medicorum præceptis novam medendi artem ex proprio cerebro exsculpere tentant, aut spretis Elementis Euclidis novam quandam Geometriam vel Arithmeticam elaborare præsumunt. Longè deteriores hi sunt, quàm illi, qui se uni alicui antiqvo probatoq; auctori addicunt. Hi enim doctum aliquem & magnum Philosophum, plurimisq; seculis & judiciis celebrem seqvuntur, ejusq; placitis assensum suum præbent, ex quo fit, ut rarò à veritate aberrent; quia opinio, quam multi de aliquo habent, sine ratione non est, & plures difficilius decipiuntur. At illi, qui reliquos alto supercilio contemnunt, seq; ad omnia exquirenda sibi ipsis sufficien-*

tes esse persvadent, velut effrenes & præcipites in multos eosq; intolerabiles labuntur errores & secum alios perdunt. Relinquimus itaq; liberum quidem scientificam rerum Philosophicarum veritatem investigantibus, judicium; ast non omnibus, verùm iis solùm, quibus sapientiæ oculus apertus est, qui exactis aliqvòt silentiorum annis veterum Philosophorum scripta legerunt, relegerunt & ex iis experientiam ac maturum solidumq; judiciũ sibi compararunt, quod ferè tum demum florescere incipit, cum deflorescit corpus, sicut Plato alicubi ait, qui & beatum hac de causa prædicat, cui vel in extrema senectute verum pervidere contingit. Unde & Aristoteles non nisi post mediam jam ætatem & propemodum post septimum septenarium, quem in Rhetoricis judicio vendicat, & cum viginti jam annos Platonem audivisset, ejusqve dogmata & fundamenta velut in numerato haberet, ab eo dissentire cœpit. Ut enim sine pennis, qvod est in proverbio, volare facile non est: sic nec facile est judicare de rebus abstrusis, si quis mediis & adminiculis ad certum solidumq; judicium requisitis non sit instructus. Benè Sextus Empiricus Lib. I. Pyrrh. Hypot. cap. XIV. corpus nostrum vocat τύπον quendam animi, indicans hoc ipso, qvod ex corporis conditionibus commodè nobis progredi liceat ad animæ conditiones. Cuiqve enim materiæ sua forma respondet. Quemadmodum *ergò, sunt verba Themistij*, parvuli qvoad corpus primum sic jacent, ut flectere se ac ingredi non possint, deinde quadrupedes reptant, tum demũ erigunt se, manuductore tamen ad progressum adhuc indigent, tandem & eo neglecto procedunt suapte virtute & ad extremum etiam cursui se aptant: Ita animus primum in tenebris sine viribus jacet, inde primum in umbram Dialecticam progreditur, hinc porrò in lucem Philosophicam procedit, adjutus tamen à manuductoribus donec tandem judicii robore firmatus quò vult, tendat, qvod non assequeretur, si bonos auctores, ceu manuductores, respueret & aspernaretur. *Ut enim pueri si manum ducentis*

tis rejiciant; sæpè offendunt, sæpius vacillant, sæpissimè labuntur: sic miserè titubare & in veritatem sæpius impingere necesse habent, qui probatissimos auctores, quibus velut ducibus uti oportebat, susqve deqve habent. Qvod ipsum & volatilibus qvibusdam ingeniis accidit, qvi auctores quidem bonos non contemnunt, nolunt tamen certis qvibusdam ac probatæ auctoritatis Philosophis addici, sed potius vagabundo volatu per omnium auctorum scripta feruntur, eorum more, qui desertâ regiâ viâ ad omnes, qvas offendunt, semitas digrediuntur. Quod qvidem non eo dicimus animo, qvasi omninò improbemus ἐκλεκτικὴν *illam philosophandi rationem, qvam Potamonem Alexandrinum introduxisse auctor est Diogenes Laërtius in Præfat. Ita autem vocat eum philosophandi modum, quo ex qualibet sectâ optima qvæq; seliguntur, omnium sapientum placita ad veritatis trutinam expenduntur, & hæc sola, cæteris posthabitis, in usum reconduntur. Talem philosophandi rationem, inqvimus, nos simpliciter non improbamus. Quis enim etiam ex vetustis sapientibus ita omne verum perspexit, ut ab omnis erroris labe prorsus sit immunis, aut saltem errare non potuerit? Non ergo tàm videndum est, quid aliqvis dicat, sed potius qvam benè qvis dicat, sicut Plato in Charmide ait:* Πάντως οὐ τοῦτο σκεπτέον, ὅστις αὐτὸ εἶπεν, ἀλλὰ πότερον ἀληθὲς λέγεται, ἢ οὔ, Omnino, ne qvis dixerit, sed qvàm recte dixerit, considerandum. *Unde & qvamprimum hoc philosophandi genus à Potamone inductum esset, præstantissimi qviq; magno numero amplexi illud fuerunt, qvibus non immeritò annumeramus & Clementem Alexandrinum, cujus ista sunt satis nota ex I. Strom:* Φιλοσοφίαν δὲ οὐ τὴν Στωϊκὴν λέγω, οὐδὲ τὴν Πλατωνικὴν, ἢ τὴν Ἐπικούρειόν τε καὶ Ἀριστοτελικήν· ἀλλ' ὅσα εἴρηται παρ' ἑκάστῃ τῶν αἱρέσεων τούτων καλῶς, δικαιοσύνην μετ' εὐσεβοῦς ἐπιστήμης ἐκδιδάσκοντα, τοῦτο σύμπαν τὸ ἐκλεκτικὸν φιλοσοφίαν φημί, Philosophiam non dico Stoicam, nec Platonicam, aut Epicuream & Aristotelicam, sed qvæcunqve ab his sectis rectè

dicta ſunt, qvæ docent juſtitiam cum pia ſcientiâ, hoc totum ſelectum dico Philoſophiam. *Laudat hoc philoſophandi genus & Lactantius II. Inſtit. Divin c. VII. Verùm qvivis facilè intelligit, ad hoc ipſum qvoq; conſummatum & exactum reqviri judicium, qvod cum in juvenibus in ipſa ſtudiorum incude adhuc poſitis per ætatem dari non poſſit, nunqvam ſibi rectius illi conſulent, qvàm ſi à principio ſaluberrimum illud Senecæ conſilium ſeqvantur, quod ipſis ſuggerit l. Epiſt. II. Verba ejus ita habent:* Illud vide, ne lectio multorum auctorum & omnis generis voluminum habeat aliqvid vagum & inſtabile. Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, ſi velis aliqvid trahere, qvod in animo fideliter ſedeat. Nusqvam eſt, qvi ubiqve eſt. In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hoſpitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat neceſſe eſt iis, qvi nullius ſe ingenio familiariter applicant, ſed omnia curſim & properantes transmittunt. Non prodeſt cibus, nec corpori accedit, qvi ſtatim ſumtus emittitur. Nihil æqvè ſanitatem impedit, qvàm remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in qvo cerebro medicamenta tentantur. Non convaleſcit planta, qvæ ſæpè transfertur: nihil tam utile eſt, qvod in tranſitu proſit. Diſtrahit animum librorum multitudo. Itaqve cum legere non poſſis, qvantum habueris, ſat eſt habere qvantum legas. -- Faſtidientis ſtomachi eſt, multa deguſtare: qvæ, ubi varia ſunt & diverſa, inqvinant, non alunt. Probatos itaqve ſemper lege, & ſi qvando ad alios divertere libuerit, ad priores redi. *Et Epiſt. XLV, qvæ eſt prima libri VI:* Non refert quàm multos (*libros*) ſed qvàm bonos habeas. Lectio certa prodeſt, varia delectat. Qui qvò deſtinavit, pervenire vult, unam ſeqvatur viam, non per multas vagetur. Non ire iſtud, ſed errare eſt. *Similia his habet Polybius lib. III, ubi inter cætera illos, qvi omnium ſcripta pereptant, comparat* τοῖς λίχνοις τῶν δειπνητῶν, catillonibus & guloſis con-

vivis

vivis, qvi appositos cibos variè & carptim delibantes, neqve in præsentia voluptatem solidam, neq; fructum aut alimoniam imposterum ferunt. *Videri potest & Arrianus Dissert. I. cap. XXVI. Optimum ergò est, ut juvenis, qvi animum ad Philosophiam applicuit, uni primum auctori se addicat: sed cautionem eum adhibere oportet, ut non quemvis promiscuè, sed probatissimum aliqvem, qvod monebat Seneca, manductorem eligat & seqvatur. Alias facilè fieri potest, ut in talem incidat ductorem, ex quo inutilia & falsa hauriat, qvibus duplo stolidior reddatur & longè difficiliorem sibi faciat viam, qvæ ad veram Philosophiam ducit. Vt enim ad hujus secreta perveniat, oportebit eum prius falsa ista, qvæ addidicit, dediscere.* τὸ μεταμανθάνειν, *dediscere autem longè difficilius est, qvàm* μανθάνειν ἐξ ἀρχῆς, discere à principio *IV. Polit. c. I. Vnde & Plato ignorantiam secundum pravam dispositionem, qvæ contrariè scientiæ veritatis opponitur, vocat* διπλῆν ἄγνοιαν, duplicem ignorantiam, *in libris de Legibus. Et Musicus qvidam Timotheus duplicem ab illis fertur* ,, *postulasse mercedem, qvi alio ante usi Magistro fuissent, qvod in dedocendo etiam aliqvid laboris ei suscipiendum esset. Ab initio ergò statim qvi operam suam rectè collocare vult in evolvendis auctorum scriptis, optimum aliquem & probatissimum, ut diximus, deligere debet, quem sæpe relegendo in succum qvasi & sangvinem convertat suum. Jam autem inter optimos & præstantissimos princeps penè ab omnibus, iisq; sapientissimis viris, per tot secula habitus fuit Aristoteles. Tantum enim fuit hujus ingenium, tantaq; doctrina, ut ab Ammonio* τὰ ἀνθρώπινα μέτρα, humanos terminos excessisse, *à Cyrillo Alexandrino autem lib. I. in Julianum,* πλείστην καὶ ἔξω θαύματος ὡς βασάνοις ἐντείνων τὴν δεινωσιν, *h.e.* summum ac miraculo proximum ad expendendas & dijudicandas opiniones acumen habuisse dicatur. *Hieronymus quoq; eum* finem humani intellectus *appellare non dubitat I. adv. Jovinian. Arnobius III. adv. gentes* virum ingenio

præ-

præpotentem atqve doctrinâ præcipuum *vocat.* *Plinius* summum in omni scientiâ virum. *Lib.VIII.c.XVI. & lib.XVIII.cap. XXXIV*, virum immensum subtilitatis. *Sed & Laërtius de eodem:* ἐν τοῖς φυσικοῖς αἰτιολογικώτατος πάντων ἐγένετο, ὥστε καὶ περὶ τῶν ἐλαχίστων ἀποδιδόναι τὰς αἰτίας, In naturalibus omnium maximè rationes reddidit, etiam ad res usqve minimas. *Deniqve Macrobius non veritus est dicere,* nihil tantum virum ignorare potuisse. *Et Averroës in Proëmio Physico ait*, nullum errorem in ejus scriptis ad illud tempus, qvod est mille & qvingentorum annorum fuisse deprehensum, talemqve virtutem in uno reperiri individuo, miraculosum potius esse, quàm humanum, imò esse velut exemplar perfectionis in intellectu humano. *Quicqvid sit, id certum est, saltem apud eos, qvi sine affectibus judicant, nullum extitisse ex priscis Philosophis, qui cum hoc possit comparari. Nam & principiis utitur certissimis pariter & evidentissimis, & ex iis accuratissimas demonstrationes Mathematicorum more nectit, cum alii pleriq; methodo ad scientias tradendas parùm accommodatâ usi fuisse deprehendantur. Alij enim Philosophiam suam complexi fuerunt Dialogis, ut Plato; alij carminibus, ut Empedocles & Lucretius; alij per exempla eam expresserunt, ut Xenoph n Politicam in institutione Cyri; alij fabulis ad id usi sunt, velut Æsopus & plures; Ast hi omnes à rectâ methodo deviarunt. Dialogi namq; accommodati qvidem sunt Dialectico, at minimè Doctori scientifico, qvod vel ex definitione Dialogi potest constare. Est enim his nihil aliud, qvàm* λόγος ἐξ ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως συγκείμενος, oratio ex interrogatione & responsione composita, *sicut eum describit Laërtius ex sententia ipsius Platonis. At Doctor scientificus, qvà talis, non interrogat, sed sumit, sive ponit, principia, & ex iis eam contradictionis partem, qvæ vera est, concludit VIII. Topic. cap. I. §. 1. I. Post. XII. §. 8. Unde & propositio demonstrativa definitur sumtio alterius partis contradictionis*

I. Prior.

I.Prior.I.§.6. *Finis quoq; Dialogi idem declarat. Hic enim alius non est, nisi hic, ut qui inter se mutuo colloquuntur, sententiam quam quisq; de re aliquâ, mente concepit, alteri probabilem reddat: at hic ipse Dialecticæ est finis. Exempla porrò sunt instrumenta, quibus Rhetor utitur ad fidem faciendam,* I.Rhet.c.II. *ad scientiam autem producendam planè sunt inepta. Quod magis adhuc de carminibus & fabulis est dicendum. Hæc enim inventa sunt, ob rudiora & crassa ingenia, quæ cum demonstrationes percipere & flecti iis neqveant, fabulis, similitudinibus, harmoniis & rhythmis movendi sunt, ut hoc vel illud agant, quale quidem persvadendi genus ad Poëticam pertinet, & cum didascalico neutiquam confundi debet. Aristoteles ergo hoc expendens aliam viam ingressus est, &, cum videret solam illam methodum, quâ Mathematici utebantur, ad scientiam tradendam aptam esse, horum vestigiis institit, eademq; methodo Philosophiam scriptam posteritati reliquit. Quam ob causam* demonstrationibus ejus, *ut ait Simplicius*, tanta ineſt persvadendi vis, quæ necessariò cogat, ut si qvis detrectet illi assentiri, propter opinionem aliquam non satis felicem & idoneam, quæ animum illius occupaverit, cogatur tamen obmutescere, nec hiscere audeat. *Quam sententiam & Macrobius comprobat. Dicit enim VII. Saturn.* Non possum non assentiri Aristoteli à cujus inventis nec ipsa natura dissentit. *Denique Galenus ipse, licet Aristoteli interdum minus fuerit æquus, fatetur tamen disertè lib. II. de decretis Hippocratis & Platonis, nullam Philosophorum sectam* magis esse constantem ac certam, *ac* magis suis principiis consentanea dicere, quàm eam cujus Princeps Aristoteles fuit. *Sed ut nemo tantæ virtutis est, qui non obtrectatores suos atqve osores habeat, ita nec Aristoteli tales defuerunt, neque adhuc desunt, qui varia comminiscuntur, quibus gloriam tanto Philosopho debitam adimere conantur.* Primò, *inqviunt, rationes nullæ sunt, quibus secta Aristotelis videri possit præferenda. Non suadet*

det id, ajunt, religio. *Ethnicus enim, non Christianus fuit, adeoq́ tantò minus docere veritatem potuit, quanto magis à veri Numinis, quæ prima est veritas, abfuit cognitione. Verùm hoc parum stringit. Ad Philosophiam enim parum interest, sitne aliquis Christianus, an non: cum Philosophus, quâ talis, solâ experientiâ, & ratione nitatur, Christianus autem lumine revelationis, quod cum naturæ lumine neutiquam debet commisceri. Sanè promisit Christus discipulis suis* Spiritum veritatis, *qui* ducturus eos esset in omnem veritatem *Joh. XVII, 13. Verum non in omnem veritatem simpliciter, ut somniabant olim aliqui ex Manichæis, sed veritatem doctrinæ cœlestis, sive* in omnem veritatem saluti necessariam, *ut rectè exponit Glossa ordinaria, non in veritatem Geometricam, aut Arithmeticam vel Physicam.* Non dixit Dominus: Mitto vobis Paracletum, qui vos doceat de cursu Solis & Lunæ: Christianos enim facere volebat, non Mathematicos, *ait Augustinus lib. 1. de actis cum Felice Manichæo cap. X. Quid multa? Si ad scientiam Philosophicam multum referret, Christianum esse, jam quivis rusticus magis idoneus esset ad veritatem Philosophicam docendam, quàm Socrates, Plato, Aristoteles, deniq́ omnium gentilium Philosophorum corona; sed fortè & magis aptus ad Architectonicam tradendam, quàm Vitruvius; ad pingendum magis, quam Zeuxis & Apelles & sic deinceps. Ut quis scientiam Theologicarum rerum consequatur, fides requiritur.* Intellectui enim fides aditum aperit, infidelitas claudit, *inquit Augustinus Epist. III. ad Volusianum, & Tract. XXIX. in Joh. VII.* Si non intellexisti, *ait*, crede: Intellectus enim merces est fidei. Ergò noli quærere, intelligere, ut credas: Sed crede, ut intelligas. *Consentiunt alij, velut Clemens Alexandrinus, qui II. Stromatum* scientiam *vocat* filiam fidei, *& Cyrillus Alexandrinus l. V. in Esaiam, qui* fidem *appellat* radicem ac nutricem cognitionis. *At alia est ratio cognitionis rerum Philosophicarum, quæ non fide, sed experientiâ & demon-*

stratione comparatur. Sed tamen, pergunt, jussu Pythiæ, à Dæmone sine dubio correptus, philosophari cœpit, & insignis *præterea* Idololatra *extitit. Verum prius illud iterum leve est. Quid enim inde, quod Aristoteles jussu Pythia cœperit philosophari, colligitur. Fortassis hoc, ergò Aristoteles non fuit bonus Philosophus? Mirum autem, nisi & hoc, ergò philosophari per se bonum non est, quia Pythia jussu à dæmone acta id suscepit Aristoteles? sed quem Christianorum latet, Deum etiam à Dæmonibus, nonnunquam permittere, ut aliquid fiat, quod tamen ipse pro bonitate suâ ad optimum dirigit finem? Quod autem secundo loco dicebâtur, Aristotelem insignem fuisse idololatram, id primo nondum sufficienter est probatum. Quis idololatra sit notum est, nempe is, qui cultum soli Deo debitum ei exhibet, quod Deus non est.* Idololatria, *inquit Tertullianus lib. de Idololatria, cap. 1.* Deo fraudem facit, honores illi suos denegans & conferens aliis, ut fraudi etiam contumeliam conjungat. *Non aliter Cyprianus ad Fortunatum in Exhortatione ad Martyrium:* Tunc idololatria committitur, cum divinus honor alteri datur. *Gregorius Nazianzenus quoqve, ut alios prætereamus, Oratione Panegyricâ in natalem Christi idololatriam dicit* μετάθεσιν τῆς προσκυνήσεως ἀπὸ τοῦ πεποιηκότος ἐπὶ τὰ κτίσματα, cultum atqve adorationis translationem à Creatore ad Creaturam. *Quibus per omnia similia habet Hilarius Diaconus Romanus in c. V. epist. ad Ephesios, ita scribens:* Idololatria Dei honorem usurpat & vindicat Creaturæ. *Hoc autem fecisse Aristotelem nondum satis est demonstratum. Ex opposito autem, pietatem ejus in verum Deum, primã rerum omniũ causam, quis ex eo non deduceret posset, quod extrema sibi ingruere præsentiens, dolore ac spe in lachrymas profusus hujus misericordiam intentius implorasse legatur. Memorat id ex antiquis monumentis Ludovicus Cœlius Rhodiginus lib. XVII. Antiquarum lectionum cap. XXXIV. Ubi & hoc addit,* eum Homeri sententiam ex Odyssea vehementer approbasse,

quâ non indecorum esse diis immortalibus pronunciavit, hominis induere naturam, quo ab erroribus sevocarentur mortales. Qvâ in re Christi eum præsensisse adventum augurantur nonnulli. *Ubi locorum apud Homerum extet ista sententia, non innuit Cœlius. Verisimile interim est, eum digitum intendisse ad ista Alcinoi verba ex Odyss. II:*

> Εἰ δέ τις ἀθανάτων γε κατ' οὐρανοῦ ἐκλήλυθεν,
> Ἄλλο τοί δὴ τόδ' ἔπειτα θεοὶ περιμηχανόωνται,
> Quod si qvis immortalium utiqve de cœlo venerit
> Aliud quippiam hoc deinceps dii meditantur.

His enim versibus innuit, Deum ad homines descendere posse, magno cum mortalium commodo & emolumento. Scribitur *tamen, inquiunt,* impietatis accusatus, quod Hermiæ Eunucho veluti Deo pæana cecinisset. *Verùm si accusasse sufficit, quis innocens erit? Sanè Socrati calumniatores vel hanc impietatis notam inurere fuêre annisi, quod nullum omninò Deum esse crederet, quod tamen ipsi nunquam venerat in mentem. Neq; enim dicebat nullos esse Deos, sed tantùm, esse supremum quendam Deum æternum, immensum, multo superiorem ac potentiorem iis omnibus, qui tùm pro Diis publice colebantur. De Diagorâ quoqve Melio, Theodoro Cyrenaico, itemq; de Euemero Agrigentino pleriq; quasi de hominibus extremè impiis & atheis loqvuntur. At Clemens Alexandrinus mirari se hoc scribit, quod viri hi modestè & frugaliter vixerint, & hoc ipso ad veram pietatem propius accesserint, quàm cæteri, quod etsi veri Dei cognitionem consecuti non essent, eos tamen, qui colerentur à popularibus suis, Deos non esse intellexerint. Verba pii ac eruditi Scriporis hæc sunt:* Θαυμάζειν ἔπεισί μοι, ὅτῳ τρόπῳ Εὐήμερον τὸν Ἀκραγαντῖνον, καὶ Νικάνορα τὸν Κύπριον, καὶ Διαγόραν, καὶ Ἵππωνα τὸν Μήλιον, τόν τε Κυρηναῖον ἐπὶ τούτοις ἐκεῖνον, ὁ θεόδωρος ὄνομα αὐτῷ, καὶ τινας ἄλλους συχνοὺς, σωφρόνως, βεβιωκότας, καὶ καθεωρακότας ὀξύτερόν που τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων, τὴν ἀμφὶ τοὺς θεοὺς τούτους πλάνην, ἀθέους ἐπικεκλήκασιν, εἰ καὶ τὴν ἀλήθειαν αὐτὴν μὴ νενοηκότας, ἀλλὰ

τὴν

τὴν πλάνην γε ὑπονενοηκότας ὅπερ οὐ σμικρὸν εἰς ἀληθείας φρονήσεως ζώπυρον ἀναφύεται σπέρμα, Mirari ſubit, quonam modo Evemerum Agrigentinum, & Nicanorem Cyprium, & Diagoram, & Hipponem Melium, & illum poſt hos Cyrenæum, cui nomen erat Theodorus, & multos alios, qui moderatè ac continenter vixerunt, & reliquis hominibus acrius hunc de Diis errorem perſpexerunt, impios & atheos cognominarunt etiamſi veritatem ipſam non perſpexerunt, ſed errorem quidem certè ſuſpicati ſunt, quod quidem non parvum exoritur ſemen ad excitandam ſcintillam intelligentiæ veritatis. *Ex quibus conſtat in conſuetudine illis temporibus fuiſſe poſitum, ut viri eruditi, ab aliis impietatis & ἀθεότητος poſtularentur. Quid ergò mirum, ſi Ariſtoteli idem acciderit, eoq; fine varia adverſus ipſum fuerint conficta? ſed quodnam tandem, accuſationis iſtius fundamentum fuit? Primum hoc erat, quod in* Hermiam, qui eſſet mortalis, tanquam in Deum, Pæana condidiſſet eique ſacrificaſſet. *At & hoc leve eſt. Duo enim erant antiquitus, paanis genera, alterum quô pro victoriâ Diis gratulabantur cum acclamatione ἰὴ παιὰν; alterum quo laudes celebrabant ſine acclamatione, quod genus non Diis ſolum, ſed & viris fortibus fuit datum. Nam & in Lyſandrum Lacedæmonium Paana ſcriptum eſſe conſtat decantatum olim publicè in Samo, itemq; in Craterum Macedonem decantatum Delphis; admodulante Lyra puello impubere. At hujusmodi fuit Paan ille Ariſtotelis in Hermiam Atarnenſem. Extat ille apud Diogenem Laërtium in vitâ Ariſtotelis, in quo quid jure reprehendi poſſit nondum videmus. Totus enim in laudem virtutis directus eſt, quam principio elegantiſſimè deſcribit partim ab adjunctis, quod magno labore mortalium generi conſtet, quod ſit pulcherrima fera ac virgo vel morte, nedum laboribus redimenda, partim ex effectis, quod fructum inſerat animis hominum planè immortalem & auro præſtantiorem, quin parentibus ipſis, ſomnoq; dulciſſimo. Deinde ſubjicit exempla heroum, qui ob virtutem*

7
14.

tutem comparandam partim improbos labores sustinuerint, partim etiam mortem appetierint, quales fuere Hercules, Castor & Pollux, Achilles, Ajax, quibus tandem addit Atarneæ alumnum, ipsum videlicet Hermiam Aristotelis Mæcenatem, cujus hospitalitatem Musæ ceu immortales vel Mnemosynes filiæ perpetuò sint celebraturæ. Hæc est summa istius carminis, quo suæ erga Hermiam gratitudinis illustre specimen edidit, quid in eo impietatis? Quod autem sacrificarit Hermiæ, ab accusatoribus ejus neqviter confictum fuit. Ipseq; hanc calumniam satis retudit in Apologiâ suâ, ex qua Athenæus lib. ult. hæc citat verba: Οὐ γὰρ ἄν ποτε, Ἑρμίᾳ θύειν, ὡς ἀθανάτῳ προαιρούμενος, ὡς θνητῷ μνῆμα κατεσκεύαζον, καὶ ἀθανατίζειν τὴν φύσιν βουλόμενος, ἐπιταφίοις ἂν τιμαῖς ἐκοσμήσουν, Si Hermiæ sacrificare ut immortali statuissem, veluti mortali sepulchrum minimè struxissem: neqve si naturam immortalitate donare voluissem, honoribus sepulchralibus ea ornata esset. *Sed & Pythiadi, pergunt*, Uxori suæ, Hermiæ sororis nativæ, filiæ autem adoptivæ sacra traditur fecisse? *Refert id, fatemur, Diogenes Laërtius ex Aristipp. Lib. 1. de antiquis deliciis, Ast quis primus hujus fabulæ autor? Aristocles apud Eusebium XV. de præparat. Evangel. Lyconem quendam fuisse tradit, quem, quod talia Aristoteli objecisset, quæ nemo facilè crediturus esset, stolidissimum inter calumniatores ejus non dubitat affirmare. Postquam enim varia ab aliis ei falsò objecta produxisset, addit:* πάντα δ᾽ ὑπερπαλαίει μωρίᾳ τὰ ὑπὸ Λύκωνος εἰρημένα, τοῦ λέγοντος εἶναι πυθαγορικὸν ἑαυτόν· φησὶ γὰρ θύειν Ἀριστοτέλη θυσίαν τετελευτηκυίᾳ γυναικὶ τοιαύτην ὁποίαν Ἀθηναῖοι τῇ Δήμητρι, Stultissimum, *inquit*, omnium est, quod dictum est ab eo Lycone, qui se Pythagoricum esse profitetur. Ait enim Aristotelem sacra fecisse suæ Uxori mortuæ cujusmodi Athenienses Cereri faciunt. *Hæc Lycon ille, insignis Aristotelis Calumniator, quem ejusq; similes, qvod illi magis audiant, quam alios benè sentientes de eo, quid nisi invidia & odium adversus Philosophum hunc conceptum agit? At*

ut rectissimè iterum Aristoteles, δεῖ τοὺς ὀρθῶς φρονοῦντας μὴ εἰς τοὺς διαβάλλοντας ἀποβλέπειν μόνον ἀλλὰ καὶ εἰς τοὺς ἐπαινοῦντας καὶ ζηλοῦντας αὐτόν· οὐ μικρῷ γὰρ πλείους καὶ βελτίους εὑρεθεῖεν ἂν οὗτοί γε, eos, qui rectè judicare volunt de aliquo, non oportet intueri Calumniatores; sed eos quoq; qvi ipsum laudant & imitantur, neqve enim minus multi, & hi quidem præstabiliores deprehenduntur. *Sed fuerit Aristoteles idololatra, in scriptis tamen suis idololatriam non stabilivit, sed unum solum esse Deum, qui sit primum ens, impassibile, immobile atqve immutabile existens, à quo cætera omnia entia tanquam à primo quid est pendeant, & ad quem cuncta, tanquam ad ultimum finem, referuntur, quiq; solus, tanquam bonum omnium optimum, sit præ cæteris venerandus, solidè demonstravit, sicuti ex XII. Metaph. IIX. cumprimis liqvido apparet. Hæc enim plerorumq; gentilium Philosophorum erat consvetudo, ut licet de Deo aliàs non malè sentirent, in cultu tamen ei exhibendo magis vulgi morem, quàm propriam sententiam & rationem seqverentur, ne turbas agerent, & vulgus adversus se concitarent. Ita Plato licet unum esse Deum agnosceret, universi conditorem, etiam Dæmoniorum: nihilominus non Deo duntaxat sacra faciebat,* sed *etiam* spiritibus Dei ministris, qui dæmonia vocabantur; *item* Heroibus, qvibus ob benefacta publica divini erant honores constituti, *ut videre est apud eum in VIII. & XII. de Legibus. Eandem consvetudinem & Senecam sectatum fuisse ex verbis ejus colligere est, qvæ adducit Augustinus VI. de Civ. Dei cap. X:* Ita adorabimus, ut meminerimus, hujusmodi cultum magis ad morem quàm ad rem pertinere. *Idem in aliis quoq; notat Lactantius.* Videmus, *inquit Lib. III. c. III.* doctos ac prudentes cùm religionum intelligant vanitatem, nihilominus tamen in ipsis, quæ damnant, colendis, nescio quâ pravitate perstare. *Inter illos numerat Ciceronem.* Intelligebat enim, *ait,* falsa esse, quæ homines adorarent. Nam cum multa dixisset, quæ ad eversionem religionum valerent,

ait tamen non esse illa vulgò disputanda, ne susceptas publicè religiones talis disputatio extinguat. *Quæ tamen non eo fine referimus, quasi probandam esse autumemus consvetudinem illam. Certi n. sumus verâ religione nihil esse utilius, falsâ verò nihil damnosius civitati. Si tamen aliis, more sapientum ita usitato, in devia abreptis veniam dandam esse putant, cur eam Aristoteli soli negant? Ast* nullus *pergunt*, unquam Philosophorum gentilium fuit, qui plura religioni nostræ adversa dogmata etiam scriptis prodiderit, quàm hic ipse. *Quæ ergò illa?* In Metaphysicis suis, *inquiunt*, Deum animal facit; *præterea ipsum* alligat superficiei extimæ supremi cœli mobilis; fati *etiam* legibus & necessitati eum adstringit; *præterea* illi negat rerum despectarum, parvarumqve notitiam; mundum *quoqve* facit æternum *atq;* increatum, nihilqve *posse* ex nihilo *fieri asserit*; *deniqve* resurrectionem mortuorum possibilem *esse negat*, animique humani immortalitatem *pluribus in locis inficiatur. Unde & antiqui Ecclesiæ Doctores non solùm parvi fecerunt Aristotelem, sed & graviter eum fuerunt insectati. Qvid nos ad hæc? Primò dicimus, non pauca Aristoteli falsò tribui ex illis, quæ ipsi modò adscribebantur. Falsum est, qvod Deum in Metaphysicis* animal *vocet. Ζῶον quidem eum passim ibi vocat; at ζῶον non solùm animal notat, sed & vivens, diciturq; de Deo, homine & brutis non καθ' ἓν sed æquivocè 1. de Animâ c.1.t.8. Falsum est, quod Deum alliget* fati necessitati, *sive, ut loquuntur alij*, ex necessitate naturæ movere *asserat* & non habeat ullâ ratione potestatem non movendi, adeoqve careat libertate. *Hoc quidem dicit, posito, qvod omnia in naturâ ordine fieri debeant, ut Deus moveat necessarium esse, non autem ait, qvod hoc fieri necesse sit ex* necessitate naturæ ipsius Dei, *qvod ipsi, ut intellectui hæc actio extrinseca sit, non essentialis. Movet enim Deus corpus mobile juxta Aristotelem, ut desideratum ab isto corpore; at corpus hoc ipsi extrinsecum est, indeq; & motus. Neq; verò ut motor est, simpliciter*

citer separabilis est, sed sumitur una cum corpore, quod movet, ut intellectus autem, seorsim sine alio consideratur, & sic necessaria, & essentialis ejus operatio est sola intellectio. Ei enim quod optimè habet, nihil actione est opus, cum id ipsum sit, cujus gratia, II. de cœlo c. XI. t. 64. Ex necessitate ergò naturæ Deus quidem intelligit seipsum, at non movet ex necessitate naturæ, sed ex hypothesi, posito quod omnia ritè & esse & fieri debeant ex lege naturæ. Inde ipse Aristoteles veritus, ne quis falsam sibi mentem affingeret, Deo non aliam se tribuere dicit necessitatem, quàm ἣ ἀνάγκη καλῶς, prout necessitas benè est, XIV. (XII.) Met. c. VII. Non enim simpliciter sed multifariam necessarium dicitur, V. Met. V. Porrò & hoc falsum est, quod Aristoteles simpliciter Deo deneget scientiam vilium rerum. Hoc quidem docet, quod Deus res cœteras, quæ extra ipsum sunt, non ita cognoscat, atq; noster intellectus. Hic enim cum potentiâ sit, à rebus dependet, & sic res extra se primum intelligere cogitur, ut seipsum intelligat. At divinus intellectus, qui actus purus est, non cognoscit prius res alias, ut se cognoscat, sed seipsum tanquam perfectissimum intelligibile cognoscit, & per se alia. Nempe ut eadem ratio manifestat, & rem & privationem; ast non eodem modo, sed per se quidem rem, per accidens verò, ut sublatione vel negatione, contrarium IX. Met. II: Sic & intellectus divinus se, ut mensuram & ens perfectissimum, simul cætera omnia, quæ potentiam includunt & ad ipsum tanquam ad primam formam reducuntur, cognoscit, quâ ratione nec vilissima quæque fugiunt ipsum. Quod si secus se res haberet, & intellectio ejus inciperet à rebus vilissimis, atq; ab iis, ceu scholæ loqui amant, actuaretur ut noster intellectus, non esset optima substantia. Potentiam enim includeret, adeoq; primus intellectus esse non posset. Quin & laboriosa ipsi intellectio esset ob potentiam XII. Met. IX. Ut taceamus, Aristotelem isto loco, ubi istis negare videtur intellectionem aliarum rerum, vilium præsertim, extra se, Deum considerare secundum actionem intrinsecam & essentialem,

lem, ut purum intellectum non activum, sed speculativum, sibi ipsi sufficientem & per se beatum, quo pacto utiq; seipsum tantùm intelligit, cum non nisi sui ipsius cognitione sit beatus. At verò ubi relatum ad res alias considerat, & ut motorem eum describit, non negat, quod & alia extra se, etiam res vilissimas, cognoscat. Deniq; & hoc falsum est, quod simpliciter asserunt, Aristotelem animi humani immortalitatem *negare. Id quidem certum est, quod omnes partes animæ inferiores mortales statuat, etiam τὴν διάνοιαν sive ratiocinium. Patet id ex I. de Animâ c. IV. t. 66. II. Gen. An. IV. IV. de partibus Animal. c. X. II. C. IX. VII. Polit. c. XVI. & Sect. XIV. problem. I. intellectum interim aliquem in homine reliquit, qui immortalis sit & separari à corpore possit.* Νοῦς, intellectus, videtur innasci substantia quædam existens & non corrumpi, *inquit 1. de Animâ c. IV. t. 65.* Intellectus divinum quid *&* impassibile est. *t. 66. Et lib. II. c. III. t. 21.* De intellectu & speculativâ potentia nihil adhuc manifestum est, sed videtur genus aliud animæ esse, & hoc solum posse separari, sicut perpetuum à corruptibili. *At maximè proprium videtur esse animæ τὸ νοεῖν ipsum* intelligere *I. de An. c. I. t. 12. Loquitur tamen istis locis, in quibus intellectum immortalem statuit, non de intellectu passibili, qui nihil aliud suâ naturâ est quàm* potentia, *sive* virtus in subjecto, *III. de Animâ IV. t. 5. quo destructo interit & ipse, licet non* per se, per accidens tamen; *Unde & disertè intellectus hic illi φθαρτὸς,* corruptibilis, *vocatur III. de Animâ cap. V. t. 26. sed agente, qui passibilem intellectum in actum deducit, adeoque intelligere facit. Hic enim* substantiâ actus *est, &* semper intelligit, & ideò solus separabilis, immortalis & æternus est *t. 19, 20. Neque est, quod quis cum Alexandro existimet, hunc intellectum ipsum Deum esse, singulari modo ab homine participatum. Expressè enim μόριον,* particula animæ humanæ *dicitur, & præterea,* id, qvod maximè homo est. *Hanc igitur solam particulam animæ secundum substantiam suam immortalem esse dicit, reliquas*

 19.

liquas autem corruptibiles & materiales, etiamsi non neget principium aliquod remotius & cæterarum potentiarum omnium immortale esse, quoniam omnes animæ potentiæ ad primam, quæ est ipse intellectûs agens, se habent, tanquam materia ad formam III. de An. V. t. 17, à quâ reliquæ omnes pendent. Quò pertinet & illud ex I. de An.: Si acciperet senex oculum talem *(qualem videlicet habet juvenis)* videret utiqve juvenis ad eum modum, quo videt. *Quid enim inde aliud colligitur, quàm deficiente paulatim facultate videndi in senibus propter mutationem, quæ organo accidit, principium aliquando videndi remotius in anima remanere. Ita ergò de anima Philosophus sensit. De cætero non negamus, statuisse eum* ex nihilo nihil fieri, resurrectionem mortuorum non esse possibilem, mundum *esse* æternum; *Verùm singula hæc, si eo sensu intelligantur, quo Aristoteles ea intellexit, nihil quicquam continent, quod religioni nostræ sit adversum. Quomodo autem ea intellecta voluerit in hoc ipso libro suis patefecimus locis, quo propterea benevolum Lectorem remittimus. Neq; verò movere nos debet, quod non pauci ex priscis Ecclesiæ Doctoribus non satis benè de Aristotele judicent. Causa enim non alia fuit, quàm quod pauci essent in primis quinq; seculis, qui eum legerent & rectè interpretarentur, quod & Ludovicus Vives agnoscit in IIX. Augustini de Civitate Dei cap. X. sic scribens:* A temporibus Platonis & Aristotelis usqve ad Alexandrum Aphrodiseum Aristoteles nominabatur magis, quâm vel legebatur à Doctis vel intelligebatur. Primus ille aggressus est eum enarrare & adjuvit studia multorum & ad alia in eo Philosopho qværenda excitavit; mansit tamen crebrior in manibus hominum & notior Plato usqve ad scholas in Gallia & Italiâ publicè institutas. *Causa autem quod Platonis & Platonicorum scriptis magis intenti essent primi illi Patres Ecclesiæ, hæc fuit,* qvod eorum literæ clariores viderentur, *quam rationem adducit Augustinus ipse l. c. & doctrinam eorum proximè ad doctrinam*

Christianorum accedere putarent, istosqve Philosophos omnium facilimè Christianos fieri viderent, quod de Stoicis quoqve alicubi memorat Hieronymus. Verum non est hæc sufficiens causa, ob quam hi in Philosophia Aristoteli sint præferendi. Cùm enim quid egregium dixerunt Platonici & Stoici, sæpissimè non tàm ex naturali id notitiâ habuerunt, quàm traditione, de suo autem multa addiderunt absurda & pugnantia cum recta ratione. Aristoteles autem ex adverso intra terminos naturalis notitiæ se continuit, nihilq; in Philosophiam admittendum censuit, quod experientiâ & humanis rationibus ostendi non posset. Quod nobis ad illud maximè conducit, ut sciamus, quantum valeat notitia Dei naturalis, & quousq; se extendat. Ea enim de re melius Philosophus omnium præstantissimus, qui sine præjudicio de his statuit, cum ex revelatione nihil habuerit, & methodo congruâ progressus est, nos informare potest, quàm alius quidam, qui pleraqve hausit ex principio revelationis. Apparet etiam unà ex eo, quàm languida & imperfecta sit naturalis Dei notitia sine speciali revelatione & auxilio Dei, id quod ipse Philosophus ex parte fatetur I. Part. An. c. V. & II. de Cœlo t. 34. ubi discrimen facit inter ea, quæ humano modo creduntur, & quæ validius. Tacemus, quod multos hæreticos pepererit Philosophia Platonica. Quia enim Platonicorum dogmata cum doctrina Christiana in non paucis consentire videbantur, à multis scripta eorum & magni æstimabantur & summâ industriâ evolvebantur, quod ea redarguendis gentilium strophis inservire autumarent. Ast addiderant illi sæpe numero iis, quæ ex revelatione profecta erant, nonnulla de suo, quod rationi ea conformia existimarent, licet erroneè planè & temerè ab illis conficta essent, adeò ut de scriptis Platonis & suorum non immeritò dici possit, quod de Ægyptiis pharmacis scribit Homerus Odyss. δ. - Πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά, Multa quidem salubria mixta, multa item noxia. *Inde autem porrò fiebat, ut lectoribus eorum*

in pius

minus cultu eidem errores obreperent & adhærerent. Inde, si suspicari licet, manasse videtur, hæresis illa, Arianorum, quâ Deum per verbum sive filium suum reliqua omnia creasse dicebant, ipsumq́; Deum quidem esse verbo profitebantur, sed minorem Patre, & creatum ab isto. *At simile quid apud Platonem passim legitur, veluti in Epistolâ ad Hermiam & Erastum & Carisiam, quæ in ordine sexta est, ubi expressè duos Deos,* Patrem & Filium *significat, dicens* unum esse Deum τὸν τῶν πάντων ἡγεμόνα τῶν τε ὄντων καὶ τῶν μελλόντων, h.e. *omnium rerum ducem tàm earum, quæ sunt, quàm earum, quæ futura sunt;* & præterea τοῦ ἡγεμόνος καὶ αἰτίου πατέρα κύριον, Ducis hujus & principii Patrem Dominum. *In libb. de Republ. autem hunc Ducem, quem & δημιουργὸν vocat ait esse* progeniem Dei & mentem ab ipso bono procreatam. *Unde sine dubio quoq́; desumta sunt, quæ apud Plotinum, insignem illum Platonicum, & velut Coryphæum in scholâ illâ, Ennead. V. lib. I. c. VI. & VII. leguntur, ubi duplicem νοῦν nominat, alterum* summum ac perfectum, *quem κρείττονα νοῦν vocat* mentem potiorem; *alterum, quem νοῦν δεύτερον appellat,* mentem posteriorem à priore genitam & illius imaginem. *Hinc porrò fluxit & Manichæorum illa hæresis de* duplici principio, *uno* bono, *altero* malo. *Sic enim principia posuisse & Platonem tùm ex aliis Locis, tùm ex libro X. de Legibus apparet, ubi hæc habet verba, quæ & Clemens Alexandrinus citat V. Stromat.* ψυχὴν διοικοῦσαν τοῖς πάντῃ κινουμένοις μῶν οὐ καὶ τὸν οὐρανὸν ἀνάγκη διοικεῖν φάναι; τί μήν; μίαν ἢ πλείους; πλείους ἐγὼ ὑπὲρ σφῷν ἀποκρινοῦμαι· δυοῖν που ἔλαττον μηδὲν τιθῶμεν, τῆς τε εὐεργέτιδος, καὶ τῆς τἀναντία δυναμένης ἐξεργάσασθαι, Animam quæ ea administrat, quæ undiq; moventur, nonne & cœlum administrare necesse est dicere? Quid verò unam, an plures? Plures ego pro vobis respondebo. Non minus utiqve quam duas effecisse posuerimus, nempe eam, quæ est benefica, & eam, quæ potest efficere contraria. *Meminit ejusdem sententiæ & Justinus aut quicunq; Auctor est Quæst. & respons.*

respons. ad Græcos. Deniq, ut cætera taceamus, ex Platonis rivulis scaturivit & illud Origenis dogma de Origine animarum, *quod* eæ jam olim à Deo creatæ, in Cœlo suum habeant domicilium, & inde in corpora vel descendant spontè, vel invitæ trudantur. *Fuisse enim hanc Platonis sententiam & veteres testantur & ex lib. X. de Rep. clarum est, ubi ex hac ipsa opinione concludit easdem semper animas fore, nec pauciores unquam futuras, cum nulla earum intereat, nec plures. Unde Tertullianus lib. de animâ cap. 23:* Doleo, *inquit,* bonâ fide, Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum. Illius est enim & in Phædone, quod animæ hinc euntes sint illuc, & inde huc. Item in Timæo, quod germina Dei delegata sibi mortalium geniturâ accepto initio animæ immortali, mortale ei circumgestaverint corpus. Tum, quod mundus hic imago sit alterius alicujus, quæ omnia ut fidei commendet, & animam retrò in superioribus cum Deo egisse in commercio idearum, & inde hæc transvenire, & hic quæ retrò novit de exemplaribus recensere, novum elaboravit argumentum, discentias reminiscentias esse. Venientes enim huc inde animas oblivisci eorum, in quibus prius fuerint, de hinc ex his visibilibus recordari edoctas. *At de Philosophia Aristotelis idem dici non potest. Nullos ea hæreticos peperit, aut si aliqui inde orti sunt, id non ipsi imputandum est, sed vitio hominum, qvi dogmata Aristotelis non rectè intellexerunt, aut latius quàm fieri oportebat, extenderunt. A cæteris autem magni semper habita fuit Aristotelica philosophia. Et hinc non omnes Patres æquè sinistrè de Aristotele & philosophia ejus judicant. Audiamus Clementem Alexandrinum, qui egregio elogio philosophiam hanc ornat, ejusq; insignem in Theologia utilitatem deprædicat in I. Stromat. his verbis:* Ἀποτελὴς μὲν οὖν καὶ ἀπροσδεὴς ἡ κατὰ τὴν σωτῆρα διδασκαλία, δύναμις οὖσα, καὶ σοφία τοῦ Θεοῦ· προσιοῦσα δὲ φιλοσοφία, ἡ ἑλληνικὴ, οὐ δυνατωτέραν ποιεῖ τὴν ἀλήθειαν, ἀλλ' ἀδύνατον παρέχουσα τὴν κατ' αὐτῆς σοφιστικὴν ἐπιχείρησιν,

σιν, καὶ διακρουομένη τὰς δολερὰς κατὰ τῆς ἀληθείας ἐπιβουλάς, φραγμὸς οἰκεῖος εἴρηται, θριγκὸς εἶναι τοῦ ἀμπελῶνος, Est per se ipsa perfecta & nullius indigens doctrina Salvatoris, utpote facultas & Sapientia Dei. Philosophia Græca autem ad eam accedens non potentiorem quidem facit veritatem, sed tamen Sophisticam adversus eam impressionem imbecillem reddens, propulsansque dolosas contra veritatem insidias, congruens vineæ sepimentum & vallum dicitur. Ubi per philosophiam græcam Aristoteleam cumprimis intelligere videtur. Vixit enim Alexandriæ, ubi tum temporis Philosophia hæc florebat. *Porrò Sec. IV. Didymus Alexandrinus, cæcus, Aristotelis ratiocinandi modos didicisse dicitur à Theodoreto IV. Histor. XXVII. & Sedulius Presbyter Romanus Sec. V. Aristotelis defensor extitit, quem in annotationibus ad Titum III.* principem Dialecticorum *appellat. Ejus vestigiis tandem Sec. VI. institit Boëthius, ut Arnobii, Hieronymi & Cyrilli Alex. de eo judicia non repetamus. Sed satis de Aristotelis religione. Pergimus ad cæteros mores. Nam & eorum tantam non fuisse integritatem perhibent, ut aliis jure sit anteponendus. Id quod multis probare nituntur. Et primo quidem crimen proditionis ei intentant.* Hunc enim fuisse, *ajunt,* qui ipsam suam Patriam, Stagiram Macedonibus prodiderit. *Ast & hæc est calumnia, quam, teste iterum Aristotele, primus in ipsum effutiit Demochares, sed citra fundamentum. Longè aliud namque persvadent summa, quæ ab antiquis fideque dignissimis auctoribus celebrantur in Patriam ejus merita. Cum enim solo æquata esset à Philippo, hoc unicum ab eo pro institutione filii laboris præmium petiit, ut eam restauraret, quod cum impetrasset, legibus eam præterea composuit atque ordinavit, teste Plutarcho in vita Alexandri & lib. adversus Clothonem, itemque Laërtio in vita Aristotelis. Quamvis Plinius lib. VII. c. XXIX. & Valerius Maximus lib. V. c. VI. referant id ad Alexandrum. Ælianus autem lib. III. cap. XVII. neque Philippi neque Alexandri mentionem facit, sed*

ſimpliciter dicit: Ἀριστοτέλης τὴν ἑαυτοῦ, πατρίδα, οὐ τὸ λεγόμενον δὴ τοῦτο εἰς γόνυ πεσοῦσαν, ἀλλ' ἐπὶ στόμα, ἀνέστησεν αὖθις, Ariſtoteles patriam ſuam non in genua (quod dicitur) procumbentem, ſed in os proſtratam erexit atqve reſtituit. *Lib.XII.tamen cap. LIV.& ipſe ad Alexandrum id refert. Quâ de causâ & Stagiritani poſtmodum feſtum in Ariſtotelis nomen, celebrarunt, idq́;* Ἀριστοτέλειον *nuncuparunt, ſed & menſem, in quem feſtum illud incidit Stagiritem nominarunt, quod refert Auctor vitæ Ariſtotelis, quem ex veteri translatione locupletiſſimis Scholiis illuſtratum edidit Joannes Petrus Nunneſius. Deinde eum accuſant, quod ipſum Alexandrum* Veneno *tollere ſit auſus. Teſtem laudant Plinium, qui de Veneno ejusmodi loquens, cum id, inquit, dandum Alexandro Magno Antipater mitteret, magnâ eſt Ariſtotelis infamiâ excogitatum, in perniciem Regis Alexandri. lib. XXX. cap. XV. At forte non venenum hoc ab Ariſtotele excogitatum eſt, ſed crimen potius Ariſtoteli objectum excogitatum & fictum eſt ab hominibus malevolis, ut ignominiæ ei inurerent notam. Equidem & Q. Curtius, qui Alexandri res geſtas prolixè illuſtravit, memorat,* veneno *eum fuiſſe* extinctum, *at Ariſtotelem in ſuſpicionem criminis veniſſe, ne verbo quidem indicat. Verba ejus, quibus cauſam mortis Alexandri deſcribit lib. X. c. IV. hæc ſunt:* Amici cauſam morbi, intemperiem ebrietatis, divulgarunt; reverà autem inſidiæ fuerunt, quarum infamiam ſucceſſorum potentia oppreſſit. Antipater enim præparatum Venenum Caſſandro filio, qui cum fratribus Philippo & Jollâ Regi miniſtrare ſolebat, dederat, præmonito eo, ne aliis quàm Theſſalo & fratribus crederet. Philippus itaqve & Jollas, potum regis prægustare ſoliti, in aqua frigidâ venenum habentes, eam prægustatæ potioni Regis ſupermiſerunt. *Diodorus Siculus lib. XVII. cap. XVII. & CXIIX. dicit eum* epoto magno Herculis poculo extinctum fuiſſe; *addit tamen* Scriptores de morte ejus diſcrepare, & quosdam lethali extinctum pharmaco memorare.

Verùm

Verùm Aristotelem istius sceleris reum ab ullo agi, non dicit, sed Antipatro & filio ejus, qui tùm Regi à cyathis fuerit, id intentari. Per hunc enim Antipatrum mortifero regem pharmaco potionasse. Sed quia summa Antipatri in Europa post Alexandri obitum fuit potentia, & Cassander rebus Alexandri maximè inimicus in regno successit, plerosqve scriptores veneni mentionem in monumentis suis facere non fuisse ausos. *Plutarchus verò in vita Alexandri dicit quidem fuisse aliquos, qui Aristotelem accusarint, quasi is auctor hujus facinoris Antipatro fuisset, ipseq; virus Alexandro obtulisset, verùm addit, eos testimonio alio non fuisse nixos, quàm Agnothemidis cujusdam, qui qvod ex Antigono Rege id audiisset, narrasse retulerit; à plerisq; verò totum hoc pro inani commento fuisse habitum; & quidem non immeritò.* οἱ δὲ πλεῖστοι, inquit, τὸν λόγον ὅλως οἴονται πεπλάσθαι τὸν περὶ τῆς φαρμακείας· καὶ τεκμήριον αὐτοῖς οὐ μικρὸν ὅτι τῶν ἡγεμόνων στασιαζόντων ἐφ᾽ ἡμέρας πολλὰς, ἀθεράπευτον τὸ σῶμα κείμενον ἐν τόποις θερμοῖς καὶ πνιγώδεσιν, οὐδὲν ἔσχεν τοιαύτης φθορᾶς σημεῖον ἀλλ᾽ ἔμεινεν καθαρὸν καὶ πρόσφατον, Maxima pars tamen eam veneni fabulam prorsus existimant commentitiam, habentqve argumentum non leve, quod dissentientibus per multos dies ducibus, corpus qvum locis fervidis & æstuosis jacuisset non curatum, ejuscemodi veneni nullum vestigium præ se tulerit, verùm sine livore & tabe permanserit recens. *Neq; multum favet illis, quod addunt quô accusationem suam colorent, Antonium Caracallam Imperatorem hoc nomine insectatum fuisse omnes philosophos ex Aristotelis familia, quod Alexander, cujus memoriam colebat summoperè, Aristotelis fraude periisse diceretur. Eo minus enim laudabile hoc factum est, quò magis dubium alterum illud. Unde & Dion Nicæus, qui vitam ejus descripsit, dicere illud non dubitat* stolidum factum. *Verba ejus ita habent:* Stultâ æmulatione Alexandri Magni, qui veneni Stygii, quo per Jolam ille è medio sublatus creditur, commonstrator fuisse dicebatur,

 voluit

voluit libros Aristotelis comburere [*Antonius Caracalla*] sodalitates Aristoteleorum & cætera commoda, quæ habebant in Alexandriâ, sustulit: criminatus eas potissimum, quod Aristoteles Alexandrum Magnum discipulum aqua Stygia per Parmenionem tolli curasset. *Porrò & quidem inprimis* Ingratitudinis *vitium urgent, quo laboravit, & quidem erga Magistrum, cujus institutione viginti annos usus fuerat, Platonem. At quàm alienus ab hoc vitio Philosophus hic fuerit, & quàm grata mente è contrario beneficia accepta agnoverit, vel ex eo satis intelligi potest, si perpendamus, quid gratiæ Proxeno Atarnenti retulerit? Cum post mortem Nicomachi & Phæstidis parentum, nutricium acceperat, qui eum educaverat, & bonis literis institui atque informari curaverat, quod ut insigne erat beneficium, ita ejus semper Aristoteles memor fuit. Non solùm enim in testamento Nutricio suo atq; ejus Uxori & quidem utrisq; singulas imagines poni jussit, sed & Nicanorem Proxeni filium, in filium sibi adoptavit, omniq; virtutis ac doctrinæ studio à se instructo filiam suam Pythiada in matrimonium collocari constituit, ut reliqui honoris quem ei vigore testamenti suorum post mortem haberi voluit nunc mentionem non faciam. Eum autem qui tàm gratum se præbuit nutricio corporis sui curam agenti, quomodo ingratus fuisset in Præceptorem optimè de se ob curam animi meritum? sed ubi rerum testimonia adsunt, quid opus est verbis? Ipsi* Φιλοπλάτωνες *testantur, eum Magistro suo aram erexisse hac inscriptione.* Βωμὸν Ἀριστοτέλης ἐνιδρύσατο τόνδε Πλάτωνος· Ἀνδρὸς ὃν οὐδ' αἰνεῖν τοῖσι κακοῖσι θέμις, Aram Aristoteles hanc Platoni dicavit, viro, quem nefas est à malo laudari. *Olympiodorus Comment. in Gorgiam Platonis addit, quod orationem integram in laudem Platonis scripserit, in quâ vitam ejus primum exposuerit, dehinc laudes ejus decantarit; quod & in elegiis ad Eudemum fecisse eum inquit, his verbis:* Ἐλθὼν δ' εἰς κλεινὸν Κεκροπίης δάπεδον Εὐσεβέως σεμνῆς Φιλίης ἱδρύσατο βωμὸν, Ἀνδρὸς, ὃν οὐδ' τοῖσι κακοῖσι θέμις· Ὃς μόνος, ἢ πρῶτος θνητῶν κατέδειξεν ἐναργῶς

οἰκεί-

οἰκείωτε βίῳ καὶ μεθόδοισι λόγων· ὡς ἀγαθός τε καὶ εὐδαίμων ἅμα γίνεται
ἀνὴρ. οὐ νῦν δ' ἔστι λαβεῖν οὐδενὶ ταῦτα ποτέ. *Quæ sic reddit Bessario*
Cardinalis Nicenus & Patriarcha Constantinopolitanus lib. 1. ad-
versus Calumniatorem Platonis c. III: Cecropis ad claras vene-
rat usqve domos dulcis amicitiæ, mox illi condidit aram,
Quem laudare nefas ara profana fovet. Qui solus vitâ, do-
ctrinâ, moribus, ore. Admonuit cunctos & monimenta de-
dit, Ut virtute queant felicem ducere vitam. Nulla ferent
talem secla futura virum. *Tale quid autem, qui ab ingrato*
proficisci potuisset? Erexit tamen, ajunt, vivo adhuc Platone Scho-
lam, quàm opposuit illi. Verùm hoc planè non fit verisimile. Qui
enim Aristoteles, invito Platone, tunc potuisset id audere, cum eo
tempore gratiâ & autoritate plurimum apud Athenienses va-
lerent Chabrias & Timotheus, qui è Ducibus Atheniensium &
Platonis cognatis fuerunt, quod rectè urget Ammonius, aut qui-
cunque Auctor est vitæ Aristotelis Græcè conscriptæ? Deinde ævi isti-
us quem nam testem proferent (Ælianum enim qui diu post vixit
id IV. Hist. Variæ IX. referre non ignoramus) qui hoc confirmet?
Aristoxenum forte laudabunt? Sed audiant, quid jam olim ad
hujus testimonium provocantibus responderit Aristocles loco supra
citato: τίς δ' ἄν, inquit, πεισθείη τοῖς ὑπὸ Ἀριστοξένου τοῦ Μουσικοῦ λε-
γομένοις ἐν τῷ βίῳ, τοῦ Πλάτωνος; ἐν γὰρ τῇ πλάνῃ καὶ τῇ ἀποδημίᾳ,
φησὶν ἐπανίστασθαι καὶ ἀντοικοδομεῖν αὐτῷ τινας Περίπατον ξένους ὄντας.
οἴονται οὖν ἔνιοι ταῦτα περὶ Ἀριστοτέλους λέγειν αὐτὸν, Ἀριστοξένου διὰ
παντὸς εὐφημοῦντος Ἀριστοτέλην, Quis adducetur, ait, ut cre-
dat, quæ dicuntur ab Aristoxeno Musico in Platonis vita? nam
cum peregrè profectus esset, ait surrexisse quosdam peregri-
nos, & contra ipsum Peripatum erexisse, quæ verba quidam de
Aristotele accipiunt, cum tamen Aristoxenus nunquam Ari-
stotelis nisi honorificè mentionem fecerit. *Nescio tamen, an*
non hæc ipsa verba Aristoxeni de Aristotele acceperit Suidas, &
hâc ipsâ causâ contumeliosè eum ab Aristoxeno tractatum esse di-
cat,

cat, idq; ut suscipiatur ideò, quod in successione Scholæ & Disciplinæ Theophrastum ipsi prætulisset. Sic enim ille in Aristoxeno scribit: Ἀριστόξενος ἀκουστὴς τοῦτε πατρὸς καὶ Λάμπρου – καὶ τέλος, Ἀριστοτέλους. Εἰς ὃν ἀποθανόντα, ὕβρισε διότι κατέλιπε τῆς σχολῆς διάδοχον Θεόφραστον, αὐτοῦ δόξαν μεγάλην ἐν τοῖς ἀκροαταῖς τοῦ Ἀριστοτέλους ἔχοντος, Aristoxenus Auditor fuit & Patris, & Lampri, & tandem Aristotelis, quem defunctum contumeliosè est insectatus, quod scholæ successorem Theophrastum reliquisset, cum ipse magnam apud Aristotelis auditores auctoritatem obtineret. *Sed quicquid sit de Aristoxeno, figmentum id esse, quod Aristoteles Peripatum aut Lyceum aperuerit, vivente adhuc Platone, non difficile est demonstrare. Mortuus enim est Plato anno primo olympiadis CIIX. Testis est Dionysius Halicarnasseus Epist. ad Ammæam cap. VI. Dicit enim, Platonem supremum diem obiisse in Prætura Theophili: at hic Prætor fuit hoc ipso anno, primo, inquam, Olympiadis CIIX. Consentit Hermippus, referente Diogene Laërtio in vita Platonis. Sic enim ille:* Τελευτᾷ [Πλάτων] ὥς φησιν Ἕρμιππος, ἐν γάμοις δειπνῶν, τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ὀγδόης καὶ ἑκατοστῆς ὀλυμπιάδος, βιοὺς ἔτος ἓν πρὸς τοῖς ὀγδοήκοντα, Mortuus est Plato, ut Hermippus tradit, primo anno, Centesimæ octavæ olympiadis, in nuptiis discumbens, octogesimum & primum ætatis agens annum. *Jam verò usq; ad hoc tempus Aristoteles constanter audivit Platonem. Is enim natus est, referente Apollodoro in Chronicis apud Laërtium in vita Aristotelis, anno primo nonagesimæ nonæ Olympiadis: ad Platonem autem eodem auctore accessit anno ætatis decimo septimo, imperante Nausigene, annosq; viginti apud eum fuit commoratus, hoc est, per integras quinq; olympiades (qualibet enim Olympias quadriennium continet, quâ de causâ & Tetracteris appellatur) quarum ultimus annus is ipse est, quo Plato vitâ functus est, nempe annus primus olympiadis centesimæ octavæ. Quod si autem cum Platone usq; ad obitum ejus versatus fuit Aristoteles, quomodo ab eo, vivente*

ipso adhuc, descivisse & adversus ipsum scholam dici potest erexisse? Tacemus, quod ne à morte quidem Platonis Athenis publicè statim docuerit, sed tredecim annis pòst, nempe centesimæ Undecimæ Olympiadis anno secundo. Mortuo enim Platone, ait Apollodorus, profectum eum esse ad Hermiam, ibiq; mansisse annos tres, tum verò, principe Eubulo, sive quarto anno Centesimæ Octavæ Olympiadis, venisse Mytilenem. Sub Pythodoto autem, h. e. anno secundo centesimæ nonæ profectum esse ad Philippum, Macedoniæ regem, ut Alexandrum filium ejus, quindecim tum annos natum erudiret, & tandem, postquam apud hunc annos octo commoratus esset, tandem Athenas concessisse, atq; in Lyceo tredecim annos docuisse. Hæc Apollodorus. Quibus exactè congruentia tradit Dionysius Halicarnasseus, uno fortè excepto, quod Dionysius Platonem accessisse dicat Archonte Polyzelo, h. e. Olympiadis Centesimæ tertiæ anno secundo, ætatis suæ autem decimo octavo. Quæ tamen discrepantia levis est. Fieri enim potuit, ut exeunte Nausigene, cui successit Polyzelus, annoq; decimo septimo ætatis Aristotelis propè præterlapso, Platoni fuerit commendatus & traditus, hicq; sub finem anni primi Olympiadis Centesimæ octavæ mortem cum vitâ commutârit. Sed non abs re fuerit, ipsum Dionysium audire, ut majus iis, quæ ex Apollodoro dicta sunt, accedat lumen. Sic ergò ille l. c. cap. VI: Natus est Aristoteles Olympiade nonagesima nona, prætore Athenis Diotrephe. - - Prætore verò Polyzelo cum Patrem morte amisisset, annum agens ætatis octavum decimum, Athenas venit & Platoni commendatus, viginti ipsos annos operam illi dedit. Platone verò in Præturâ Theophili vitâ functo, profectus ad Atarnæorum Tyrannum: trienniumqve apud illum moratus Archonte Eubulo, in Mitylenem discessit. Inde verò ad Philippum se contulit sub Pythodoto Prætore, annos apud illum octo mansit docens Alexandrum Filium: Mortuo Philippo sub Evænæto, Athenas rediens duodecim annos docuit in

 Lyceo.

Lyceo. Hactenus & ille. Et ad hoc quidem occasionem ei præbuisse dicitur Xenocrates, qui cum Academiæ præfectus esset, cui eam tradiderat Speusippus, successor Platonis, postquam octo annos Scholæ præfuisset hinc paralysi correptus, munere docendi amplius fungi nequivit teste Laertio & aliis. Cum enim inter ipsum & Aristotelem æmulatio quædam intercederet, & hic Athenas à Philippo reversus, illum in Academiâ docentem inveniret, non permittendum sibi esse existimavit, ut Xenocrates, se tacente, solus Philosophiam profiteretur. Itaq; & ipse ludum aperuit, atq; in Lyceo docere cœpit, jactato illo versu: Αἰσχρὸν σιωπᾷν, Ξενοκράτην δ' ἐᾶν λέγειν, Turpe me silere, Xenocratem autem sinere loqui, ut iterum refert Laërtius in vitâ Aristotelis non multum ab initio. Cicero tamen & Quintilianus aliter hunc versum ex Philoctetâ usurpatum ab Aristotele in Isocratem ajunt, cum ob ejus æmulationem pomeridianis horis eloquentiam docere cœpisset. Verum id modo non disputabimus. Sufficit in præsenti nobis ostendisse, falsò hoc impingi Stagiritæ, quod vivente adhuc Præceptore Platone aperuerit Scholam Athenis. Quanquam & hoc labore supersedere potuissemus. Quid enim hoc vitiÿ secum trahit, instituere ludum superstite Magistro? Num quid statim id signum est animi ingrati? Atqui Plato ipse multa suorum etiam in publicum edidit vivo adhuc Socrate, Doctore suo. Non minus autem docet, qui scriptis docet, quàm qui ore suo. Quid ad hoc illi? Salva, ajunt, res esset, si Magistri sui sententiam retinuisset eamq; & aliis instillasset, quod in Scriptis suis respectu Socrates fecit Plato, vel ipsomet teste. Ast longe aliam viam ingressus est Aristoteles. Multùm enim à Magistri placitis recessit, passimq; illum refellit; quod tàm malè illum habuit, ut justo dolore commotus, Aristotelem pullo compararit, qui saturatus lacte materno „ calcibus matrem petit, ut testis est Ælianus IV. Variæ Historiæ cap. „ IX. Verùm non satis intelligimus, cur ingratitudinis accusandus sit, qui in Magistri verba non juravit. Quis enim unquam Do-

ctoris sui vestigia ita est secutus, ut pedem inde nullum deduxerit unquam? Ipse Plato veritatem auctoritati omnium hominum longè anteponendam esse judicat passim. Verba ejus aliqua jam supra ex X. de Republ. adduximus, quibus nulli viro majorem honorem quàm veritati dicit tribuendam. Quibus similia sunt, quæ Græcus auctor citat, qui vitam Aristotelis descriptam nobis reliquit, sive is Ammonius sit, sive Philoponus, aut alius quicunque. Sunt autem hæc: ὅτι μᾶλλον δεῖ τῆς ἀληθείας φροντίζειν ἤπερ ἄλλου τινός, Veritatem oportet omnibus aliis anteponere. Item illa: φίλος μὲν Σωκράτης, ἀλλὰ φιλτάτη ἡ ἀλήθεια, charus quidem Socrates, sed veritas charissima. Deniqve & ista: Σωκράτους μὲν ἐπ' ὀλίγον φροντιστέον· τῆς δὲ ἀληθείας ἐπὶ πολύ, Socrates quidem quid dicat, parum solliciti esse debemus, de veritate autem multum sollicitos esse oportet. *Et in eo quidem illi prairerat ipse hic Magister ejus, Socrates, qui de seipso testatur, quod tali præditus fuerit animo, ut nulli crederet, nisi unicè rationi, quam optimam compertus fuisset.* ὡς ἐγώ, *inquit apud ipsum Platonem in Critone,* οὐ μόνον νῦν, ἀλλὰ καὶ ἀεὶ τοιοῦτος, οἷος τῶν ἐμῶν μηδενὶ ἄλλῳ πείθεσθαι ἢ τῷ λόγῳ, ὃς ἄν μοι λογιζομένῳ βέλτιστος φαίνηται, Quandoquidem is Ego sum, non modô nunc, sed & semper, qui meorum nulli credam, præterquàm rationi, quæ quidem à me animo perpensa atqve examinata mihi optima fuerit visa. *Eadem, ut dixi, Platoni mens fuit, idem animus, qui libero judicio & aliorum, & doctoris sui dogmata examinavit, & nonnunquam etiam aliter de rebus, quàm ipse, sensit.* Ipse enim ideas separatas constituit, Socrates non item, *teste Aristotele lib. I. Met. c. V. Ipse & naturæ & numerorum & linearum inquisitionem in Sapientiæ officio habuit: at Socrates uno morum studio universæ Philosophiæ ambitum circumscripsit. Quapropter non est verisimile Platonem in Aristotele dissensum in nonnullis à se ægrè tulisse. Qui enim id improbare in eo potuisset, quod ipse fecerat, quodque in Speusippo & Xenocrate toleraverat, quorum utrum-*

trumque à Platone sæpenumero dissensisse neminem latere potest, qui Placita eorum cum Platonis monumentis vel leviter saltem contulerit. De Speusippo Vide & 1. Ethic. c. IV. (VI.). Sanè ipse Plato non obscurè in Parmenide indicat, Aristotelem non eandem, quam ipse, de ideis sententiam fovisse, atq; super hoc dogmate frequenter secum rationes contulisse, quod cum imitaretur is, quem sub Parmenidis nomine loquentem introducit, prorsus id non reprehendit, sed laudat potius propositum ejus his verbis: καλὴ μὲν οὖν καὶ θεία εὖ ἴσθι ἡ ὁρμὴ, ἣν ὁρμᾷς ἐπὶ τοὺς λόγους, Pulcher sanè atque divinus, mihi crede, impetus iste tuus, qui ad rationes se fert. *Qui autem in uno aliter sentientem toleravit, cur non & in aliis tolerasset, inprimis cum tantâ, quotiescunq; à Magistro abiit, usus fuerit modestiâ, ut merito aliis exemplum esse possit. Patet id vel ex 1. Ethic. c. IV. (VI.) ubi* arduam & molestam *sibi* de ideis disputationem futuram esse *ait*, propterea, quod amici sibi essent [*Platonem & illos, qui ab eo erant intelligit*] qui ideas induxissent. *Unde falsitatis suspicione iterum non caret, quod illi ex Æliano de Platone Aristotelem ob ingratitudinem conferente cum pullo in matrem recalcitrante asserebant. Ante Ælianum enim non memini id tradere quenquam. Post Ælianum autem meminit ejus Helladius Besantinous lib. III. Chrestomatriæ apud Photium codice CCLXXIX. his verbis:* Ἀριστοτέλης ὁ τοῦ περιπάτου προστάτης, ὑπὸ Πλάτωνος ἵππος ἐπωνομάζετο, ἐναντιοῦσθαι δοκεῖν τῷ διδασκάλῳ· καὶ γὰρ ὁ ἵππος τὸν ἑαυτοῦ πατέρα δάκνει, Aristoteles Peripateticæ Princeps Scholæ, à Platone pullus nominatus est, quod Præceptori contradiceret, eqvo enim volupe est etiam patrem mordere. *Deniq; Diogenes refert quidem id, Aristotelem recessisse à Platone, dum adhuc viveret, verum auctorem non citat, sed solùm dicit, quosdam ita tradere, hacq; causa Platonem motum verba illa in Aristotelem locutum esse. At longè aliter hoc se habere paulò ante ex Apollodoro & Dionysio Halicarnasseo, ostensum est, qui ut antiquiores sunt Æliano (Apollodorus*

dorus enim vixit sub Ptolemæo Physcone, qui & Evergetes secundus dicitur, Dionysius autem sub Cæsare Augusto, Ælianus verò sub Hadriano Sec. II. à Christo nato.) sic & majorem, quàm ille, fidem merentur, utpote, quem sæpè falsa veris inspersisse planè dubium non est apud viros eruditos. Sed dixerit hoc Plato in Aristotelem, potuit tamen ejus esse alia causa. Fortè displicuit ei cultus ille splendidior Aristotelis vestitûs. Sanè idipse Ælianus non obscurè videtur indicare. Ait enim primum dissidium Platonis & Aristotelis inde initium sumsisse. Verba ejus sunt: Λέγεται τὴν διαφορὰν Ἀριστοτέλους πρὸς Πλάτωνα τὴν πρώτην ἐκ τούτων γενέσθαι. οὐκ ἠρέσκετο αὐτοῦ τῷ βίῳ ὁ Πλάτων, οὐδὲ τῇ κατασκευῇ τῇ περὶ τὸ σῶμα· καὶ γὰρ ἐσθῆτι ἐχρῆτο περιέργῳ ὁ Ἀριστοτέλης, καὶ ὑποδέσει, καὶ κουρὰν δὲ ἐκείρετο, καὶ ταύτην ἀήθη Πλάτωνι, καὶ δακτυλίους δὲ πολλοὺς φορῶν ἐκαλλωπίζετο ἐπὶ τούτῳ, Primum dissidium Aristotelis adversus Platonem ex his ferunt initium cœpisse. Non probabat ejus vitam Plato, neqve corporis habitum & ornatum. Nam Aristoteles & vestibus & calciamentis pretiosioribus utebatur, & tonsurâ, quam Plato non probabat, annulisqve ferendis se exornabat. *Verùm, tantum abest, ut hoc nomine traducendus fuerit Aristoteles, ut potius hanc ipsam ob causam laudem mereatur. Quæ enim isthæc stultitia aut arrogantia est, intonso capillo, impexâ barbâ, inculto supercilio, veste hirtâ aut sordente, baculo, ollâ, perâ insignem esse cupere, & animum virtute ac sapientiâ excellentem polliceri? Meritò istiusmodi quorundam consuetudinem reprehendit, & à tali ostentatione eum, qui Philosophiæ se dedidit, arcet Seneca Lib. I. Epist. V:* Illud te, *inquit*, admoneo, ne eorum more, qui non proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua, quæ in habitu tuo, aut genere vitæ notabilia sunt. Asperum cultum & intonsum caput, & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, [*id enim renuebant illi, fictilibus contenti*] & cubile humi positum, & quicquid aliud ambitionem perversa via sequitur, devita. *Sed & Horatius ridet*

quosdam, qui eodem propè modo Poëtarum nomen aucupabantur, quo illi Philosophorum. Nanciscetur enim, *inquit*, nomen pretiumque Poëtæ, si tribus Anticyris caput insanabile nunquam Tonsori Licino commiserit. *Quod si idem fecit Aristoteles, & non solùm sermone, sed & moribus risit, qui in neglecto planè cultu corporis singulare quid quærebant, eo ipsô honestatis limites prætergressus non est, nec mollem aut delicatum est professus. Quis enim hodie honestior paulò aut non tondet, aut annulo non utitur & veste cultiore? numquid autem hos omnes molles & nimium dixeris delicatos? Quod si id Platonem ursit, parum refert. Sufficit, quod factum ipsum ita comparatum non sit, ut jure quidpiam in eo reprehendi possit aut desiderari. Ingratitudinis ergò in Præceptorem immeritò hactenus Aristoteles fuit postulatus. Sed nondum finis est accusationum. Ajunt enim Aristotelem prætereà insigniter fuisse* avarum, *adeò, ut Lucianus ejus*
(4.) *causâ finxerit*, Alexandrum etiam apud inferos ei exprobrasse, quod divitias summi boni ac felicitatis partem constituisset, ut tàm specioso prætextu summas à se opes impetraret. *Sed iterum injuria fit illi. Numquid enim avarus is dici potest, qui adeò facilem se præbet ad suppetias ferendas egentibus, aut saltem egestatem simulantibus, ut alij vitio id verterint ipsi? Sic enim memorat Laërtius, probro ei datum fuisse, quod flagitiosô homini, misericordiâ commotus, opem tulisset. At ille respondit,* οὐ τὸν τρόπον, ἀλλὰ τὸν ἄνθρωπον ἠλέησα, Non mores miseratus sum, sed hominem. *Vel, ut alij referunt,* οὐ τῷ ἀνθρώπῳ, ἀλλὰ τῷ ἀνθρωπίνῳ, *id est*, non homini, sed humanitati, *ut Seneca loquitur, sine dubio ad hæc Aristotelis verba alludens lib. IV. de beneficiis c. XXIX. Sed & Herodes Atticus apud Agellium ad ea videtur allusisse in re pari dicens:* Demus huic aliquod æris, cuimodo est, tanquam homines, non tanquam homini. *At hoc certè non est hominis avari, qui, ne dignis quidem dat, nedum indignis: sed liberalis potius, qui* εὐκοινώνητος *est*, facilis & tractabilis

bilis, & magis dolet, si sumptus non fecerit, ubi oportet, quàm si fecerit, ubi non oportet, *ut ipse loquitur IV. Ethic. cap. I. Bene autem habet, quod avaritiæ Aristotelis testem alium non laudent, quàm Lucianum. Quo enim loco is habendus sit, neminem latet; & etiamsi vel maximè lateret, vel ex hoc ipso satis cognosci posset, quod Aristotelem scribit divitias partem ipsius felicitatis constituisse. Nuspiam enim is dicit, felicitatis partem esse divitias, sed potius felicitatem ponit in continuatione quadam actionum honestarum, quæ per totam vitam diffunditur. Quia autem ad actiones honestas obeundas & bona externa requiruntur, inter alia autem & divitiæ, ad felicitatem & has requirit, ast non ut partem, sed ut ὄργανα, quibus vir beatus indigeat ad opera liberalitatis, justitiæ, & alia similia, adeò ut juxta Aristotelem absq; divitiis beatum quidem esse non liceat (sermo autem hic est de beatitudine non quâvis, sed civili) non tamen ideò beatitudo in iis consistat. Differunt enim non parum, per aliquid beatum esse, & sine aliquo beatum esse nō posse, sicut & differentia est, inter* sanum esse *& inter ea,* sine qvibus *non licet sanum esse, ut sunt commodus cibus & potus, item motus &c. ut ipse Aristoteles distinguit lib. I. Eud. cap. II. Cumprimis verò observationem meretur locus ex VII. Polit. c. I, ubi prolixè suam hac de re sententiam proponit & explicat. Disertè enim ait,* felicitatis tantum unicuiqve contingere, qvantum virtutis atq; prudentiæ, & qvantum secundum has operationis, *atq; adeo* felicem *& beatum non esse* per aliqvid externorum bonorum, *sed* per se, *sive eo quod talis sit* secundum naturam, *ideoq; & aliud esse εὐτυχίαν ab εὐδαιμονίᾳ,* tantum nihilominùs externarum facultatum ad εὐδαιμονίαν requiri, quantum sufficiat ad actiones secundum virtutem. *Sed nolumus in his diducendis esse prolixiores. Id miramur, qvosdam ausos esse scribere, non Lucianum solùm, sed & aliquos ex ipsius Aristotelis successoribus, sive Peripateticis, nempe* Lyconem *&* Aristoclem, *Philosophum ava-*

 ritiæ

ritiæ postulasse. Utrumq; enim, teste Theodoreto XII. passionum Græcarum memoriæ prodidisse, quod post interitum ipsius inventæ fuerint patellæ trecentæ, vel ut alii septuaginta quatuor, olei plenæ, quo sese abluere solitus fuerit, illudque postea vendere. Verùm illi falluntur & fallunt. Quod enim illi ab aliquibus Peripateticis factum esse scribunt, id ne de uno quidem verum est. Lycaonem quidem id objecisse Aristoteli certum est, & refert de eo Aristocles, at hic non Peripateticus fuit, sed Pythagoreus potius, aut non tàm fuit, quàm esse voluit. Aristocles autem tantùm ab eo abfuit, ut id Magistro objiceret, ut potius insanire eos putaret, qui tale quid adversus illum confixissent, quod ex verbis, quæ habentur apud Eusebium XV. Præparat. cuivis intelligere est in promptu. Theodoretus autem l. c. nihil aliud scribit, quàm hoc, Aristoclem referre quod Lyco Pythagoreus tale quid de Aristotele scripserit. Aristoclem autem Lyconi hac in re consentire non dixit. Theodoreti verba sunt: Ἀριστοκλῆς ὁ περιπατητικὸς, Λύκωνα ἔφη τὸν πυθαγόρειον περὶ Ἀριστοτέλους φάναι, ὅτι ἐν ἐλαίῳ θερμῷ λουόμενος, τοῦτ' ὕστερον ἀπεδίδοτο· καὶ ἥνικα δὲ εἰς χαλκίδα ἀπῄει, τοὺς τελώνας ἔφη, διερευνωμένους τὸ πλοῖον, εὑρεῖν αὐτῷ λοπάδας χαλκᾶς τέτταρας καὶ ἑβδομήκοντα· ἄλλους δέ τινας εἰρηκέναι τριακοσίας αὐτὸν ἐσχηκέναι λοπάδας. Aristocles Peripateticus Lyconem Pythagoreum de Aristotele testari ait, morem illi fuisse, ut oleum venderet, qvo se prius calido perunxisset: cùmqve is in Chalcidem abiret, publicanos, explorato ejus navigio, invenisse patellas æreas ejus quatuor ac septuaginta, auctores autem quosdam alios esse, patellas illum habuisse trecentas. *De Aristocle plura non refert, licet ipse existimet auctores, qui id de Aristotele memorent, non penitus mentiri, quod in hujusmodi rebus ille statueret felicitatem. Sed quid de hac opinione judicandum sit, paulò ante est dictum. Sed & hoc mirari subit, quî fiat, quod avaritiæ hi incusent, quem alii prodigalitatis damnare non dubitant, & qui-*

dem

dem Luciano longè antiquiores, ejusdem tamen fidei cum istis. Inter illos primus est Epicurus, qui Ptolemæi Lagi degit temporibꝰ, testis scilicet pergravis & cui præcipuè habenda fides. Scribit enim in epistolâ περὶ ἐπιτηδευμάτων, *Aristotelē fuisse* ἄσωτον καταφαγόντα τὴν πατρῴαν οὐσίαν στρατεύεσθαι καὶ φαρμακοπωλεῖν, prodigum, qui paternâ substantiâ consumtâ militarit & venena vendiderit, *referentibus Athenæo lib. IIX. c. VII. & Diogene Laërtio lib. X. in vitâ Epicuri. Sed & Timæus, qui sub Ptolemæo alio, Lagi filio, itemq; Ptolemæo Philadelpho vixit, ejusdem rei testis est, ut Æliani amplius mentionem non faciam, qui videri potest lib. V. Hist. variæ IX. Sic enim de illo Athenæus c. l.* Τίμαιος ὁ Ταυρομενίτης καὶ Ἀριστοτέλη τὸν φιλόσοφον ὀψοφάγον φησὶ γεγονέναι. *Suidas quoq; in voce* Ἀριστοτέλης, Τίμαιος, inquit, κατὰ Ἀριστοτέλους, εἶναι αὐτὸν — γαστρίμαργον, ὀψαρτυτὴν, ἐπὶ στόμα φερόμενον ἐν πᾶσι, Timæus contra Aristotelem dicit ipsum fuisse helluonem, qui obsoniis inhiaret atqve ad os & palatum omnia referret. *Sed quis & qualis & testis ille? Scilicet hic est ille Timæus, qui ob scriptorum suorum futilitatem & vanitatem,* γραοσυλλέκτρια, id est, anus collectrix, *est appellatus, quod vetularum judicio carentium instar obvia quæq; colligeret, & in scripta referret, testante Hesychio lib. de iis, qui eruditionis famâ claruerunt, & Suida in voce* Τίμαιος. *Hic ille, qui ob linguæ virus & maledicentiam, quam in omnes exercuit, non Timæus, sed* ἐπιτίμαιος *est appellatus. Ita enim de eo Diodorus Siculus lib. V:* Διὰ τὰς ἀκαίρους καὶ μακρὰς ἐπιτιμήσεις εὐλόγως διαβάλλεται, καὶ διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς ἐπιτιμήσεως Ἐπιτίμαιος ὑπό τινων ὠνομάσθη, Jure meritoqve reprehenditur [Timæus] propter verbosas & intempestivas reprehensiones. Unde & ob nimiam taxandi libidinem & acerbitatem Epitimæus, *id est*, taxator à quibusdā nominatus est. *Ita Diodorus. A quo non abit Strabo XIV. Geograph. ubi eum* βάσκανον καὶ συκοφάντην, invidum & calumniatorem *appellat, atq; similiter à reprehendendi studio ait vocatum* ἐπιτίμαιον. *Nec aliter Cornelius Nepos de eo sensit, qui in*

Alcibiade maledicentissimum *eum vocat. Neq; omittendus est Polybius, his omnibus antiquior, qui lib. XII. de eo sic scribit:* ἐκεῖνος [Τίμαιος] οὐκ εἰκότως τυγχάνει συγγνώμης, οὐδὲ πίστεως ὑπ' οὐδενός, διὰ τὸ προφανῶς ἐν ταῖς λοιδορίαις ἐκπίπτειν τοῦ καθήκοντος διὰ τὴν ἔμφυτον πικρίαν, Ille [*Timæus*] indignus, cui à quoquam, ignoscatur, & fides habeatur, videri debet, quia apertè in maledictis ab officio discedit, ac deflectit, propter insitam acerbitatem. *Mittimus Clementem Alexandrum, Plutarchum & Longinum, qui idem per omnia de eo judicium ferunt, hic quidem in lib.* περὶ ὕψους, *iste autem tàm in Dione, quem locum etiam Photius citat Codice CCXLV. quàm Niciâ, ille deniq; in I. Stromatum libro. Tandem & hoc addunt, quod animo fuerit prorsus effœminato. Id enim vel ex eo patere, quod seipsum, postquam ab Atheniensibus in Chalcidem relegatus esset, exhausto poculo sicutæ, vitâ privavit. Ita n. de ipso referre ex Eumolo Laërtium in vitâ ejus. Et certè meritò talis haberetur, si verum id esset, quod de eo memorat ille Eumolus. Ipsemet enim lib. III. Ethic. cap. VII. eos,* qui sibi mortem consciscunt potius, quàm grave aliquod & acerbum malum perpeti volunt, non fortes, *ut vulgò credebant,* sed ignavos potiùs parviq; & abjecti animi pronuntiat habendos. Facto ipso enim, *inquit*, ostendũt, se id, quod fugiunt, vincere non posse, neq; pares esse casui sustinendo, propter quem vitam relinqvunt. *Id autem effœminatam potius animi mollitiem, quàm magnitudinem demonstrat. Quo accedit, quod non honestatis & decoris causâ, sed mali fugâ & molestiæ vitandæ causa sibi mortem accersant. At vir fortis honesti causa omnia agit. Verba Aristotelis ipsa, si quis desideret, hæc sunt:* τὸ δ' ἀποθνήσκειν, φεύγοντα πενίαν ἢ ἔρωτα, ἤ τι λυπηρὸν, οὐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ· μαλακία γὰρ τὸ φεύγειν τὰ ἐπίπονα· καὶ οὐχ ὅτι καλὸν ὑπομένει, ἀλλὰ φεύγων κακόν, Mortem, sibi ipsi eo fine ut fugiat paupertatem, aut amorem, aut aliud quid molesti, non fortis, sed timidi potius est & ignavi. *Mollis enim & fracti animi*

nimi est fugere laboriosa, & non sustinere honestatis ergo, sed malum declinare. Verùm valdè veremur, ne ejusdem hoc, quod modò Eumolum de Aristotele apud Laërtium referre vidimus, sit commatis cum reliquis duobus, quæ de eodem apud eundem memorat eodem loco. Ait enim ipsum Platoni triginta annos natũ se in disciplinam dedisse; quod falsum esse ipse Laërtius docet. Constat enim, inquit, quod septimo decimo ætatis anno Platonem audire cœperit, quod & nos jam supra ex Apollodoro retulimus. Item mortuum esse dicit anno ætatis septuagesimo, cum tamen idem Apollodorus, & cum eo Dionysius Halicarnassæus loco supra cit. Censorinus item de die Natali, Auctor Græcus, qui descripsit vitam Aristotelis, & alij probatissimæ fidei auctores unanimi consensu dicant, eum anno ætatis LXIII. vitam finiisse, qui climactericus annus est, quo & alia præstantissima ingenia extincta, ut par illud principum inter Oratores, Demosthenes & Cicero. Et sanè tale & tertium illud esse, amplius non dubitamus. Referunt enim auctores, quorum fidem labefactare non ita facile est, Aristotelem non in Colchidem ab Atheniensibus relegatum, sed sponte sua ivisse, postquam in eum Athenienses conspirassent, accusatum ut scribit Origenes contra Celsum, quod ἀσεβὴς & ἄθεος esset, aut ab Eurymedonte Hierophantâ Cereris, ut ait Laërtius, aut à Demophilo, ut prodiderat Phavorinus, quod hymnum in Hermiam scripsisset. Addunt præterea, quo fine eo profectus fuerit, nempe, quod metueret sibi, ne ab Atheniensibus eodem supplicio afficeretur, quo ante Socratem, similem ob causam affecerant. Inde enim cum interrogaretur à quopiam, cur reliquisset Athenas, respondisse dicunt, ideò id à se factum, quod committere noluisset, ut Athenienses bis peccarent in Philosophiam, tacitè Socratis mortem innuens, & suum periculum. Meminit ejus post alios, inter quos & Ælianus est lib. III. Variæ Historiæ cap. XXXVI. vitæ Aristotelis Auctor Græcus, qui addit, eum ad Antipatrum quoq; regem scripsisse, eiq; significasse, quàm plena periculi res esset Athe-

Athenis vitam degere, idq; verbis Homeri ex Odyss. H. leviter inflexis: ὄγχνη *(ita enim legendum, non* ὄχνη, *ut vulgo legitur,)* ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ, Et pyra ante pyris, ficusq; in ficubus extant, *significans calumnias Atheniensium assiduas esse, neque unquam fuisse intermissas, sed alias aliis, ut poma, successisse. Sed & Phavorinus in omnimoda historia testatur, Aristotelem hunc versiculum contra Atheniensium calumnias jactasse, apud Laërtium c. l. itemq; Ælianus & Eustathius ad locum Homeri, ex quo Aristoteles versiculum hunc conglutinavit.* ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ. Αὐτὰρ ἐπὶ σταφυλῇ, σ(τ)άφυλον, δὲ ἐπὶ σύκῳ. *Hanc ergo ob causam in Chalcidem secessit Aristoteles, ne Athenienses ob impietatis crimen ei ab invidis hominibus licet iniquè intentatum, idem supplicium de eo sumerent, quod sumserant de Socrate, quem in carcerem conjectum cicutam bibere coëgerunt. Quod si verò ideo Athenis profugit, ne à Senatu cicutam bibere exemplo Socratis cogeretur, qui verisimile est, ipsum proprio motu cicutam bibisse, sibiq; hoc ipso mortem intulisse? Nonne satius fuisset ab aliis præter jus & fas illatam forti animo contemnere, eoq; ipso immortale sibi nomē comparare, quod Socrates fecerat, quàm seipsum interficiendo æternam sibi ignaviæ maculam, quæ apud totam posteritatem nullo pacto elui queat inurere? Cæterum & id non parū suspectum reddit totū hoc, quod non omnes, aliàs in eo consentientes, quod violētas sibi manus intulerit, conveniant in specie mortis describendâ. Sunt enim qui non cicutæ haustu eum periisse, sed desperatione ductum in Euripum se præcipitasse memorent, atq; sic extremum diem clausisse, quod naturam Euripi aut causam reciprocationis ejus assequi non posset, ut refert Elias Cretensis Comm. in Orat. III. Nazianzeni. Nonnus in collectione & expositione profanarum Historiarum, quarum Gregorius Theologus meminit in priore invectivâ adversus Julianum Apostatam n. XXXIII. hanc rem ita refert:* Aristoteles Philosophus, rerum omnium, ut videtur, naturam perscrutatus

tatus, Euripi qvoqve naturum indagare & cognoscere voluit. Quam cum asseqvi non potuisset, in hanc maris partem se præcipitem dedit, atqve interiit, his verbis utens: Ἐπειδὴ Ἀριστοτέλης οὐχ εἷλε τὸν εὔριπον, εὔριπος ἐχέτω τὸν Ἀριστοτέλην, Quoniam Aristoteles Euripum minime cepit, Aristotelem Euripus habeat. Atq; ita negotio infecto mortem obiit Aristoteles. *Verũ hæc relatio non minus fabulosa est atq; altera illa, quâ cicutâ epotâ dicebatur interiisse. Quis enim veterum hujus rei mentionem facit? Laudant quidem ipsum Gregorium Nazianzenum, quem id innuere dicunt Orat. III, quæ est prima in Julianum. Verum is disertè non scribit, Aristotelem se in Euripum dedisse præcipitem, sed nimium causæ fluxus & refluxus Euripi indagandæ intentum, viribus tandem destitutum è vita excessisse. Verba ejus hæc sunt:* Ἐπαινεῖς καὶ τὴν Ὁμήρου φιλομάθειαν περὶ τὸ Ἀρκαδικὸν ζήτημα, καὶ τὴν Ἀριστοτέλους φιλοσοφίαν καὶ προσεδρείαν ἐπὶ ταῖς τοῦ Εὐρίπου μεταβολαῖς, ὑφ' ὧν τεθνήκασι, Laudas (*Julianum alloquitur*) cum in Homero discendi amorem circa Arcadicam qvæstionem, tum in Aristotele Philosophiam & diutinam moram ad reciprocos æstus Euripi, qvibus uterqve occubuit. *Quibus verbis voculam* ὧν *illi quidem ad Euripi* μεταβολὰς *referunt. Sed male. Sic enim & Homerus se in Euripum præcipitem dedisset, & fluctibus ejus submersus fuisset, quod tamen non memini à quoquam hactenus memoriæ proditum esse. Hoc autem referunt, qui occasione Arcadicæ quæstionis Homerum vitam finiisse narrant. Arcadia, inquiunt, regio quædam est in Peloponneso; ad hanc cum aliquando profectus esset Homerus, in piscatores quosdam pediculis quærendis operam dantes incidit, atq; ad hunc modum eos interrogavit:* Ἄνδρες ἀπ' Ἀρκαδίας ἁλιήτορες ἦ ἔχομέν τι, *h. e.* Viri Arcades piscatores, num quid piscati sumus? *Piscatores autem respondentes, hunc versum illi regesserunt,* Οὓς ἕλομεν λιπόμεθ' οὓς δ' οὐχ ἕλομεν φερόμεθα, Liqvimus acceptos, non captos ferre necesse est.

Cujus quidem versus hæc erat summa: Pediculos, quos cepimus, interemimus, ac proinde non habemus: quos autem capere non potuimus, in vestibus ferimus. Quod cum Poëta intelligere nequisset, mœrore confectus, interiit. Non ergò genitivus ille, ὧν, *apud Nazianzenum ad* τὰς τοῦ Εὐρίπου μεταβολὰς, *sed ad* φιλομάθειαν *&* περιεργίαν *referendus est, adeò, ut verbis adductis, nihil aliud, nisi hoc, indicet Gregorius, Homerum quidem solutioni ænigmatis à piscatoribus propositi nimis intentum, Aristotelem autem causas reciprocationis altius secum rimantem, sed irrito utrinque eventu, morti occubuisse. Quod ipsum de Aristotele, ut Procopii qui Lib. IV. videndus est, nunc mentionem non injiciamus, jam ante Gregorium refert & Justinus, Philosophus ac Martyr in cohortatione ad Græcos his verbis:* ὁ Ἀριστοτέλης τὴν τοῦ Εὐρίπου φύσιν τοῦ ὄντος ἐν Χαλκίδι οὐκ γνῶναι δυνηθεὶς, διὰ πολλὴν ἀδοξίαν καὶ αἰσχύνην λυπηθεὶς, μετέστη τοῦ βίου, Aristoteles, cùm naturam Euripi in Chalcide existentis percipere non potuisset, viribus ob verecundiam pudoremq; destitutus, excessit è vita. *Quorum virorum auctoritatem etsi magni faciamus, adduci tamen hactenus nondum potuimus, ut credamus, hanc veram mortis fuisse Aristotelis causam. Talis enim fuit huic Philosopho indoles, ut potuerit æquâ mente aliqua ignorare, cùm optimè noverit, quod non sit unius hominis, omnia intellectus acie pervidere, sed quædam esse & aliis relinquenda. Unde & alicubi, videlicet lib. Sophist. c. ult. veniam sibi haberi petit, si quæ non exactè satis tradiderit, sed omiserit nonnulla. Sed quicquid sit de aliis, quod causa fluxus & refluxus Euripi eum non latuerit, manifestum est vel ex ipsis problematibus, ubi inquirens, quæ causa sit ventorum, qui flatu converso è mari in terram revertuntur, & Græcis* τροπαὶ *dicuntur, ait fortè eandem eorum esse causam, quæ Euripi reciprocationis.* Nam & mare, *ait*, & aër eatenus feruntur, quatenus profluere fluunt, & sic & venti, qui è terra exorti in mare feruntur. Deinde autem obice posito amplius progrediendi licen-

licentia his tollitur, quod suæ motionis & lationis primordia minus habeant valida, reciprocantur & redeunt. *Nempe existimat Aristoteles Euripum per declivem fundum fluere, cursumque suum tamdiu continuare, donec offendat loca minus depressa, tum namq; reflecti & refringi rursum, perinde ut pila reflectitur ad parietem projecta. Hanc enim aquarum esse naturam, ut tamdiu fluant deorsum, quamdiu possunt, quando verò irruunt in terram, quam propulsare nequeunt, tum repercutiuntur & refluunt. Eandemq; & ventorum ait esse indolem, unde concludit, similem ob causam ventos è mari, cum obicem invenerint, qui transitum ulteriorem prohibeat, in terram reciprocari. Cum ergo exemplo accessus & recessus Euripi tanquam clariori & notiori utatur ad causam similium rerum magis latentem illustrandam, qui dici potest eum causam ignorasse, atq; ideò præ tædio mortuum esse? Denique hujus narrationis vestigium nullum extat apud veteres Scriptores, qui mortis Aristotelis faciunt mentionem. Apollodorus apud Laërtium c. l. dicit eum,* cum tredecim annos in Lycéo docuisset, migrasse Chalcidem anno tertio Olympiados centesimæ decimæ quartæ, ibique morbo periisse, qvum esset annorum fermè sexaginta trium. *Consentit Dionysius Halicarnasseus sic scribens:* Mortuo Philippo sub Duæneto Athenas rediens duodecim annos docuit in Lycéo. Anno decimo tertio mortuo Alexandro, sub Cephisodoro Archonte, cum in Chalcidem transiisset, ex morbo periit, annos natus tres & sexaginta. *Censorinus, qui Sec. III. sub Gordiano floruit & insignem de die natali libellum scripsit, in hoc ipso libro insinuat, eum ex morbo ventriculi periisse. Verba ejus sunt:* Aristotelem ferunt, naturalem stomachi infirmitatem, crebrasque morbidi corporis offensiones adeò virtute animi diu sustentasse, ut magis mirum sit ad annos LXIII eum vitam protulisse, qvàm ultra non pertulisse. *Hæc omninò verisimile est ita se habere. Quid enim assiduæ vigiliæ & nunqvam inter-*

missa studia literarum aliud secum trahunt, quàm varias corporis molestias, cumprimis verò & ventriculi infirmitates? At quis unquam majori industriâ bonis literis operam navavit, atq; in evolvendis optimis auctoribus magis sedulum se præstitit, quàm Aristoteles? Ipse Plato ex nobili lectionis multijuga variantisq; cura ἀναγνώστην *eum nuncupavit, & domum ejus domum Lectoris, ut refert Auctor vitæ Aristotelis, quem Nunnesius edidit,* tanquam lector foret, *utimur verbis Cœlij Rhodigini ex lib. XVII Antiquar. Lection. c. XVII,* infatigabilis & χαλκέντερος *planè, ut Græci dicunt, ac* sititor inexplebilis. *Diogenes autem scribit, solitum illum fuisse* utriculum olei calidi stomacho adhibere, &, cum se ad quietem componeret, æream sphæram tenuisse in manu pelvi subjectâ, eo consilio, ut cum dormientis manu excussa sphæra in subditum æreum vas incidisset, sono illius excitus exsurgeret. *Quo fine autem utriculum olei calidi stomachi applicuit? Sanè non alio, nisi illius confortandi ergò, cujus infirmitate ob assiduos labores & vigilias laborasse ipsum paulò ante cognovimus ex Censorino. Inter fomenta enim calida numeratur & hoc ab Aurelio Cornelio Celso lib. II. de re Medicâ cap. XVII:* Fomenta calida, *inquit,* sunt milium, sal, harena; qvodlibet eorum calefactum, & in linteum conjectum. Qvin etiam calido oleo replentur utriculi: at in vasa fictilia, ad similitudinem, qvas lenticulas vocant, aqva conjicitur & sal sicco linteo excipitur, demittiturqve in aqvam benè calidam, tum super id membrum, qvod fovendum est, collocatur. *Sed parum fortassis refert, qualiscunq; fuerit mors Aristotelis, qualescunq; etiam per totam vitam fuerint ejus mores. Nunc enim non de moribus, sed doctrinâ solùm ejus soliciti sumus, quæ certè ita comparata non est, ut ad vitia, sed ad virtutis studium nos ducat. De Peripateticis Theodoretus, l. c. inter alia ita scribit:* Οἱ περιπατητικοὶ λόγῳ μὲν εὐφήμουν τὴν ἀρετὴν, ἐκύδαινον δὲ ἔργῳ τὴν ἡδονὴν, Peripatetici verbis qvidem virtutem laudarunt, reipsâ autem

volu-

voluptati studuerunt. *Idem verum & de Aristotele ipso, Peripateticorum Principe, Philosophia tamen ejus, etiam moralis, laude suâ non erit fraudanda. Sufficit enim quod ad virtutem omnia, quæ inibi proposuit, sint directa, & tàm solidè pertractata, ut à nullo, neq; ante, neq; post ipsum factum est, ut vel hujus solius intuitu, quantô præ aliis judicio præditus fuerit, cuivis colligere liceat vel leviter solum animum advertenti. Iis tamen, qui minus æquos se Philosopho huic præbent, ne hoc quidem facilè persuaserit quisquam. Neq; enim, inquiunt, tam excellens & divinum fuit ejus ingenium, quàm quidem vulgo esse putatur. Quin sunt, qui non vereantur dicere, fuisse eum hominem rudem atq; indoctum. Ita enim de Timæo refert Suidas, quod scripserit, eum fuisse hominem* ἀρεχῆ, προπετῆ, ἀλλ' οὐ σοφιστὴν, ὀψιμαθῆ, levem, temerarium, minimè sapientem, hominem, qvi serò discere cœperit &c. *Sed calumniam hanc abstergit ipse Suidas:* Δοκεῖ δή μοι, *inquit,* τὰ τοιαῦτα μόλις ἄνθρωπος ἀγύρτης καὶ προπετὴς, ἐπὶ δικαστηρίου ῥιψολογῶν ἀνεκτὸς φανῆναι· ὅτι Ἀριστοτέλης τῆς φύσεως γραμματεὺς ἦν τὸν κάλαμον ἀποβρέκων εἰς νοῦν, Si qvis circulator & temerarius homo talia verba in judicio effutiret, vix tolerari mihi posse videtur. Aristoteles enim fuit naturæ scriba, calamum imbuens mente, *innuens, quoad magna ingenij subtilitate naturæ penetralia fuerit scrutatus. Cujus simile quid apud Isidorum Hispallensem occurrit. Narrat enim is lib. II. Originum c. XXIIX. seculo suo id crebris sermonibus usurpari solitum,* Aristotelem, cum librum περὶ ἑρμηνείας scriberet, calamum in mente tinxisse, quod incredibili acumine ingenii librum hunc conscripsisse æstimaretur. *Quid alij sapientissimi & in toto Orbe celeberrimi viri de Aristotelis doctrina senserint, ex parte vidimus jam supra. Nunc audiamus & Ciceronem. Sic enim ille in Oratore:* Quis omnium ait doctior? quis acutior? quis in rebus vel inveniendis vel judicandis acrior Aristotele fuit? *In I. Tuscul. vocat illum* præstantem animi ingenio, & virum summo ingenio,

 nio,

nio, *In I. Academ.* ingenii abundantiâ præstantem. *Porrò lib. I. de Divinat.* Virum singulari ingenio & penè divino, *Lib. II.* virum excellentem subtilitate. *Deniq; in I. de finibus,* divinum *ejus* ingenium *appellat. Audiamus & Laërtium, qui* εὑρετικώτατον *&* ἀπολογικώτατον *eum nominat, h.e.* virum maximo ingenio ad inveniendum, & explicandas rerum causas. *Sed & Quintilianum audiamus, qui sic de eodem scribit Lib. X. Instit. Orat. c. I:* Quid Aristotelem? quem dubito scientiâ rerum, an scriptorum copiâ, an eloquendi suavitate, an inventionum acumine, an varietate operum clariorem putem. *Verum quid alios adduco? Prodeat in medium Plato ipse & de ingenio discipuli sui testimonium dicat. Philoponus sanè in libro de mundi æternitate refert, Platonem ita admiratum fuisse* τὴν ἀγχίνοιαν *Aristotelis, ut eum* νοῦν τῆς διατριβῆς, mentem scholæ, *diceret. Idem testatur Auctor vitæ Aristotelis, quem Nunnesius edidit ex vetere translatione. Ait enim, Aristotele absente, à lectione, clamasse,* intellectus abest, surdum est auditorium, *nempe, quod in eo vox Aristotelis percunctantis aut disserentis non audiretur. Quo sensu lib. I. de methodo* κωφὸν θέατρον *& Varro IIX. de lingâ Lat.* surdum theatrum *appellant, in quo nullius vox auditur. Cœlius Rhodiginus lib. XXIX. Lect. Antiqu. c. VII. adjungit, solitum Platonem dicere,* cum Aristoteles Scholæ non interesset, Philosophum veritatis abesse. *Sic enim hanc rem enarrat:* Qvum fortè in auditorium venisset, nec adesset Aristoteles, succlamavit, ἄπεστι ὁ τῆς ἀληθείας φιλόσοφος, *i.e.* abest veritatis Philosophus. Cum iterum non accessisset, dicere non dubitavit, ὁ νοῦς οὐκ ἦλθεν, i. e. non venit intellectus. *Nec minus ingenij ejus magnitudinem prædicavit, cum illud vulgò tritum diceret,* Aristotelem freno, Xenocratem calcaribus *indigere, itemq; istud:* Ἐφ' οἷον ἵππον οἷον ὄνον ἀλείφω, cui equo, quem asinum jungo, *ingenij tarditatem in Xenocrate innuens, in Aristotele autem* præstantiam ejus & vigorem. *Similia*

plura

plura adduci possent. Verum cum res ipsa loquatur, non opus est ea accumulare. Sumat quis scripta ejus ad manus, illaque eâ, quâ par est, diligentiâ & sine partium studio evolvat, ac mirari cogetur, qui Ethnicus homo revelationis lumine destitutus, res adeò multas easq; abstrusissimas animo suo complecti potuerit ac penetrare? Et sane ipsimet ejus calumniatores diffiteri non audent, plurima in eo contenta ab excellenti esse profecta ingenio, negant tamen ea inventa fuisse ingenii illius. Pleraque (8)
enim ex priscis, qvos noctes diesque manibus versarit, auctoribus descripsisse, quos postmodum compilato ex illis, quicquid ipsi præ aliis undique arriserat, ne ipsius furta paterent, atque inde translatorum dogmatum Peripateticæ gloriæ firmiorum, fundamenta congesta, Vulcano consecrarit. Sed hæc futilia rursus ac frivola existunt. Id quidem negari non potest, Aristotelem laboribus priscorum multum profecisse, eorumq; inventis etiam in adornandis scriptis suis fuisse usum. Nam & ipsemet hoc fatetur cum alibi, tum lib. Sophist. c. ult. & nos suo loco in hoc ipso libro dilucide satis ostendimus. Ast eo nomine haud erat vituperandus. Quô fine enim legimus bonos Auctores, nisi ut optima quæq; quæ in iis reperiuntur, in usum nostrum, imò velut in succum & sanguinem, convertamus? Neq; vero qui hoc facit, exscribere statim dicendus est. Exscribere enim quid est, nisi quod ab aliis scriptum sit, transferre, ut inquit Agræstus celato scil. illorum nomine & servato eodem sive ordine, sive etiam verbis iisdem. At hoc de Aristotele dici non potest. Longè alia enim methodo ille usus est, quam veteres Philosophi, qui ante ipsum vixerunt, sicut & monuimus jam ante: itemq; alio genere sermonis. Non enim Philosophiam mythicam amplexus est, ut Poëtæ veteres; nec symbolicam, quâ Pythagoras usus, & sæpè etiam Plato; sed apertam, quæ proprietate gaudeat verborum, ut jam ante nobis notatum. Ex ordine autem & methodo, quâ quis in tradendis rebus utitur, quam maximè, quo quis judicio

polleat, patescit. Quodsi autem aliquando & verbis alicujus Scriptoris usus est, id non subticuit, sed auctorem ipsum citavit, veluti Polum I. Met. c. I. Simonidem c. II. Hesiodum I. Ethic. c. II. Agathonem VI. c. II. & IV. Homerum cap. VII. Euripidem, c. IX. Evenū l. VII. c. XI. & alios quam plures. Quod autem dicitur, illū priscorum libros, ex quibus sua mutuatus fuerit, igni cremandos tradidisse, *id quidem ea omnia, quæ hactenus adversus optimum Philosophum conficta fuerunt, superat non parùm. Longè alia fuit Philosopho huic mens, longè alius animus, utpote qui ipsemet requirit, ut non solùm gratias agamus iis, quorum opinionibus acquiescimus, sed & illis, qui rudi Minerva dixerunt,* Conferunt *namq;* etiam isti aliquid habitum nostrum exercendo. Si enim Timotheus non fuisset, multum melodiæ non habuissemus. Si tamen Phrynis non extitisset, ne Timotheus quidem. Simili modo & de illis est, qui de veritate disseruerunt. A quibusdam enim aliquas accepimus opiniones; quidam verò, ut hi fierent, causa fuerunt *II. Met. I. Verum novū non est, viris doctrinâ alios superantibus etiam tale crimen per calumniam intentari. Nam & de Hippocrate Medicorum principe vetus est calumnia, quod igne injecto templo Æsculapii, quod in Coö erat, Medicorum veterum scripta omnia deleverit. Non memini tamen quenquam eorum, qui jam olim existimationem Stagiritæ violare præsumserunt, eò audaciæ esse progressum, ut tantùm ei imponerēt scelus. Id quidem tradit Aristocles c. l. Eubulidem in suo adversus Aristotelem libro, quamvis ore mendaci, referre,* hunc Platonis libros depravasse, *at quod igne sive hos, sive aliorum scripta aboleverit, non dicit. Et qui id facere potuisset? Neq; enim eruditionis priscorum sapientum monumenta solùm in iis regionibus extabant, quæ Macedoniæ Regi erant subdita, sed & in aliis, quæ non solùm non Macedonis imperia æstimabant, sed vix ipsius nomen audiebant, qualis erat Italia, quam cum alias sibi subjugaret facilè, intactam relinquere coa-*

ctus fuit Alexander, quod maximas & firmissimas haberet copias, quas illi opposuisset, si in ipsam arma vertisset. De Platone memorat Laertius ex Aristoxeno lib. IX, quod ex odio singulari adversus Democritum consilium ceperit de commentariis ejus, quos colligere posset, comburendis; at cum ei hoc dissuasissent Amyclas & Clinias, nobiles Pythagorei, ex hoc capite, quod irrito eventu id tentaturus esset, cum libri ejus apud plerosq; jam servarentur, consilium suum ilicò mutavit. Quod si Platonem hæc ratio à proposito suo retraxit, ne unius saltem Philosophi scripta flammis exponeret, multò magis eadem, si Aristoteles simile quid cum omnium Philosophorum libris tentare animum suum induxisset, vanum ipsius conatum sedasset ac retudisset. Neque enim eo florebat seculo, quo jam cecidisset Philosophia. Quin potius ea, istis temporibus, cum in Græcia, tum in Italia ita florebat, ut illius ævi fructus omnia inde secula delibarint & priscorum dogmata cujusq; animis tunc ita inhærerent, ut ubiq; Aristoteli satis esset ea vel levissime solùm tangere, ac si notissimas sententias esset contemplatus. Sed ponamus, eum, operâ & opibus Macedonum fretũ, scripta antiquorum oblivione obruere & potuisse & voluisse, & quod illi dicunt etiam effecisse, nonne hoc pacto tota posteritas, quæ Aristotelem insecuta est, scriptis istis orbata fuisset? Qui ergò licuisset subsequentibus Philosophis, iis etiam, qui vel extremis Romani Imperij temporibus floruere, eadem citare, cumq; Aristotelicis & Platonicis conferre, illorumq; priorum sapientiam suis disputationibus nobis relinquere testatam? Sanè, Democritum sæpè citat M. Tullius, & quæ ex ipso desumserit Epicurus, ostendit, in Academicis Qq. Profert etiam verba quædam ejus Diogenes Laertius ex parvo ejus Diacosmo, in vita ipsius, ibidemq; addit, libros ejus Thrasillũ notasse atq; in ordinem digessisse secundũ Platonis ordinem quadripartitũ. At Thrasyllus hic vixit Augusti ꝙ inprimis Tiberij temporibꝰ, ut liquet ex illis, quæ de ipso narrant Suetonius in Augusto c. XCVIII. & Tiberio c. XIV. Tacitus in VI. Annalium, & Dio lib. LV. & LIIX. Multa quoq; ex eodem, itemq; Pythago-

thagoreis & aliis ante Aristotelem florentibus adducit Stobæus, cum in sermonibus moralibus, tùm in Eclogis Physicis; multa ex Archyta Pythagoreo Simplicius in Aristotelis Categorias, ut alios præteream us, his adhuc posteriores. Ut taceamus quoq;, aliqua ex veterum istorũ monumentis, quibus Aristotelem usum fuisse suo loco constabit, etiam ad nostra tempora pervenisse. Velut Ocelli Lucani librum de Mundo, opera item Hippocratis, Xenophontis, deniq; ipsius Platonis, quæ ante omnia cremanda & abolenda curare debuisset. Ex his enim non pauca petiisse eum neminem fugere potest, qui scripta utriusq; inter se contulerit & accuratius pensicularit. Adhæc, si eo fine priscorum libros cremavit, ne furta ejus dispalescerent, necesse habuit & ea, quæ in sua Bibliotheca asservaverat, exemplaria igni committere. Ast sic, cum nullũ non probatorum auctorum, quos habebat, diligenter evolverit, inq; suum usum converterit, exiguum Theophrasto, quem constat successorem fuisse & Scholæ & Bibliothecæ ejus, numerum reliquisset, quem tamen necesse est haud exiguum fuisse. Strabo enim testatur lib. XIII. Apelliconrem Tejum libros Aristotelicos & Theophrasticos magno argento à posteris Nelei, quem heredem Bibliothecæ suæ instituerat Theophrastus, emisse. ἦν γὰρ πολυχρήματος, erat enim prædives, *ut de Apelliconte hoc scribit & Athenæus lib. V. Deniq; non uno loco monet Aristoteles, ut ante omnia cum veritatem circa rem aliquam propositam indagare volumus, diligenter expendamus, quid de re ista senserint veteres, ut si quid illi bene dixerint, id accipiamus, si quid secus, id relinquamus. Rationem dat lib. I. Physic. III.* ἔχει γὰρ φιλοσοφίαν ἡ σκέψις, h.e. „ istiusmodi inqvisitio in veterum sententias aditum ad veritatem nobis facit, quæ Philosophiæ fructus est. *Quibus prorsus similia habet III. Met. I. item XIII. (alias XI.) c. I. ubi hæc occurrunt:* In consideratione, an præter substantias sensiles aliqua sit immobilis & æterna, & si sit, quænam sit, primo speculandum est, quid ab aliis dicatur, ut si quid minus rectè dicant ii, nõ hallucinemur

nemur cum illis, sin verò aliquod nobis cum illis dogma sit commune, non ægrè feramus, si propriè nobis adscribi nequeat. Si enim aliquando nobis contradicant, non nobis solū, sed & illis hoc facient, *quæ verba addit Philoponus in h. l. At quomodo id facere posteris ejus licuisset, si ipse nefario planè ausu veterum scriptis eos privasset? Frivolum ergò hoc commentum est, quo optimum Philosophum præter meritum suum isti homines gravare conantur. Sed quid ad hoc dicemus, quod illi porrò obvertunt? Esto, inquiunt, hoc, fuerit Aristoteles vir doctissimus & judiciosissimus, talis tamen non fuit, qui parem in Philosophiâ non habuerit: aut si omnes reliquos superavit, Platone tamen superior non fuit. Hunc enim passim Aristoteli præferunt sapientissimi viri, etiam ij, qui Aristotelem ob præclaram eruditionem atq; doctrinam magni admodum faciunt, & usq; ad cælum extollunt. Quanti Aristotelem Cicero æstimarit, paulò ante vidimus, Platonem tamen ubiq; ei anteponit. I. Tuscul. Quæstionum n. XXII. hæc habet:* Aristoteles longè omnibus (Platonem semper excipio) præstans & ingenio & diligentia, *II. de leg. n. XIV. Platonem vocat* omnium Principem. *Et in Consolatione,* Philosophorum Principem atq; Magistrum. *In epistolis autem eum appellat* principem ingenii atq; doctrinæ, *nempe l. I. ad Quinct. Fratrem Epist. I. Deniq;* Deum philosophorum *lib. IV. ad Atticum Epist. XV. Idq;, ut Augustinus inquit,* meritò, qvod hic cunctos Philosophos & ingenio & sapientia *superarit. In quam sententiam & alibi, Aristotelem cum Platone conferens, Augustinus ait:* Aristoteles Platonis auditor summo ingenio fuit, sapientiâ tamen Platone inferior. *Arnobius qvoqve lib. I. Platonem vocat* summum apicem Philosophorum. *Quintilianus autem:* Philosophorum, *inquit,* quis dubitet Platonem esse præcipuum, sive acumine disserendi, sive loquendi facultate divinâ quâdam & Homericâ, ut mihi non hominis ingenio, sed quodam Delphico videatur oraculo instructus. *Hæc ille lib. X. Instit. Orat. c. I. Sed nec aliter Græci de illo sensisse viden-*

tur. Neq; enim frustra factum est, quod Aristotelem quidem τὸ δαιμόνιον, at Platonem τὸ θεῖον, quod majus est, nominavêre, & si quæ sunt id genus alia, de quibus inter alios potissimum videndus est Bessario Cardinalis Nicanus & Patriarcha Constantinopolitanus lib. I. adversus Culumniatorem Platonis c. III. Verum quamvis Platoni laudem suam non invideamus, neq; existimemus futurum fuisse, ut ad tam sublime eruditionis fastigium perveniret Aristoteles, nisi ille extitisset, id tamen persuadere nobis hactenus nondũ potuimus, Platonem in Philosophiâ Aristotele esse majorem. Neminem enim in Platone versatum latere potest, quod ille in confirmanda sententia maximam partem utatur principiis communibus & probabilibus, quin & interdum ἀλλοτρίοις, quale est, quod Prodromo n. LVI. ex V. de Republ. adduximus: aut etiam planè falsis, cujus exemplum, ut alia silentio involvamus, in Phadone ipsius habemus, ubi immortalitatem animæ nostræ ex μετεμψυχώσει Pythagoréa deducit. At Aristoteles utitur principiis veris, propriis, ac domesticis. Unde istius argumenta potissimum ad opinionem aliquam ἢ λόγον reddendam sunt comparata: at hujus rationibus vis demonstrandi inest, quæ scientiam in animis legentium producere sit apta. Quò accedit, quod Plato ea, quæ ex lumine naturæ animadvertit, interdum confuderit cum iis, quæ aliunde ipsi innotuerant. Sanè non pauci sunt, qui Platonem cum Hebræis versatum esse existiment & non pauca ab illis didicisse, quæ passim insperserit scriptis suis. Huc pertinet, quod Clemens Alexandrinus lib. I Stromatum eum Philosophum *vocat* ex Hebræis. *Et in Parænesi ad gentes, ubi Platonem alloquitur his verbis:* Νόμους ὅ τοὺς ὅσοι ἀληθεῖς, καὶ δόξαν τὴν τοῦ Θεοῦ, παρ' αὐτῶν ὠφέλησαι τῶν Ἑβραίων, Leges quæcunq; veræ sunt, & de DEO opinio, suppeditata tibi, Plato, sunt ab Hebræis. *Non aliter Theodoretus serm. II. de curandis Græcorum affectibus:* Πυθαγόρας, καὶ Αναξαγόρας, καὶ Πλάτων, αἰνίγματα πολλὰ περὶ τοῦ ὄντος παρ' Αἰγυπτίων καὶ Ἑβραίων ξυνέλεξαν, Pythagoras & Anaxagoras & Plato

Plato multa ænigmata de DEO ab Ægyptiis Hebræisqve collegerunt. *Eôdem sermone Mosen* Oceanum Theologiæ *vocat*, unde & Anaxagoras, & Pythagoras, & Plato parva quædam veritatis lumina desumserint, atq; initia qvædam. *In eadem sententia est & Aristobulus Judæus apud Eusebium IX. Præparat. Evangel. c. II. qui XIII. c. VII. refert & illud Numenii Pythagorei:* Τὶ γάρ ἐστι Πλάτων, ἢ Μωσῆς ἀττικίζων, Quid est Plato, nisi Moses Atticè loquens, *cujus apud Clementem Alexandrinum quoq; fit mentio I. Stromatum. Lactantius tamen lib. IV. c. II. existimat, Platonem ad Judæos nunquã accessisse, neque ea, quæ scripsit, ex sacris literis hausisse, sed* ab Ægyptiis, *ad quos eum amore veritatis accensum certum est penetrasse, quo gentis istius ritus cognoscêret, & sacra. Quicquid sit, sive ab Hebræis ipsis, sive ab Ægyptiis, quos, ab Hebræis edoctos, nonnulla secretiora de rebus divinis dogmata retinuisse, licet anilibus fabulis fœdè commaculata, verisimile est, acceperit, certum est, eum non pauca scriptis suis inspersisse, quæ ex natura cognoscere non potuit, velut mundum à DEO in tempore productum, quod ab Hebræis eum accepisse docet Eusebius lib. X. de præparat. Evang. c. XV, & ante eum Justinus Apol. II. pro Christianis. Itẽ, quæ de spe justorum post mortem scripta reliquit in Phædone, quæ quidem ex Hebraicis scripturis eum desumsisse Clemens Alexandrinus c. l. pronunciat disertè. Hæc inquam, & alia his gemina, quæ sparsim notant citati Auctores, itemq; Augustinus IIX. de C. D. & alij, Plato scriptis suis passim intulit, iisq; quæ ex naturæ lumine cognoverat, interseruit, quod quadantenus* ἀπαιδευσίας, *atq; adeò defectus judicij in ipso est argumentum. Non enim diversa genera confundenda sunt, sed quodque suo loco relinquendum est, ne summa imis, quadrata rotundis misceantur. Vid. I. Post. VII. §1. IX. §. 6. XXIII. §. 4. At hoc quàm accuratissimè observavit Aristoteles, quem non latuit dari aliqua, quæ cognoscantur per demonstrationem humanâ sublimiorem, ut suo loco ostendimus: at hæc cum iis, quæ humanâ demon-*

 stratione

ſtratione nituntur confundere noluit, ſed nec citra ἀπαιδευσίαν, quam toties veteribus objicit, potuit. Porrò, nec de omnibus, imò nec de plerisq; ad Philoſophiam pertinentibus diſſeruit Plato in ſcriptis ſuis, uti Ariſtoteles, qui penè nihil intactum relinquit, nec tàm decenti ac admirando planè ordine ſua proponit, quemadmodum Ariſtoteles, ſed interdum ſatis confuſè, ut quâ ratione, poſteriora cum prioribus cohæreant, ſæpè non appareat: ut taceamus, Platonem ne dictione quidem uti, quæ ſatis idonea ſit ad Philoſophandum. Nimis enim frequenter utitur metaphoris, iisq; nō verecundis, ſed audacibus, duriuſculis & planè Poëticis atq; Φορτικαῖς, cum Philoſophiæ magis conveniat dictio propria aut tralationes ita receptæ atq; uſitatæ, ut penè propriè in re propoſitâ adhiberi poſſe videantur. Quod ut jam ante Alexandrum, qui hoc obſervavit, I. Prior. & Ariſtoteles ipſe paſſim innuit, inter alia & II. Poſt. Analyt. XIII. & VI. Topic. II. ita ubiq; nonniſi iſtiusmodi dictionis genus uſurpavit adeò, ut Dionyſius, ſummus ille ex Cariâ Criticus lectionem Ariſtotelis non ſolùm nobis commendet propter τὸ ἡδὲς καὶ τὸ πολυμαθὲς h. e. jucunditatem & variam eruditionem, *quam vel maximè à viro illo mutuare poſſimus, ſed & διὰ τὴν δεινότητα περὶ τὴν ἑρμηνείαν, καὶ τὴν σαφήνειαν, propter* ſummam, *quam in elocutione adhibuerit,* gravitatem & perſpicuitatem, *in libr. de præcipuis Græcæ linguæ auctoribus. Novimus equidem Phrynichum Grammaticum culpare in Ariſtotele, quod quædam minus Atticè protulerit. Sed etiamſi verum diceret, leve tamen hoc eſſet. Ad Philoſophiam enim tradendam ſatis eſt, ſi quis purâ ac perſpicuâ utatur dictione, qualis non eſt illa Poetarum, veluti cum Empedocles mare vocat ſudorem terræ, quo nomine eum reprehendit Ariſtoteles II. Meteorol. c. VI, dicens: Ad Poëſin quidē hoc ſatis appoſitè dictum ſit, cum metaphora* Poëtarum *ſit propria, ad veritatem autem explicandam, quam* Philoſophus *pro fine habet, id non ſufficit. Ex eadem cauſa objurgat Orpheum, Heſiodum & alios, quod res ſublimes tradere volentes, nomina ſin-*

finxissent, quæ soli intelligerent, ut ista nectaris & ambrosiæ, III Met. III. Ad Poeticam autem dictionem propè accedit Plato, quod non solùm Aristotelis judicium est, qui orationem Platonis fluere dicit inter Poetarum præcipitia & solutæ orationis humilitatem; sed & Dionysii Halicarnassei, qui ut dictionem Platonis tanquam supra modum suavem & humanam laudat, cum tenuem, facilem, simplicem ac nullâ arte præditam elocutionem affectat: ita è contrario cum præclarius, suâ quidem opinione, dicendi genus eligit, quod sæpenumero eum facere dicit, tanquam minus suavem, crassiorem, impropriam, obsoletam, duram, peregrinam, & figuris Poeticis, neq; justô loco, neq; tempore justo adhibitis, usq; ad nauseam refertam atq; dilatatam perstringit, idq; non uno, sed variis locis, veluti in responsione ad Cn. Pompeii Epistolam c. VI. item in lib. de admirandâ vi dicendi in Demosthene c. VII. & XXIIX. deniq; in lib. de Oratoribus antiquis cap. VI. Ad extremum & Cicero ipse in Bruto testis est, multos de Platone taliter sensisse, quod in Dialogis suis magis Poeticè loquutus fuerit, quàm comœdiæ faciat. Ex quibus omnibus Platonem Aristotele judicio longè fuisse minorem, apparet. Sed, fuerit paris judicii cum illo, fuerint & alii non minori judicandi vi præditi, quàm ille, non deerit tamen adhuc, quo satis probabile reddi queat, Aristotele in Philosophia vix fuisse quemquam majorem. Neq; enim ad id, ut quis perfectus sit Philosophus, satis est naturâ præditum esse bono judicio; sed & alia accedant necesse est, quæ judicium perficiant, firment & consolident, inter quæ cæteris facilè palmam præripit historia sive experientia. Ex his enim omnes artes & scientiæ profectæ sunt, ut multis in locis ipse Aristoteles docet, veluti I. Prior. xxxv, II. Post. ult, & I. Met. I. Neq; aliam ob causam & Plutarchus historiam ὕλην φιλοσοφίας vocat, sive materiam *ad conscribendam Philosophiam paratam, quam qui in promptu non habet, non magis Philosophiam profiteri, ac sine pennis volare potest. Thucidides quoq; & ex eo Dionysius modo laudatus historiam nihil aliud esse dicunt, quàm* Philosophiam per exem-

pla.

pla. *Jam laudent nobis illi quenquam ex veteribus, quem existiment Aristotelem non dicam vicisse, sed solum æquasse experientiâ, sive res politicas, sive naturales spectemus. Fatemur quidem floruisse ante Aristotelem viros, ut doctrinâ, sic & experientia in toto orbe clarissimos: at quis horum fuit, cujus scripta, si quæ edidit, non solum in Bibliotheca sua non tenuerit, sed & summo cum fervore percurrerit, atq; obscura notatu digna diligentissimè notarit Aristoteles? Certè vix quicquam ab Ægypti, Chaldææ, Græciæ sapientibus observatum fuit, quod hunc virum clam habuerit, quem & non sine causa Plato, ut supra nobis visum, ἀναγνώστην, lectorem appellavit. At in his nondum substitit, sed ultra progressus, minutissima quæq; ad historiam pertinentia investigare ipse laboravit, ut accuratum de rebus universis judicium ferre posset. Et quidem, quantum ad res civiles, Cicero lib. V. de finibus auctor est, eum omnium civitatum, non Græciæ tantùm sed etiam Barbariæ mores, instituta ac disciplinas esse persecutum. Sic enim ille:* Omnium ferè, *inquit*, civitatum, non Græciæ solum, sed & etiam Barbariæ ab Aristotele, mores, instituta & disciplinas, à Theophrasto leges etiam cognovimus. *Strabo quoq; laudat respublicas varias Aristotelis lib. VII. Geogr. Laertius autem in indice etiam numerum exprimit. Dicit enim præter* Democraticas, Aristocraticas, Oligarchicas & Tyrannicas centum & quinquaginta octo respublicas *ab eo descriptas fuisse. Quibus fortè Democraticas & cæteras illas adjungens Græcus vitæ Aristotelis auctor numerum reddidit adhuc ampliorem. Ait enim ducentarũ & quinquaginta quinq; civitatum consvetudines constitutiones literarum monumentis ab Aristotele esse consignatas. Quarum aliquæ hinc inde à Scriptoribus sequentium temporum citantur. Velut legum* Tyrrhenarum *ab Aristotele descriptarum meminit Athenæus l. I. Lib. VI. reipublicæ* Nathoneorum & Naxiorum, *Lib. IIX.* Syracusanorum *lib. X.* Massiliotarum *lib. XIII.* Deliorum, *Laertius*

tius

tius in Pythagora. Consvetudinem Barbaricarum *Apollonius c. VII. politiæ*, Cypriorum *Suidas in voce* ἄνακτες, Atheniensium *in dictione* περίπολος, Tegeatarum, *Aristophanis interpres in Nubibus. Quanta autem cum diligentiâ & quanto cum judicio eas collegerit, vel pauca illa, quæ de rebus publicis II. Politicorum extant, & non sine stupore hujus mundi leguntur, fragmenta abundè testantur. Sed non minorem rerum naturalium habuit experientiam, etiam earum, quas supra nos natura posuit, veluti cursus, item ortus & occasus stellarum, aliorumque* φαινομένων, *quorum non pauca jam ante à multis seculis, Ægyptij præcipuè ac Chaldæi sive Babylonij observarant. Ita enim de Ægyptiis testatur Diodorus Siculus lib. I. Biblioth. Cod. LXXXI. quod accuratissimè siderum constitutionem & motum observent, & descriptiones singulorum, per incredibilem annorum numerum custodiverint: ab antiquissimis enim inde temporibus hoc apud eos studium certatim fuisse agitatum. De Chaldæis idem refert lib. II. Bibl. Ex quo factum est, ut multi celebratissimi inter doctos Græciæ peregrinationibus in Ægyptum operam darent, quò ibi cum aliarum, tùm istarum cumprimis rerum cognitionem assequerentur. Inter quos fuerunt Orpheus, Musæus, Melampodes, Homerus, Plato, Pythagoras & alij. Hos n. omnes peregrinationes in Ægyptum ad disciplinas gentis cognoscendum suscepisse ex antiquis Ægyptiorum cõmentariis memorat Diodorus c. l. cap. XCVI. & XCIIX. ubi addit, Ægyptios referre*, Democritum *quoq;* quinquennio apud se commoratum, magnam sibi Astrologiæ scientiam comparasse: Oenopidem *etiam* cum Sacerdotibus & Astrologis familiariter versantem cum alia, tum potissimum Solis circulum, quod obliquum habeat iter, & contrarium aliis sideribus faciat progressum didicisse: *deniq; &* Eudoxum, cum Astrologicæ istic operam dedisset, multis utilibus monumentis, in Græciâ editis, magnam nominis celebritatem esse adeptum. *Quia autem magni admodum faciebant Ægyptij inventa sua,*

quâ de causa & ænigmatibus ac symbolis ea tegere solebant, ne à quovis statim caperentur, verisimile non est, eos omnia arcana sua his patefecisse, quod ipsum & de Chaldæis, ad quos itidem non pauci ex Græcis studiorum gratiâ abierant, existimo. Aristoteli verò inusitata quædam hic numinis benignitas affulsit. Porphy*rius enim auctor est hunc, cum Alexander Babylonem occupasset, per Callisthenem suum à Babyloniis, quæ illi per* mille nongintos *atq;* tres *annos didicerant & observaverant, uno tempore accepisse & didicisse. Ægyptiorum autem labores ipse passim laudat, quos simili fortassis occasione fuit nactus, quod tanto facilius credent, quibus persuasum est Auctorem librorum XIV. de secretiore parte divinæ sapientiæ esse Aristotelem, qui quidem ipse videri vult, cum & Platonem se vivâ voce docentem audivisse testetur lib. I. c. V. & prætereà libros aliquot ab Aristotele conscriptos tanquam suos citet, veluti Metaphysicos lib. XII. c. I. libros de Anima lib. XII. c. X. deniq; libros de Cœlo lib. eodem c. XIII. Quod enim hic Auctor secretoria quoq; Ægyptiorum sapientum plenè perspecta habuerit, nemo facilè dubitaverit, si cum aliis, qui de illorum mysteriis aliquid memoriæ prodiderunt, eum contulerit, & singula satis attentè consideravit. Quicquid sit, ab Ægyptiis & Babyloniis de singulis stellis observata acceperit, ipse luculentissimus testis, cum alibi, tum lib. II. de cœlo c. XII, t. 60. Nec tamen in iis substitit, sed ultra tendens ea, quæ in cœlo apparerent, ipsemet diligenter observavit. Unde & passim ad propriam observationem provocat, veluti lib. II. de cœlo c. XII. t. 60. ubi dicit se vidisse* stellam Martis à Luna occultatam. *Lib. I. Meteor. c. VI. refellens eorum sententiam, qui Cometam statuebant esse unum ex planetis, aut Planetarum conjunctionem, ex eo quod etiam* stellæ fixæ *non-nunquam accipiant* comam, *provocat non solùm ad Ægyptiorũ, sed & propriam experientiam.* Τοῦτ' οὐ μόνον, *inquit*, Αἰγυπτίοις πιστεῦσαι δεῖ καὶ τι κἀκεῖνοί φασιν, ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς ἑωράκαμεν. Hac in re non solùm Ægyptiis fides præstanda est [illi enim

hoc

hoc ajunt] sed & vidimus. *Et interjectis aliquot lineis* unam stellam ex geminis *inquit* visam à se fuisse à Jove obscuratam. *Non minus eorum, quæ in aëre visuntur, veluti ventorum, fluminum, tonitruum, iridis, halonis, quin & illorum, quæ aquam & terram diversimodè afficiunt, exploratam habuit historiam. Indicant hoc satis, quæ de Meteoris inscribuntur volumina. Nihil quicquam enim & in his statuit, quod non ratione, experientiâ suffulta, statuminet, adeò, ut* Proclus *Comm. in Timæum penè ei hoc vitio vertat, quod ultra, quàm decet, ad* minuta *quoq; dilapsus sit: q. s. scil. non in omnibus rebus naturalibus etiam vilibus & abjectissimis, divinum quid & admirabile lateret, quod egregio testimonio Heracliti Philosophi ipse Aristoteles illustrat I. Part. An. V. Quod & Epicurus cogitasse debebat, qui apud Athenæum Aristotelem reprehendit, tanquam plus justo curiosum in singulis animalium formis, & naturâ & moribus, describendis, cum gratias ei potius immortales agere debuisset pro hoc exantlato labore. Quis enim excepto hoc talem laborem unquam suscepit, aut etiam pari cum successu suscipere potuit, non quasi aviditas ac studium rerum naturas cognoscendi non fuerit in aliis, sed quod nemo ante Aristotelem, imò neq; ullus post illum, tot mediis & adminiculis ad exantlandum istiusmodi laborem necessariis, fuerit instructus, quot quidem hic ipse instructus legitur fuisse. Aliquot millia enim hominum, quibus animalium natura, cuiq; in suo genere, satis perspecta erat, in totius Asiæ, Græciæq; tractu Alexandri mandato coacti fuere, ne ille in opere, quod cœperat vel ipsius regis instinctu, perficiendo, ullo pacto impediretur, aut quicquam eum lateret. Testis est Plinius lib. IIX. c. XVI. ita scribens:* Alexandro Magno Rege inflammato cupidine animalium naturas noscendi, delegataq; hac commentatione Aristoteli, summo in omni doctrinâ viro, aliquot millia hominum in totius Asiæ, Græciæq; tractu parere jussa, omnium qvos venatus, aucupia, piscatusq; alebant, quibusq; vivaria, armenta, alvea-

60.

ria in curâ erant, ne quid usquam gentium ignoraretur ab eo: qvos percontando quinquaginta fermè volumina illa præclata de Animalibus condidit. *Quin non solùm multa hominum millia ei parere jussit, ut quæ cognita & observata ex venatu, aucupio, piscatu, vivariis &c. haberent, Aristoteli scribenda deferrent, sed præterea octingenta auri talenta in ipsum erogavit, ut libros Historiæ de animalibus conscriberet. Sic enim refert Athenæus lib. IX. his verbis:* Ὀκτακόσια εἰληφέναι τάλαντα παρ' Ἀλεξάνδρου τὸν Σταγειρίτην λόγος ἔχει εἰς τὴν περὶ τῶν ζώων ἱστορίαν, Fama fert Stagiritem octoginta talenta accepisse ab Alexandro, ob conscriptam eam, quæ de animalibus est, historiam. *Ælianus tamen IV. Variæ Hist. c. XIX. id Philippo dare videtur, quod Alexandro hic tribuitur ab Athenæo:* Φίλιππος, inquit, ὁ Μακεδὼν Ἀριστοτέλει χορηγήσας πλοῦτον ἀνενδεῆ, αἴτιος γέγονε πολλῆς μὲν ἄλλης πολυπειρίας, ἀτὰρ οὖν καὶ τῆς γνώσεως τῆς κατὰ τὰ ζῶα· καὶ τὴν ἱστορίαν αὐτῶν ὁ τοῦ Νικομάχου διὰ τὴν τοῦ Φιλίππου περιουσίαν ἐκαρπώσατο, Philippus Macedo Aristoteli copiosè pecunias suppeditans causa fuit, tum alius magnæ eruditionis & doctrinæ, tum etiam ejus scientiæ, quæ versatur in contemplatione animalium. Et horum historiam Nicomachi filius propter abundantiam divitiarum Philippi lucratus est. *Verum parum refert, num Pater, an filius sumptus illos fecerit. Id certum est, siquidem scriptoribus probatissimæ fidei credere fas est, tantum pecuniæ Aristoteli pro opere illo fuisse numeratum, ut Græcis inde opus* πολυτάλαντον *dici meruerit. Ita enim citatô locô refert Athenæus. Ast cui Philosophorum unquam similis fortuna in ejusmodi studio obtigit? Sanè, non diffitemur in sequentibus temporibus extitisse, qui egregiam in enarrandâ animalium naturâ navarunt operam, dubito tamen, an cum Aristotele comparari possint. Nam, ut taceamus haud parum eos Aristotelis voluminibus fuisse adjutos; res ipsa testatur, eos historicis suis multa & incerta & aliena admiscuisse, & pleraque ita concinnasse ac disposuisse, ut studio Philosophico parum sint accommoda-*

modata, quorum illud ut summâ industriâ evitavit, ita hoc inprimis curæ habuit Aristoteles, ut pulcherrimo ordine conscriptam & Philosophico usui aptissimam historiam nobis relinqueret. Cum enim illi seorsim de quovis animali agant & particulatim naturam ejus exhibeant; hic in historiâ sua primum genera collegit, postmodum in species divisit, ita quidem, ut cuiq; subjecto, sive genus illud sit, sive species, suas proprias affectiones tribuat, & seorsim de partibus, seorsim de generatione, seorsim de reliquis actionibus disserat, ita pertractans singula, ut Philosophiæ non nisi causas relinquat explicandas. Quanto verò difficilius est in universum aliquid affirmare & per species atque genera qualibet narrare, quàm in uno atq; altero individuo hærere? Sed fortè, *ita pergunt illi,* parùm fidere licet iis, quæ ab Aristotele in Historia animalium consignata & memoriæ prodita sunt? *Neque enim ipse oculis suis usurpavit omnia, imò* anatomiæ prorsus ignarus *fuit,* & aliis *fortè* plus, quàm oportebat, *credidit, adeò, ut non tuto satis ei subscribi possit. Sed quâ tandem fide id narrant nobis? Non inspexerit cuncta, quæ in historiam sæpius laudatam retulit, oculis suis ipse Aristoteles, numquid ideò statim fidem ejus in dubium trahemus? Non existimamus. Neque enim ea prodens levibus rumusculis inhæsit, quod Plinius, Ælianus & alij fecerunt, sed ea nobis tradidit, quæ certo pastorum, piscatorum, venatorum, aucupum, aliorumq; experientiâ rerum suarum insigni præditorum testimonio acceperat. Expertis autem quâ fronte quis fidem derogaverit? præsertim cum omnes artes & scientiæ experientiâ, tanquam primo κριτηρίῳ, nitantur, demonstrante id Aristotele II. Poster. ult. & I. Met. I, ad quæ loca conferri potest Maximus Tyrius dissert. XI. Utinam autem omnes, quos Aristoteles de animalibus conscripsit, libri extarent, sine dubio rubore suffunderentur, qui eum anatomiæ planè rudem fuisse, & ex solo auditu scripsisse tàm audacter asseverant! Ipse enim passim ad ocularem inspectionem provocat, ut II. de Par-*

62.

tib. Animal. c. IV. in illis verbis: Est autem sine osse omnium cor, ὅσα καὶ ἡμεῖς τεθεάμεθα, quæcunque nos qvoqve vidimus, excepto equorum & cujusdam generis boum. *Item lib. IV. de Gen. Animal. c. I, ubi disputat adversus Empedoclem* de generatione gemellorum, *testaturq; se multoties inspexisse in dissectionibus animalium viviparorum, tùm pedestrium, tum piscium,* marem & fœminam in eadem uteri parte generari. *Sed & I. Hist. XVII, ubi de jecoris ac lienis permutatis sedibus:* Ἤδη γὰρ, *inquit,* ὦπται μετηλλαχέτα τὴν τάξιν ἔν τισι τῶν τετραπόδων. *Quid? quod & librorum Anatomicorum à se conscriptorum faciat mentionem. Veluti I. Historiæ c. ult. sub finem, ubi fœminam à masculo nullâ interiori parte, nisi utero, disterminari dicit, cujus quæ sit figura, petendum esse ait* ἐκ τῆς διαγραφῆς, τῆς ἐν ταῖς ἀνατομαῖς, ex eâ descriptione, qvæ sit in Anatomicis. *Idquod iisdem penè verbis repetit Lib. VI. c. X. Sed & alius locus est lib. IV. c. I, ubi hæc leguntur verba:* Ἕκαστα δὲ τούτων ὡς κεῖται τῶν μορίων, θεωρείσθω ἐκ τῆς ἐν ταῖς ἀνατομικαῖς διαγραφῆς, Verum hæc sigillatim quo se habeant pacto locoq; videre licet ex descriptione, quæ est in Anatomicis. *Porro nec negligendus locus est ex III. de Partib. IV, ubi hæc reperiuntur:* Ἔκ τε τῶν ἀνατομῶν κατάδηλα ταῦτα καὶ ἐκ γενέσεων. *Uti nec ille ex I. de Gen. An. c. XI:* Δεῖ δὲ περὶ ταύτης καὶ περὶ τῶν ἄλλων τεθεωρηκέναι ἐκ τῶν ἀνατομῶν καὶ τῶν ἱστοριῶν. *Cui geminus est alter ex II. Gen. An. VII, ubi sermo est de fœtu animalium, quæ plura uno pariunt. Inquit enim:* Δεῖ δὲ ταῦτα θεωρεῖν ἔκ τε τῶν παραδειγμάτων τῶν ἐν ταῖς ἀνατομαῖς, καὶ τῶν ἐν ταῖς ἱστορίαις γεγραμμένων, Cognoscere autem hæc oportet ex exemplis, tum quæ in Anatomicis, tum quæ in historicis scripta sunt. *Cui jungimus & tertium ex IV. de Gen. An. c. I,* καὶ τοῦτ' ἱκανῶς τεθεωρήκαμεν ἐν τῶν ἀνατομῶν. *Quem excipiat ultimus ex Lib. de respiratione c. XVI, ubi ita scribit:* Quo pacto cor foramen habeat ad pulmones, δεῖ θεωρεῖν ἐκ τῶν ἀνατεμνομένων, καὶ ἐκ τῶν ἱστοριῶν. *Sed & alii sunt, qui librorum Anatomi-*

moti-

tomicorum Aristotelis injiciant mentionem. Diogenes quidem octo volumina confecisse eum affirmat, quæ ἀνατομῶν *fuerint inscripta. Quin & aliud laudat non dissimilis argumenti, quod hunc habuerit titulum præscriptum,* ἐκλογὴ ἀνατομῶν. *De quo quin ita sit, tanto minus est dubitandum, quod Apollonius in Admirandis cap. 28. quædam ex illo volumine desumpta in suas historias transtulerit, cum dicit:* Ἀριστοτέλης δὲ ἐν ταῖς ἐκλογαῖς τῶν ἀνατομῶν φησιν. ὄφις ὤφθη ἐν Πάφῳ πόδας ἔχων δύο ὁμοίους χερσαίῳ κροκοδείλῳ, Aristoteles in selectis Anatomicorum ait, serpentem in Papho conspectum duos pedes habentem, ut crocodilus terrestris. *Deniq; Apulejus testatur, se libros Aristotelis* περὶ ἀνατομῶν *& explorare studio & augere. Neq; est quod dicant,* Aristotelem fortassis quidem excitatum fuisse in sectione aliorum animalium, sed non corporis humani. *Id enim hodiè à quibusdam ei solet obÿci, qui & inde factum esse dicunt, ut non parum lapsus fuerit in corporis humani natura exponendâ, quanquã nonnulli, alioqui non malè de eo sentientes, ipsum excusatum eant, quod istis temporibus sectiones cadaverum rarò & fortè nunquam fuerint celebrata. Plinium enim testari,* veterib⁹ nefas fuisse, exta humana spectare, *Lib. XXIIX, c. I. Cui addant & Phocylidem ita canentem:* Οὐ καλὸν ἁρμονίην ἀναλυέμεν ἀνθρώποιο, καὶ τάχα δ' ἐκ γαίης ἐλπίζομεν ἐς φάος ἐλθεῖν, λείψαν' ἀποιχομένων ὀπίσω δὲ θεοὶ τελέθονται, Non dissolvimus pulchram hominis harmoniam. Etenim subito è terra speramus in lucem venturas reliquias defunctorum, quæ postea Dii fient. *At si quibusdam id nefas visum fuit, non tamen omnibus. Disertè enim Ruffus Ephesius lib. I. cap. II. testatur, vetustis temporibus semper anatomen, etiam in humanis corporibus celebrari consuevisse. Empirici quidem, qui à Serapione ortum trahebant, atq; in solo usu & experimentis universam Medicinam ponebant, laborem hunc inutilem & supervacaneum esse putabant, reliqui tamen inter Medicos, qui* λογικοὶ *sive rationales vocabantur, necessarium esse dicebant, incidere corpora mortuorum, eorumq; viscera*

(IX.)

ſcera atq; inteſtina ſcrutari. Cum enim & in interioribus partibus & dolores & morborum varia genera naſcantur, neminem exiſtimabant his adhibere poſſe remedia, quæ ipſe ignoret, longeq; optimè feciſſe Herophilum (quem ſexcentos exſecuiſſe homines, ut naturam hominis ſcrutaretur, tradit Tertull. de Anima c. X. & propter conſummatam Anatomes, quam non ex brutis, ut plerią; ſolebant, ſed ex ipſis hominibus ſibi comparaverat, ſcientiam laudat quoq; Galenus lib. de Uteri ſectione c. V.) & Eraſiſtratum, qui nocentes homines à regibus ex carcere acceptos, vivos inciderunt, ut refert Aurelius Cornelius Celſus lib. I. de re Medicâ in prooemio. Quorum hoc, tanquam crudele, etſi non approbet Celſus, ut videre eſt ex fine Præloquii iſtius, id tamen manifeſtum inde eſt, Ariſtotelis ſeculo non nefas habitum fuiſſe ab omnibus ſaltem mortuorum corpora incidere, cum Herophilus & Eraſiſtratus, qui poſt Ariſtotelem quidem, eodem tamen cum ipſo ſeculo claruerunt, idem in vivis & quidem regum conſenſu tentarint. Quinimò vel ex ipſo Ariſtotele non obſcurè colligitur, diſſectionem humanorum corporũ apud veteres non fuiſſe inuſitatam. Poſſet id ex pluribus oſtendi locis. Sed hac vice erimus vel uno contẽti, petit. ex III. Hiſt. An. c. II. ubi de principio venarum differens oſtendit veterum diligẽtiam, quam in eô inveſtigando adhibuiſſent. Cum enim in diſſectis aliis cadaveribus *id non deprehenderent, ait elegiſſe* corpora hominum macie confectorum, quod in iis venæ inſigniter extarent, *quamvis ne ſic quidem per omnia propoſitum [illegible] aſſecuti fuerint, quod [illegible] ἔξωθεν φαινομένων,* ex illis, quæ [illegible] apparebant, rem univerſam determinârint. *Ægyptios porrò ſecandis hominum corporibus non exiguam impendiſſe operam, adeò clarum eſt, ut pluribus demonſtrare opus non ſit. Quem enim latet moris fuiſſe apud illos, uti corpora demortuorum factâ ante diſſectione condirent? Unde Strabo plurimum eos in Medicina profeciſſe ſcribit,* propter opportunitatem corporum diſſecandorum. *Et Galenus in Introductorio ſuo c. I.* probabile *eſſe ait,* Ægyptios ex cadaverum ſectione, quam in corporibus con-

condiendis, asservandisqve haberi moris fuerat, multa & in Chirurgia & in Anatome invenisse. *Sed & Plinius narrat lib. XI. Nat. Hist. c. XXXVII.* Ægyptios, quibus mos fuerat cadavera asservare medicata partium principum corporis incrementa & decrementa curiosâ sedulitate observasse. *Quin lib. XIX. c. V. memorat* ipsos illorũ Reges propriâ manu in corpora mortuorum ad scrutandos morbos inseruisse. *Homerum peritum fuisse Anatomicum demonstrat Meletius lib. de natura hominis. Sed & Aristoteles ipse progressum* venæ magnæ *ex eo recitat III. Hist. Anim. Galenus autem IV. de usu partium c. XIV. ejusdem testimonium profert, dum explicat* hepatis ligamentum. *Idem de Hippocrate Comm. in lib. III. de Artic. testatur, quod* potissimum rationi incidẽdorum corporum sedulam dederit operam, quod Anatomen mirum in modum ad artem medicam conferre, sciret. *Sed & ipsemet Hippocrates hujus rei passim fidem facit, inter cætera & ipso III. de Articulis libro, in quem Commentarium istum scripsit Galenus. Postquam enim ibi ratione demonstrasset,* vertebras luxatas in anteriorem partem nec arte, nec manu, posse restitui, *experimentum Anatomicum affert ex dissectione cadaveris desumtum. Alibi autem scribit, homini esse colon intestinum* simile canino. *Ast unde hoc cognovit, nisi ex anatome? In libro quoq; de ossium natura, ut alia loca silentio prætereamus, disertè fatetur, se, quæcunq; de ossibus tradita reliquit, ex hominis inspectione didicisse. Paulò post Hippocratis ætatem Galenus lib. de Anatom. uteri cap. X. viguisse dicit Dioclem Carystium, cujus & Plinius meminit lib. XXVI. c. II. eumq; primum anatomicarum rerum commentarios posteris reliquisse scribit in Proœmio lib. II. de sectione administranda. Cæteri enim, sparsim de iis, quæ ad anatomen pertinebant, tractaverunt: hic autem fortè ea primus collegit, atq; in ordinem redegit. Numquid autem his Aristotelem tantopere in dissectione aliorum, etiam vilissimorum, animaliũ occupatum existimabimus fuisse negligentiorem? Non opinamur. Passim enim & ipse interna corporis humani comparat cum internis*

*brutorum partibus, quod ea discentibus sint notiores. E.gr. lienem hominis suillo ait esse similem, jecur autem ejus esse rotundum & simile bubulo I.Hist.Anim.cap.XVII. renes quoq; ejus bubulis similes esse docet lib.*III.*de partibus Anim.c.IX. Deniq; & de ventriculo hominis dicit, quod similis sit canino I.Hist.* Anim. *c.XVI. Hoc autem quî scribere potuisset, nisi ipse partes hasce inspexisset & quomodo tam in homine, quàm brutis in se haberent, considerasset? Ut taceamus, ipsum, etiã cum de humano corpore differit, ad αὐτοψίαν passim provocare, velut lib.*I. *Hist. c.*VII. *ubi de viri calvariâ sine suturis ita scribit:* Ἤδε δὲ ὤφθη καὶ ἀνδρὸς κεφαλὴ οὐδεμίαν ἔχουσα ῥαφὴν, Jam ipsum est etiam sine ullâ suturâ caput viri. *Et lib.* III. *c.*II.*manifestè indicat, se in cadaveribus humanis ductum & seriem venarũ pervestigasse. Et quo tandem, saltem probabili, argumento evinci poterit, Aristot. in dissecandis animalium corporibus occupatum, ab humanis abstinuisse? Plura illi afferunt, hoc tamen præcipuum est, quod multa ignoraverit, quæ tamen cuivis in* A*natomicis vel leviter exercitato satis obvia sunt, veluti* musculos, *item* circulationem *sangvinis, & si quæ sunt alia id genus. Ast cur non inde inferunt, cum ne in aliorum quidem animalium anatome fuisse versatum? Musculi enim & circulatio sangvinis in aliis animalibus non minus deprehenduntur, quàm in ipso homine. Verum fabula est* Aristotelem *ista ignorasse, quam illi rursus ex invidiâ commenti sunt. Ponamus enim, Aristotelem musculorum nomine nõ fuisse usum, numquid ideò rem, per nomen istud designatam, ipsum latuisse erit dicendum? Non existimamus. Non enim unum, sed multiplex musculorum apud veteres est nomen. Hippocrates quidem eos* σάρκας *vocat, cum alibi, tum lib. de* Arte *text.17. in istis verbis;* Ὅσα τῶν μελέων ἔχει σάρκα περιφερέα, ἣν μῦν καλέουσι, πάντα νηδὺν ἔχει, Quæcunqve membra carnem in orbem circulatam habent, quam musculum nominant, ea omnia cavitatem habent. *Vocat &* νεῦρα *lib. de ossium natura, & lib. de locis in homine. Utrumq; secutus est* Aristoteles. Σάρκας *enim appellat musculos lib.*II.*de Part.b.An.c.*IX.*cum scribit,* ossa ad motum carnibus circum-

circumfundi. *Nervos autem vocat cum alibi, tum lib. V. Gen. An.* VII. *ubi sic scribit:* Τὰ ὀστᾶ ζητεῖ τὴν τῶν νεύρων φύσιν, ossa requirunt nervos, *sive ligamenta, quibus sibi invicem committuntur ad stabiliorem motum, per nervos, musculos, intelligens. Inprimis autem notabilis locus est lib.* III. *Hist. V. ubi tres nervorum species enumerat, & in secunda specie duplicem tendinem in capite & fine agnoscit, ad robur corporis,* καὶ ἕτερον νεῦρον διπτυχὲς ὁ τένων· καὶ τὰ πρὸς τὸν ἰσχὺν βοηθητικὰ ἐπίτονός τε, καὶ ὠμιαία. *Quibus verbis nihil aliud indicare videtur, quàm hoc, esse genus aliquod nervorum, cujus caput & finis ejusdem sint naturæ, nempe tendinosæ. At talis substantiæ musculus est. Sed falsum præterea est, Aristotelem nunquam vocabulo, quô Græci aliàs communiter musculum exprimere solent, usum esse. Est illud nomen* μῦς. *At illud pro musculo usurpatum reperitur Sect. V. Probl.* XX. XIIX. *Circulationem sanguinis quod attinet, ipsimet asserunt, eam nuper admodum inventam esse. Quodsi jam ejus ignorantia simpliciter inducit ignorationem rei anatomicæ, neminem ante primos circulationis inventores, hoc primum seculo juxta illos exortos, anatomiæ peritum fuisse consequēs foret, quod posterius tamen illi non affirmaverint. Sed falsum rursus est, Aristotelem motus istius sanguinis fuisse ignarum. Nomine quidem hoc nunquam est usus, (neq; enim perfectus motus circularis hîc habet locum) rem ipsam tamen, non minus atq; illi, tenuit. Toties enim fontem, ex quo sanguis per totum corpus derivatur, cor esse dicit, ut loca adscribere pigeat: ast idem sanguinem rursum ad cor affluere, eiq; restitui, astruit.* Ἀεὶ ἀιρομένου τοῦ ἐν τῇ καρδίᾳ, ἀεὶ δέχεται πάλιν καταψυχομένου, *inquit inter alia lib. de Juventute c. XXI. (XXVII.)* Cum sangvis semper in corde contentus efferatur, semper cor eundem refrigeratum rursus excipit. *Quam autem viam sequatur in cor refluens, in anatomicis fortè ostendit. Cætera, quæ de nervis, & similibus, Aristoteli objiciunt, nunc non tango. Sunt enim in sequenti libro ipso satis discussa. Certum ergò est, quod Aristoteles, quæcunq; etiam*

de humano corpore scripsit, non ex aliorum relatione recensuerit, sed suum judicium fideli inspectione & accuratâ sectione confirmatum adhibuerit, adeò, ut nemo veterum Anatomicorum accuratius Anatomica tractaverit, quàm quidem hic ipse. Unde & factum, ut plura aliis indicta atq; occulta observaverit, & posteritati tradita reliquerit, longèq; melior Anatomicus fuisse judicetur à præstantissimis, etiam recentioribus anatomicis, quàm ipse Galenus, qui non solùm multum adjutus fuit scriptis *Aristotelicis, sed & quamplurimos peritissimos Anatomicos, qui ipsius ætate florebant, habuit Præceptores, nempe Pergami quidem Satyrum, Smyrnæ Pelopen, Corinthi Numesianum, in Alexandriâ Medicos ossiumve doctrinâ clarissimos & alios, quorum tamen omniũ diligentiam & industriam se superasse, ipsemet honestè gloriatur, cum ait, se multa proferre Anatomicis intacta & ignorata lib. II. de usu partium, quod repetit lib. I. Admon. Anat. c. III. Et sanè res ipsa testatur, Aristotelem plerumq; melius sentire, quàm Galenum, si quando hic ab illo abit. E. gr. Galenus lib. VII. de usu partium c. X. pulmonem in homine quoq;* in certos lobos *sectum esse scribit. At Aristoteles I. Hist. XVI. pulmonem hominis ait non esse divisum in lobos, ut aliquorum viviparorum; quamvis nec lævis tantùm sit, sed inæqualis. Ab Aristotele stare experientiam testantur Anatomici recentiores, qui & causam afferunt, cur ita non sit in homine, nempe, quia homo est erectus. Lib. IIX. de usu partium c. VI. agit de interna auris fabrica, sed admodum parcè. Putat enim constructionem illam in eo solùm consistere, quod meatus auditorius habeat flexum obliquum, labyrinthi cujusdam instar, qui aëris impetum refringat: alioqui enim cerebrum non fore extra periculum, cum meatus auditorius non solum ad duram cerebri membranam pertineat, sed & nervum contingat, qui à cerebro in meatum auditorium descendat, ut docet VI. Method. ult. At Aristoteles partem auris internam anfractuosam esse ait, ad modum cochlearum, neq; ex illa viam esse in cerebrum, sed in palatum I. Hist. XI. sect. XXXII. problem. VI. Partem porrò illam*

capi-

capitis, quâ auditus fit, vacuam appellatam ab aliis, non esse vacuam dicit, sed aëre plenam ἐγκάτω κοδομημένῳ, καὶ συμφυεῖ, inædificato & complantato, *II. Part. X. & II. de Anima c. IIX. t. 83. respiciens sine dubio labyrinthos illos varios, qui in osse petroso ostenduntur. Deniq; & membranæ meminit in auditus sensorio, Problem. sect.* XXXII. *probl.* XIII, *quam tympanum hodie vocant, quod membranæ tympani bellici similis sit. At hanc non cognitam fuisse Galeno persuadent illa, quæ c. I. de meatu auditorio profert. Sed & hoc notabile est, quod Galenus Lib. XIV, de usu partium c. III. asserit, simul fieri totam animalis delineationem. At Aristoteles non simul fieri omnes partes dicit, sed* ἐφεξῆς, successivè, *ut in texturâ retis II. Gen. An. I. quod & ipse observavit in ovis gallinaceis, & observarunt alij ex recentioribus. In his enim* ἕτερον μόριον ἑτέρου πρότερον ἐστὶ, una pars aliâ prior est, *ut ibidem loquitur. At non differt generatio brutorum à generatione hominis, nec ipso Galeno judice* I. *de Semine c.* II. *Unde & Galenus ipse sententiam hanc alibi deprehenditur mutasse, veluti l. de format. fœtus c. 3. Plura non addimus, cum hæc diducere non sit hujus instituti. Sufficit nunc nobis, ostendisse, Aristotelem ex priscis Philosophis non habuisse parem, ipsumq; non judicio solum, sed & experientiâ reliquos multum superasse. Quod cum negare amplius obtrectatores ejus non audent, tandem ad illud se recipiunt, illum,* qvantus qvantus etiam fuerit, hominem nihilominus fuisse, ideoqve potuisse errare; *quin* unum fuisse hominem, qui solus cuncta videre non potuerit, sed & aliis addenda aliqua relinqvere fuerit coactus. *Equidem, cum errare humanum sit, ab Aristotele solo id fuisse alienum nemo facile asseruerit, nisi intempestivo planè ejus amore sit correptus. At non tam facilè est, errores elicere ex scriptis, quæ nobis reliquit. Sane & Euclides homo fuit, errareq; potuit, sed quis vel minimi eum erroris in Elementis commissi convincere potuit? Tentavit id Petrus Ramus, Parisiensis quondam Professor Regius, sed irrito planè conatu. Nimis enim frigida & jejunsa profert, cum calamum in eum stringit,* (12.)

veluti, quando ipsum culpat, quod centrum in circulo definierit illud punctum, à quo omnes lineæ rectæ ad circumferentiā ductæ sint æquales: peccare namq; hic adversus legem καθόλου πρώτου, eoq; definiri debere, punctum in figura medium. Quasi verò in triangulo punctum ullum sit, â quo omnes lineæ ad latera trianguli ductæ sint æquales, præter centrum. Jam certum quidem est, quod Aristoteles τὸ ἀκριβὲς in omnibus, ut Euclides, non observarit. Neq; enim in omnibus id observare potuit, quod pleraq;, de quibus tractavit, inprimis, quæ ad Physicam & Politicam pertinent, tantam ἀκρίβειαν non ferant, quantam quidem admittunt Mathematicæ scientiæ I Ethic. l. II. Met. c ult. verumtamen & hoc certum est, in cunctis cujuscunq; tandem sint generis, tantâ cum prudentiâ versatum fuisse Aristotelem, ut nunquam, qualia ea essent, aut ex quibus principiis ea cognita ac perspecta haberet, dissimularit? Inde toties apud eum legitur: Hîc τὸ ἀκριβὲς non est postulandum. Item, non est ἁπλῶς ἀναγκαῖον, est ἐνδεχόμενον ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, aut etiam ἔνδοξον, aut εὔλογον, vel εἰκός: ita videtur, ita perhibent, ita accepimus, item, sufficit hîc, si disputatio πρὸς τὸ δυνατὸν fuerit redacta &c. Hoc autem cum in omnibus stricte observet, fit sanè hinc, ut difficile sit illum accusare errorum. Neq; enim omnia, quæ dicit, pro certis venditavit, sed pro talibus, qualia reverà sunt. Quod cum suo loco in ipso hoc libro uberius à nobis diductum sit, hîc illustrare supersedemus. Porrò etsi unus homo fuerit Aristoteles, non ab uno tamen profectum est id omne, quod in libris ejus continetur. Jam enim ante dictum, vix quicquam ab Ægyptiis, Chaldæis, Græcis, alisq; rectè fuisse traditū & observatū, quod ipse non curiosè scrutatus in scripta sua retulerit, ut non sine causa ab aliquibus thesaurus universæ priscorum Philosophiæ nuncupetur. Nec tamen ideò omniscium eum facimus. Omne enim verum, etiam in naturalib. perspicere, superat intellectum humanum. Ipse Arist. satis ingenuè passim fatetur, sibi aliqua nondū fuisse comperta. Veluti II. Hist. Anim. c. III. ubi hæc habentur verba: ἐπὶ τῶν ἄλλων οὐ τεθεώρηταί πω ταῦτα, In cæteris nondum exploratum est. Lib. IIX. c. XX: Omnium animalium, ait, quæ novimus, sus grandinem concipit, satis hoc ipso innuens, esse fortè aliqua, quæ sibi nondum cognita essent. Quibus similia sunt & illa ex II Hist c I. quæ primo adduci debuissent: Μώνυχον δὲ καὶ δίκερων οὐδὲν ἡμῖν ὦπται, animal, quod idem solipes & bicorne sit, nos hactenus non novimus. Mitto alia loca, per omnia his gemina. Passim enim talia in libris de animalibus occurrunt. Sed

& in

 71.

& in aliis libris continentur his affinia. E gr. lib. Sophist. c. XXXIV. §. 10. veniam sibi haberi petit, si quæ ad methodi Dialecticæ consummationem pertinentia prætermisisset. In I. Ethic. c. VII postquam summum bonum humanum quadantenus adumbrasset & delineasset, ait, illud deinceps suis coloribus depingendum, atq; uberius illuminãdum esse, ut articulatiùs cognosceretur, quod si autẽ forte aliquid omissurus esset, id ab aliis addi posse. Nihil enim esse simul inventum, & perfectum. Quod artium exemplo illustrat, quas pedetentim ac temporis successu amplificari atq; augeri experientia abundè testatur. Quo & respiciens Lucretius lib. V. canit: Sic unum quicquid paulatim protulit ætas In medium, ratioqve in luminis eruit oras. Nam aliud ex alio clarescere corde videbant artibus, ad summum donec venere cacumen. *Fatemur ergò, Aristotelem totum naturalis sapientiæ abyssum non exhausisse, sed & aliqua sequentium seculorum hominibus addenda & investiganda reliquisse. Sed quibus? Numquid illis, qui ipsum, & alios veteres sapientes, alto supercilio contemnunt, & se solos ad judicium de rebus ferendum aptos esse sibi persuadent? At unde illi sufficientem experientiam hauserint, quam ad omnem scientiam apprimè necessariam esse supra sufficienter est ostensum? Illi autem id effecerint, qui, judicio pollentes, postquam eorum, quæ in Aristotele continentur, sufficientem notitiam sibi compararunt, ad alia progrediantur, & quæ partim alii post Aristotelem probatæ fidei auctores, partim ipsimet observarunt atq; experti sunt, diligenter annotant, & ex his demum ductum Philosophi seqvuti, quæ in illo desunt, supplere laborant. Quibus autem magis volupe est animum stylumq; ad calumniandum optimum Philosophum, acuere, quam scripta ejus diligenter excutiendo judicium sibi comparare, ii tantum abest, ut ad supplenda ea, quæ in illo deficiunt, apti sint, ut vel hoc ipso se nomine Philosophorum prorsus indignos σοφιστὰς potius, quàm σοφοὺς esse dicendos declararent, quod & de priscis illis Aristotelis obtrectatoribus judicat Aristocles.* Omnes enim *ait,* qui ausi fuerunt existimationem Philosophi hujus violare, fuisse σοφιστὰς καὶ ἐριστικοὺς, καὶ ῥήτορες, ὧν καὶ τὰ ὀνόματα καὶ τὰ βιβλία τέθνηκε τῶν σωμάτων μᾶλλον, Sophistas, contentiosos ac Rhetores, quorum & nomina, & libri perierint magis, quàm corpora, *apud Eusebium lib XIV. Præparat. Evangel. c. II. Aristotel. interim mansit hactenus, ut summo in Philosophia viro, quin omnium Philosophorum Principi, gloria sua, & manebit etiam in posterum apud omnes cordatos & doctos viros, rumpantur vel ilia obtrectatoribus. Quâ de causa & meritò in publicas scholas scripta ejus non nunc demum, sed jam olim publicâ auctoritate sunt in-*

tro-

troducta Quod exemplo Caroli Magni Chrosoës Persarum Regis, nec non Friderici II. Imperat, jam docuimus in Epistolâ Dedicatoriâ Prodromo præmissâ. Sed & in Academiâ Parisiensi Anno M.CCC.LXVI. cum ex auctoritate Urbani V. Academiam istam reformarent duo Presbyteri Cardinales, Joannes S. Marci & Ægidius S. Martini in montibus statutum fuit, ut libri Aristotelis illic legerentur. Statutum, quantum ad hoc attinet, ita habet: Statuimus eâdem auctoritate, quod scholares audire debeant veterem artem totam, librum Topicorum, quoad quatuor libros, & libros Elenchorum, Priorum & Posteriorum completé, etiam librum de animâ in toto, vel in parte. Item, quod nullus admittendus sit ad licentiam in dictâ facultate, nec in examine B. Mariæ, nec in examine B. Genovesæ, nisi ultra prædictos libros audiverit Parisiis, vel in alio studio generali, librum Physicorum, de generatione & corruptione, de cœlo & mundo, parva naturalia, videlicet libros de sensu & sensato, de somno & vigilia, de memoria & reminiscentia, de longitudine & brevitate vitæ, librum Metaphysicæ, vel quod actu audiverit eundem, & quod aliquot libros Mathematicos audiverit. Hoc statutum postea Anno M.CCCCLII. Caroli VII. Regis auctoritate, cum jussu ejus Guilielmus Cardinalis Totavillæus Academiam hanc restauraret, denuò fuit confirmatum. In plerisq; Germaniæ Academiis quid statuta ferant non est, quod prolixè doceamus, cum non sit adeò ignotum. Nec dubitamus, quin his etiam illi, qui Aristoteli aliàs minus benevolos se præbent, essent subscripturi, si obscuritas, quæ in scriptis illius deprehenditur, ipsis obicem haud poneret. Putavi ergò me operæpretium facturum, si causas obscuritatis istius peculiari libro indagarem, atq; medelam singulis pararem, quod jam ante octodecim & quod excurrit annos factum Ob defectũ autem necessariorum sumptuum in lucem liber prodire non potuit, donec sese offerrent, qui eos subministrarent. Recognovi ergò librum, passimq; adauxi, quantum quidem per molestias Rectoratus mihi per semestre hybernum anni proximi præterlapsi & currentis incumbentes, aliasq; difficultates, quibuscum per istud temporis intervallum conflictari sum coactus, licuit. Inprimis verò & hic operam dedi, ut singula perspicuis exemplis atq; pro re nata interdum satis fusè & amplè deductis illustrarem. Quâ occasione, non solùm aliquot centum locis obscurioribus lux aliqua est allata, sed & controversiæ aliquæ insigniores maximiq; momenti, una sunt discussæ. Præfationis autem loco præmisi Apologiam pro Philosopho hoc, in quâ ad pleraq;, quæ ipsi objici solent, respondere fui conatus. Si quæ autem omissa sunt, ea facilè suppleri poterunt ab Erudito & Benevolo Lectore, quem divinæ protectioni iterum iterumq; commendo.

Con-

CONsiderаturi, quid ad intellectum librorum Acroamaticorum Aristotelis requiratur, rectius negotium expedire non possumus, quàm si ipsummet super eo audiamus. Sic verò de illo Aulus Gellius lib. XX. Noct. Attic. cap. V: *Ad disciplinam, quam appellabat ἀκροαματικὴν, non quenquam temerè admittebat, nisi quorum ante ingenium & eruditionis elementa atque in discendo studium laboremq́; explorasset.* Hæc ergò sunt, quæ Aristoteles exigit à germano Acroamaticorum auditore, *ingenium* scilicet, seu bonitas indolis, *studium in discendo,* tum *labor,* & demum *elementa eruditionis.* Quæ singula nobis paulò latius sunt diducenda atque illustranda, ut propositum nostrum tantò facilius assequamur. Et quidem quod *ad bonitatem naturæ* attinet, planum est, sine eâ frustra tempus teri in evolvendis Acroaticis Aristotelis scriptis. Uti enim non ex quovis ligno fit Mercurius, neque *ex thymbra,* (quod oleris aut fructus genus est, non dissimile thymo aut satureiæ) *fit lancea,* ut est apud *Athenæum* lib. V. Dipnosophistarum: sic nec omnium ingenia sunt accommodata disciplinis & scientiis, quas in acroaticis scriptis tradere *Aristotelem* ostendimus in Prodromo n. XXIIX. & seqq. sed quidam, ut ait *Fabius, rus ablegandi* sunt. Sanè *Aristoteles* ipse in I. *Polit.* cap. V. docet, quosdam naturâ adeò cœcam & imbecillem habere rationem, ut perpetuo ipsius duce opus sit, gressus ipsorum usquequaqve dirigente, absque quo si esset, fore, ut ne de necessariis quidem vitæ mediis sibi prospicere possent. Quod & satis superque experientia comprobat, & antehac quoq; comprobavit, inter alia etiam sub initiũ Ecclesiæ, cum

amore religionis certatim servi manumitterentur. Nam cum præcipiti illâ & promiscuâ manumissione statim exorta est copia xenodochiorum, in quæ detrudebantur, qui per impotentiam mentis liberis alendis & parando victui non sufficiebant, & Valentinianus edicto coactus fuit in servitutem retrahere eos, qui ostiatim obambulabant, & quod industriâ se alere nescirent, ad stipem manus porrigebant. Extat edictum hoc in Cod. Theodos. de mendicantibus non invalidis, & Justinianêo de mendicantibus validis. Quod repetiit postea & confirmavit etiam Justinianus Novellâ LXXX. c. IV. *Quos* enim *dies natalis servos edit, illi mentis vix habent dimidium*, ut scribit Plato lib. VI. de Leg. respiciens sine dubio ad istud Homeri Odyss. XVII.

Ἥμισυ γὰρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς
Ἀνέρος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσιν,
Mentis dimidium altisonus nam Juppiter illis
Aufert, quos homines servili presserit horâ.

Tales autem homines quis dixerit idoneos ad scientias capiendas? Præter hos porrò sunt alii, politiores quidem & satis apti ad percipiendas rationes ex communibus & endoxis aut verisimilibus principiis deductas, adeò perspicacis tamen ingenii non sunt, ut assequi valeant & rationes demonstrativas ex propriis principiis desumptas & ad scientiam accommodatas, quales in acroamaticis scriptis Aristoteles usurpat. Quò pertinet locus ille ex 1. Rhet. cap. 1. in Prodromo. n. XII. à nobis adductus. Ante omnia ergò in eo, qui cum fructu versari vult in lectione Acroamaticorum scriptorum Aristotelis, requiritur bonitas naturæ aut εὐφυΐα, quam & alibi efflagitat ab eo, qui Philosophiæ operam vult navare. Πρός τε τὴν γνῶσιν καὶ τὴν κατὰ φιλοσοφίαν φρόνησιν ὑπάρχειν εὐφυᾶ, ait IIX. Topic. c. XIV. §. 2. & 3, *Ad cognitionem & Philosophicam prudentiam necessarium est, ut quis benè sit dispositus naturâ.* Idem confirmat

firmat quoque Hippocrates, enumerans requisita in eo, qui ad scientiam rerum medicarũ (est autem reliquarum similis ratio) adspirat. Ante omnia, ait, eum oportet ἐπήβολον γενέσθαι φύσιος, *nactum esse naturam idoneam.* φύσιος γὰρ, pergit, ἀντιπρηττούσης κενεὰ πάντα· φύσιος δὲ εἰς τὸ ἄριστον ὁδηγεούσης, διδασκαλίη τέχνης γίνεται, *Naturâ enim repugnante, vana & irrita sunt omnia; eâdem autem quasi duce praeunte, ut quae in id, quod optimum est, viam commonstrat, & quasi manu ducit, tum doctrina artis comparatur.* Quo & Horatius respexit in Arte Poëtica canens: *Tu nihil invitâ dices faciesve Minervâ,* id est, natura reluctante.

II. Non negamus quidem posse interdum naturæ vitium corrigi assidua industriâ atque labore. Plurimum enim illa efficaciæ atq; ad perficiendas res virium habent. Scilicet ut aqua guttatim delapsa lapidem cavat, & ferrum quoque ac æs crebrâ contrectatione atteruntur, denique rotæ curruum labore magno curvatæ ita consistunt, ut nulla vis, nullus conatus in pristinam eas rectitudinem restituere valeat: sic labor improbus studiaq; longiora compensant nonnunquam emendantque ingeniorum tarditatem. Erat naturâ Socrates bardus & depravatus, Demosthenes balbus & hæsitans, & tamen assiduo labore sese natura ipsorum inflexit & passa est mutari. Veruntamen nec hoc negari potest, quod talis naturæ mutatio in paucis contingat & cum incredibili ferè laboris ac molestiæ tolerantiâ sit conjuncta, qualem ex adverso non experiuntur ii, qui indolis bonitate gaudent. Verissimum enim est illud Ptolemæi, quod quartum est inter ejus dicta, *animam ad cognitionem aptam natam veri plus assequi, quàm qui supremum in modum in scientiâ se exercuit.* Unde & alii inter veteres Philosophos semper delectum ingeniorum instituêre, cum ad discendum se aliqui offerrent. Neque enim temerè quosvis patiebantur auditores fieri acroamati-

carum lectionum & sapientiæ mysteriorum. Ita de Pythagorâ refert A. Gellius lib. I. Noctium Atticarum c. IX, quod *adolescentes, qui se ad discendum offerebant, solitus fuerit à principio* Φυσιογνωμονεῖν, id est, *vultum & speciem totius eorum corporis attentè considerare, ut ex eo conjiceret, essentne idonei, ut ad Philosophiam admitterentur. Quos enim cernebat ad id studium ineptos esse, non patiebatur apud se operam perdere.* Idem testatur Jamblichius in vita Pythagoræ c. XVII: *Accedentibus,* inquit, *ipsum ad institutionem discipulorum, ita comparatum ei & in more erat, ut amicis, ac volentibus domestico cum illo frui contubernio, non statim annuere sit solitus, donec eos prius exploravisset, deq; iis judicium fecisset. Primum quidem, quemadmodum cum parentibus reliquisq; familiaribus præsentibus fuissent versati, exquirebat. Deinde attentis valdè oculis intempestivos eorum risus ac silentium, itemq; sermonem non necessarium nimiamq; loquacitatem observabat. Adhac ipsorum cupiditates, quo pacto illæ se haberent, quinimò accuratè quoq; oris speciem, incessum, totumq; corporis motum considerabat. Cumq; ex naturæ notionibus diligenter pensiculatis eos judicaret, morum in animo non apparentium perspicua signa faciebat.* Socrates qvoque cum adolescens quidam à patre ad ipsum studiorum gratiâ adductus esset: *Adolescens,* inquiebat, *loquere, ut te videam.*

III. Præcipuè autem hîc legi meretur epistola Platonis, quam scripsit ad propinquos Dionis, in quâ hanc quæstionem, sitne aliquis factus naturâ ad sapientiam? expendit, ac docet, quibus notis internosci & alter ab altero secerni ac seligi queat. Omninò autem statuit ex omni hominum numero (quod & tot seculorum experientia comprobavit) perpaucos esse, qui ad præclaram hanc sapientiæ laudem rectè nati sint. Neque enim simplex quiddam esse unumq; naturalem illam, quæ ad scientiam requiritur, ingenii præstantiam, sed multiplici perfici virtute. Quod & revera ita se habet.

Ut

Ut enim ad ſcientiam quis perveniat, neceſſaria initiò eſt ea animi vis, quâ res propoſitæ facilè percipiuntur, cui vulgò tribuimus ingenii nomen: deinde verò & altera vis gravior, judicium ſcilicet, quod vera à falſis, & quæ per ſe nota ſunt, ab iis, quæ non ſunt per ſe nota, diſcernit, quâ quidem facultate nulla præſtabilior eſt ad veritatis cognitionem, quam Philoſophus propoſitam habet. Unde & ab Alexandro εὐφυΐα πρώτη καὶ κυρίως nuncupatur. Ut enim in agendis εὐφυΐᾳ præditus eſſe ille dicitur, qui promptè videre & eligere poteſt, quod in vitâ quotidianâ verè bonum eſt, idque à malo diſtingvere, III. Ethic. c. VII: ſic in iis, quæ ſub contemplationem cadunt, εὐφυὴς vocatur, qui tali judicandi acrimoniâ eſt præditus, ut promptè perſpicere poſſit, quid in ſingulis ſit verum, quid falſum, & quæ ex veris ſint per ſe nota, adeò ut citra ullam probationem fidem mereantur, qualia ſunt illa axiomata: *Omne totum eſt majus ſuâ parte, impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe, bonum omnia expetunt*; & quæ non ſint per ſe nota, ſed taliter comparata, ut probatione indigeant ex illis, quæ per ſe perſpicua & evidentia ſunt, petita. Τοῦτ', inquit Philoſophus VIII. Topic. XIV. §. 4, ἐστιν ἡ κατ' ἀλήθειαν εὐφυΐα, τὸ δύνασθαι καλῶς ἑλέσθαι τ' ἀληθὲς, καὶ φυγεῖν τὸ ψεῦδος, *hæc reverâ eſt naturæ bonitas, poſſe rectè eligere verum & declinare falſum.* Quibus ſimilia habet Suidas in Lexico, ſcribens: Εὐφυὴς ἐστι τὸ ᾠκειῶσθαι μὲν πρὸς τὸ ἀληθὲς· ἀποστρέφεσθαι δὲ τὸ ψεῦδος. ὁ δὲ τοῦτο ἔχων ἔχει καὶ τὸ κρίνειν τἀληθὲς δύνασθαι καλῶς, *Bonæ indolis eſt, erga veritatem quidem benè eſſe affectum, falſum autem averſari. Qui autem hoc bono præditus eſt, is etiam illud habet, ut de veritate rectè judicare poſſit.* Animadvertebat hujusmodi εὐφυΐαν in Thucydide, adoleſcente adhuc Herodotus. Inde patri ejus, Oloro, gratulaturus dicebat: ὁ σὸς υἱὸς ἔχει ψυχὴν ὀργῶσαν εἰς τὰ μαθήματα, ut auctor eſt idem Suidas, *Filius tuus animum habet propenſum ad diſcipli-*

 ſcipli-

ſciplinas. Denique à Platone & Cicerone *memoria* quoque exigitur ad dictam ingenii rectitudinem ſeu bonitatem. Ea enim neceſſaria eſt ad omnes artes addiſcendas, etiam quatenus eæ ex libris addiſcuntur; quanquam negari non poſſit, magis eam requiri in illo, qui artem haurit ex ore Doctoris, eam profitentis. Ex quo nullo ſeculo magis hæc pars fuit neceſſaria, quàm illo antiquorum ſapientum, qui Philoſophiam non ex ſcripto, ſed memoriâ docebant, quam rationem docendi alteri præfert & multò eâ meliorem eſſe oſtendit Plato in Phædro. Unde & Plutarchus in libr. de educat. *memoriam* vocat *cellam penariam diſciplinarum.* Et in fabulis eſt, ſcriptumque à Platone in Theæteto, *memoriam eſſe matrem Muſarum;* itemque *ſapientiam eſſe memoriæ & experientiæ filiam.* Præcipue autem notabilis eſt locus VI. de Republicâ, qui huc maximè facit. In eo enim & ingenium & memoriam requirit in eo, qui ſcientias addiſcere propoſitum habet. Sic autem loquitur: *Neque hoc, ut arbitror, prætermittes. Quidnam? Utrum ad percipiendum velox an tardus? num cenſes quempiam illud unquam diligere, quod cum aggreditur, ſummâ cum difficultate agit, & vix tandem parum quid proficit? Nunquam profectò. Quid ſi nihil ſervet eorum, quæ diſcit, obliviſcaturque omnium, nonnè erit ſcientiâ vacuus? Vacuus. Cùm verò irritus illi labor omnis ſuſcipiatur, annon cogetur tandem ſeipſum & actionem talem odiſſe? Nihil prohibet. Obliviosum igitur animum legitimorum Philoſophorum ingeniis convenire nequaquam exiſtimemus, ſed admodum memorem.*

IV. Obſervandum tamen, quod hæc omnia in excellenti gradu rarò concurrant, imò vix, ſi Medicos audimus, concurrere poſſint. Juxta illos enim ingenium ferè naſcitur in hominibus bilioſis, id eſt valdè calidis & ſiccis; quoniam bilioſus humor incitat ad celeritatem. At judicii bonitas deprehenditur in melancholicis, id eſt, leviter calidis & benè

ſiccis

ſiccis. Melancholia enim frenum quaſi eſt humorum, ne nimio calore præcipites feramur ad judicandum. Unde talia ingenia quoq; ad admirationem ſunt propenſa, quæ quaſi ſtimulus eſt ad ſcientiam, quia ſcilicet impellit ad inveſtigãdam cauſam, in cujus perceptione ſcientia eſt collocata. Memoriâ autem humidi valent, non quidem humiditate aqueâ prædi-ti, quibus nihil eſt obliviosius, ſed aëreâ. Unde & in pueris vis hæc præ cæteris ætatibus eximia exiſtit. Sed & Alexander hinc eos, qui ingenio valent ſive acumine, ait, non eſſe *κυρίως εὐφυεῖς, τῷ μὴ ἔχειν τὸ κριτικὸν ἐν αὑτοῖς, quod facultate judicandi ſint ut plurimum deſtituti.* Sicut enim illi, qui acutiſſimè vident, non benè diſcernunt inter res, melius autem diſcernunt, qui non tantâ gaudent acie videndi: ſic judicio prædi-ti diſcernunt eximiè, etiamſi minùs multa cernant, nec adeò promptè ſingula percipiant, quæ proponuntur. Ex quo ſimul intelligitur, aptiores eſſe naturâ ad acroatica percipienda, qui judicio, quam qui ingenio valent. Tales autem, ut diximus, ſunt melancholici. Quamvis enim non adeò celeriter, ut bilioſi, propoſita apprehendant, apprehendunt tamen fideliter & ſingula probè diſcutiunt, maturè examinant & dijudicant, diu meditantur, atque melius, quàm bilioſi, retinent ob ſiccitatem & caloris juſtam moderationem. Unde Ariſtoteles omnes excellentes & judicii gravitate inſignes viros melancholicos fuiſſe ſcribit & probat in Problematibus. ſect. XXX. probl. 1.

V. Cæterùm non ſufficit ad id, ut quis acromatica Ariſtotelis ſcripta rectè intelligat, bona indoles, ſed prætereà & *ſtudium* accedat neceſſe eſt. Ut enim agrorum feracitas neglectu & inſcitiâ colendi perditur, & corporum robur ſocordiâ hebeſcit atque diſſipatur: ſic naturæ bonitas negligentiâ corrumpitur. φύσεως ἀρετὴν διαφθείρει ῥᾳθυμία, *naturæ bonitatem ſocordia corrumpit*, ait alicubi Plutarchus. Requirit er-

rit ergo & Ariſtoteles ipſe apud Gellium c. l. ſecundò in diſcipulo οἰκείῳ, h. e. auditore aut lectore acroaticarum diſciplinarum genuino ſtudium, *ſtudium*, inquam, non quæſtus, nec ambitionis, quâ Sophiſtæ iſtius ætatis flagrabant, ſed ſtudium ardens veritatis, quam Philoſophus paſſim ſapientiæ cultori (hic autem eſt genuinus auditor acroaticarum diſciplinarum) adeò curæ eſſe debere vult, ut eam omnium hominum auctoritati longè anteponat, & ejus gratiâ, non modò aliorum, ſed & ſua ipſius decreta, ſi opus fuerit, revocare ſit paratus. ἴσως δὲ ἂν δόξειε βέλτιον εἶναι καὶ δεῖν ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν· ἄλλως τε καὶ φιλοσόφους ὄντας· ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν, inquit I. Ethic. IV. (VI.) *Fortaſſè ſatius eſt, omninoq́ue oportere videtur, conſervandæ veritatis causâ, etiam propria placita evertere, præſertim cum Philoſophi ſimus.* (Quid enim Philoſophus, niſi ἀληθείας ἐραστὴς, *veritatis amator?* ut Plato eum vocat VI. de Repub.) *Nam cum amici utriq́ue ſint, ſanctum eſt pluris facere veritatem.* Οὐ γὰρ πρό γε τῆς ἀληθείας τιμητέος ἀνήρ, *veritati namq́ue nullus vir eſt præferendus*, ait iterum Plato X. de Republicâ. Pythagoræ quoque multæ leguntur cohortationes, quibus auditores ſuos ad ſtudium Philoſophiæ ſeu veritatis (quid enim Philoſophia niſi ſcientia veritatis? II. Met. 1.) inflammavit, apud Jamblichum in Protreptico ſive lib. II. de ſectâ Pythagor. Sed nec prætereunda ſunt, quæ in hanc rem Plato rurſus ſcribit VI. de Republ. Dicit Philoſophiæ veræ cultores oportere τὴν ἀψεύδειαν καὶ τὸ ἑκόντας εἶναι μηδημῇ προσδέχεσθαι, τὸ ψεῦδος ἀλλὰ μισεῖν, τὴν δ' ἀλήθειαν στέργειν, h. eſt. *mendacii omnis naturâ expertes eſſe, neque ſponte mentiri unquam, ſed omnem odiſſe falſitatem, & diligere veritatem.* Neque id ſolùm probabile eſſe, ſed penitus neceſſarium eſſe dicit. *Non ſolùm probabile*, ait, *ſed penitùs neceſſarium eſt, eum, qui ex naturâ ad aliquid amore afficitur, quicquid co-*

gnatum ac familiare est amato diligere. Num familiarius autem quid sapientiæ, quam veritas reperitur? Nihil. An ergo possibile est naturam eandem esse philosophicam & mendacem? Nullo modo. Ergo necesse est veri discendi cupidum statim à pueritiâ veritatem omnem summoperè affectare. Denique Galenus eòusque progreditur, ut sapientiæ amatorem μανίᾳ veritatis ἐρωτικῇ correptum esse velit, id est, tanto ejus studio flagrare, quanto illi amore ardent, qui dominæ alicujus formâ capti in eâ amandâ dies noctesque propè insaniunt, in libro de constitutione artis. Flagrant autem veritatis amore, qui causam semper & rationem inquirunt (in iis scilicet, quorum dantur causæ) nec unqvam quiescunt, donec eam investigârint. Quo quidem animo præditos esse omninò necesse est eos, qui cum fructu versari volunt in acroamaticis Aristotelis libris evolvendis. Finis enim eorum alius non est, quàm tradere scientiam rerum ibi propositarum, ut ostensum â nobis in Prodromo n. XXIX. at scire est res per causam cognoscere, lib. I. Post. II.

VI. Studium hoc veritatis porrò excipit *laboris assiduitas*, quod tertium erat eorum, quæ ab auditore genuino τῶν ἀκροατικῶν Philosophus exigebat. *Veritas* enim, ut dicebat Democritus, *in profundo est demersa*; eaque propter omnibus voluptatibus bellum indicendum, ciboque non rarò & potu, quin & somno abstinendum, inque una veritate exquirenda & ex profunditate exhauriendâ, indesinenter laborandum. *Labor* enim est *pretium* illud, *quo Dÿ immortales nobis mortalibus sua bona*, id est, sapientiam, *vendunt*. Unde & Poëta: *Qui cupit optatam cursu contingere metam, multa tulit fecitq́ puer sudavit & alsit, abstinuit venere & vino.* Hæc virtus nobilitavit omnes, qui se supra cæteros mortales extulerunt. Nobilitavit Aristotelem, cujus domus *lectoris domus* ob continuum laborem â Platone fuit appellata, Ammonio

teste. Nobilitavit Galenum & Joannem Grammaticum, qui adeò patientes fuere in laboribus perferendis, ut cognomen quoque ab ea sibi acquisiverint. Alter enim φιλόπονος, alter etiam φιλοπονώτατος fuit dictus. Talem igitur patientiam seu φιλοπονίαν Aristoteles etiam à suo requisivit auditore. Postularunt autem eandem & alii à suis discipulis, velut Pythagoras, de quo Jamblichus, describens purgatricem, quam vocat, exercitationem, quâ eos, quos ante idoneos & aptos Philosophiæ studio deprehenderat, præparare solebat, ita scribit lib. I. de vita Pythagoræ c. XVI: Τὸ γυμνικὸν τὸ περὶ τὰ μαθήματα καὶ ἐπιτηδεύματα πόνων ὤετο δεῖν ὑπάρχειν, καὶ τὰς τοῦ ἐμφύτου πᾶσιν ἀκρασίας τε καὶ πλεονεξίας, βασάνους τε ποικιλωτάτας καὶ κολάσεις καὶ ἀνακοπὰς πυρὶ καὶ σιδήρῳ συντελουμένας διαθεσμοθετῆσαι τοῖς χρωμένοις, ἃς οὔτε καρτερεῖν οὔτε ὑπομένειν δύναταί τις κακὸς ὤν, *In universum labores circa disciplinas & studia exsistere oportere autumabat, & intemperantias simul & omnis generis avaritiam seu plura habendi cupiditates omnibus innatas, item diversissima vel experimenta, vel tormenta punitionesq́; ac præcisi nes ferro atque igni perfectas quasi legibus latis iis, qui utuntur, instituit, quas nec sustinere nec pati quispiam, qui malus sit, potest.* Addit: περὶ δὲ τούτοις ἐμψύχων ἀποχὴν πάντων, καὶ ἔτι βρωμάτων τινῶν ταῖς ἐπηρείαις τοῦ λογισμοῦ καὶ εἰλικρινείας ἐμποδιζόντων κατέδειξεν, *Adhæc verò ab iis omnibus, quæ animâ prædita forent, abstinentiam, simulq́; à cibis quibusdam, ceu rebus, quæ rationem perfringerent eiq́; vim inferrent, & mentis sinceritati integritatiq́; officerent, indixit.* Lib. II. c. XXI. recenset symbola, quibus usus fuerit Pythagoras, inter quæ XI. quod est in ordine, ita habet: Φορτίον συνανατιθέναι, συγκαθαιρεῖν δὲ μή, εἰς ἀνδρείαν προτρέπει, *Viro onus simul imponendum, non autem auferendum, quod depositum sit.* Cujus sensum hunc ille ait esse: Μὴ γίγνου μήτε αὑτῷ, μήτε ἄλλῳ ῥᾳθυμίας καὶ μαλθακῆς διαίτης αἴτιος, *nec tibi ipsi, nec ulli aliї remissioris animi mollisq́; convictûs causa esto.* Rationem

addit:

addit: πόνῳ γὰρ πᾶν χρῆμα ἁλώσιμον, *labore enim res, quæcunq; utilis est, acquiritur.* De Ammonio quoque legimus, quod laborem à suis auditoribus crebrò requirere solitus fuerit, eoque fine sæpiùs ipsis ostenderit asinum, laboris patientissimum animal, ut eos moneret, veritatis investigatorem tolerantem & patientem esse oportere laborum. Ut aliorum nunc mentionem non faciamus. Inde, cum ad Bionem juvenis quidam mollis duceretur, nolebat eum in disciplinam recipere, cumque id vitio ipsi verteretur, respondebat: οὐχ οἷόν τε ἁπαλὸν τυρὸν ἀγκίστρῳ ἐπισπᾶσθαι, *fieri non potest, ut caseus tenellus hamo attrahatur*, teste Diogene Laërtio in vita ejus. Quo ipso significabat, delicatulos nequaquam idoneos esse ad Philosophiam. Mos quoqve hinc apud Philosophos jam olim obtinuit, ut variis & miris modis tentarent eos, qui operam ipsis navare constitutum habebant, ut intelligerent, num patientes essent laboris, à genuinis Philosophiæ auditoribus exantlandi. Exemplo nobis sit Diogenes Cynicus. Venerat ad illum non nemo eâ fini, ut Philosophiam ab ipso disceret, cui ille *saperdam* (est hoc piscis genus, de quo videri potest Athenæus lib. VII. Dipnosophistarum) dabat atque se sequi jubebat: qui contra, pudore inductus, pisce projecto, discedebat. Interjecto autem aliquo temporis spatio cum Diogenes obviam illi fieret, subridens & salsè ipsum perstringens, dicebat: *Nostram amicitiam saperda diremit*, quod ex Diocle refert alter Diogenes, Laërtius, inquam, lib. VI. in vita ejus. De Indorũ Brachmãnis quoq; Strabo lib. XV. Geographiæ memorat, *quod eos, qui ad trigesimum usque annum tacere, frugaliter vivere, denique carnibus & Venere abstinere noluerant, ut incontinentes & ad percipiendam Philosophiam ineptos repudiarint.* Quid apud Athenienses hâc in parte obtinuerit, adhuc Seculo IV. à Christo nato, ex Monodiâ Gregorii Nazianzeni colligi potest, ubi tyrocinii sui cum Basilio Magno Athe-

nis initi historiam narrat. Nempe qui initiari gestiebant sapientiæ studiis, post varia ludibria & quæstiones captiosas aliasqve exagitationes tandem per forum ad balneum cum ingentibus clamoribus deducebantur, ut appareret, num intrepidi satis & firmi, an molles existerent ac inconstantes; nec prius, nisi loti, in candidatorum numero habebantur. Respicit ad hunc morem etiam Eunapius in vitâ Proæresii Sophistæ, ubi se quoque cum inopinatò convaluisset (viribus enim fractus Athenas venerat) in balneum ductum, atque in numerum auditorum, absque dicteriis tamen & salibus, aliàs adhiberi solitis, receptum scribit. Intercesserat enim pro eo Proæresius, atque ut ita cum ipso ageretur, rogaverat, dicens: εἴ τι δὴ βούλεσθε χαρίσασθαί μοι τῷ δημοσίῳ λουτρῷ τοῦτον καθήρατε πάσης χλευασίας φεισάμενοι καὶ παιδείας· ὥσπερ ἐμόν τινα παῖδα φαιδρύνετε, *quod si gratificari mihi vultis, publico eum balneo expiate, dicteriis salsibusq; parcentes, proq; filio meo habete.*

VII. Quartum & ultimum, quod requirebat Aristoteles in discipulo futuro Philosophiæ secretioris, notatur nomine *elementorum eruditionis.* Quid autem sibi velit per elementa eruditionis, ex iis, quæ in Prodromo num. XX. observavimus, non difficulter colligetur. Nempe intelligit per ea disciplinam ἐγκύκλιον, sive primam institutionem artium liberalium, quam παιδείαν plerique appellant, nec non *proœmium ac vestibulum Philosophiæ*: item προπαιδείαν & προπαιδεύματα, quod viam quasi muniant studiis Philosophiæ. Sic enim Suidas: προπαιδεία, τὰ πρῶτα μαθήματα. Synesius in Dione, nec non Galenus de propriis libris vocant πρώτην παιδείαν. Julius Capitolinus in Maximino *primam disciplinam.* Deniq; alii etiam πολυμαθείαν vel πολυμαθημοσύνην, quà imbui necesse sit eum, qui ad Philosophiam accedere amat. Ὡς γὰρ πρὸ τῶν μεγάλων μυστηρίων τὰ μικρὰ παραδοτέον, καὶ πρὸ φιλοσοφίας παιδείαν, ait Pythagoras apud Stobæum serm: XLI, *Ut ante majo-*

ram my-

ra mysteria tradi debent minora: sic & liberales artes ante Philosophiam. Et Simplicius in Enchiridion Epicteti: Ἀδύνατον, inquit, πρὸ τῶν μικρῶν τῶν μεγάλων μεταλαχεῖν, *Impossibile est, ut participes simus majorum mysteriorum, minorum expertes.* Duplex autem antiquitus erat παιδεία, quâ præparabantur ad Philosophiam ejus amatores, ut eodem loco indicavimus. Altera erat *primi* illius *gradus studiorum*, quo ab initio apud Græcos *tres* ferè artes docebantur, *Grammatistica* scilicet, *Gymnastica*, & *Musica*, quarum & Xenophon meminit in Rep. Spartan scribens: *Alii quidem Græcorum, qui pulcherrimè filios instituere cupiunt, mittunt illos ad magistros, literas*, γράμματα, *Musicam & quæ ad palæstram pertinent, percepturos.* Alludit quoque huc Aristophanes, apud quem in Equitibus Agoracritus negans se reipublicæ gubernandæ esse idoneum, rationem ejus hanc assignat, quod nec Musicam didicisset, nec literas eâ, quâ par fuerat, ratione: Ἀλλ', inquit, ὦ γαθ', οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι, πλὴν γραμμάτων, καὶ ταῦτα μέντοι κακὰ κακῶς, *Ego, vir bone, nullam artem didici Musicam, præterquam literas, atque etiam has malè malas.* Sed & Terentii ista huc pertinent ex Eunucho: *Fac periculum in literis, fac in Palæstra, in Musicis: quæ liberum scire æquum est adolescentem, solertem dabo.* Hinc autem Philippi & Alexandri temporibus, auctoritate Pamphili Macedonis, magistri Apellis, accessit & *picturæ* studium, quo *effectum* est, teste Plinio lib. XXXV. c. X, *ut primùm Sicyone, deinde in totâ Græciâ, ut pueri ingenui ante omnia diagraphicen, id est, picturam in buxo docerentur, reciperetur*q́*, ars ea in primum gradum liberalium.* Unde & Aristoteles lib. IIX. Polit. III. eandem sententiam sequutus quatuor artes fuisse docet, quæ ad τὴν ἐγκύκλιον, quam vocare eum diximus, aut τὸ καταβεβλημένον παίδευμα, *ad rectam & tritam disciplinã*, quam vulgò ingenui discerent, pertinerent. Eæ erãt γράμματα, ut ille loquitur, h. e. Grammatistica, *Gymnastica*, quæ in palastrâ exercebatur,

tur, *Musica*, ſcilicet ea, quam hodie Practicam dicimus, atque tandem *Pictura*. Altera erat *politior*, earum ſcilicet artium, quæ propter Philoſophiam unicè diſcebantur, & μαθήματα appellabantur, ſicut nō ſolùm ex Sexto Cheronenſi, ſed Simplicio quoque patet, qui comm. in II. de cœlo ſic ſcribit: *Literæ, i.e.* Grammatiſtica, *diſcenda ſunt ad μαθήματα percipienda, ea autem propter φιλοσοφίαν*. Pertinebant autem ad μαθήματα illa *Grammatica*, *Geometria* item, & *Arithmetica*, unà cum *Rhetoricâ* & *Poëtica*. Aliud enim apud quamplurimos inter veteres eſt *Grāmatica*, aliud *Grammatiſtica*. Nempe *Grammatiſtica* eis dicebatur, quæ tradit prima rudimenta ſeu elementa literarum, eorumq; connexiones. Qui autem illa docebant, *Grammatiſtæ* dicebantur. Quo ſenſu vocem uſurpat Plutarchus, quando Catonem Cenſorium, qui filium ſuum primas ipſe docuerat literas, γραμματιστὴν fuiſſe ſcribit. Meminit verò Grammatiſtarum & Maximus Tyrius, ipſorumque munus deſcribit Diſſert. XXXVII, & quidem his verbis: Ἦ γὰρ ἂν πολλοῦ ἄξιοι καὶ οἱ γραμματισταὶ εἶεν, πραγματευόμενοι περὶ τὰς συλλαβὰς, καὶ συμψελλίζοντες ἔθνους ἀνοητοτάτῳ, *Eo enim modo & illi, qui prima literarum elementa docent, qui circa ſyllabas verſantur & cum pueris balbutiunt aliquot, admiratione digni eſſent*. Et Diſſert. XXXVIII: Οἷον γὰρ, inquit, τοῖς παισὶν οἱ γραμματισταὶ μηχανῶνται, ὑποχαράττοντες αὐτοῖς σημεῖα ἀμυδρὰ, οἷς ἐπάγοντες τὴν χειρουργίαν, ἐθίζονται τῇ μνήμῃ πρὸς τὴν τέχνην, *Ita pueris, qui elementa addiſcunt prima, tenues quasdam magiſtelli notas ſolent præſcribere, ad quas manu deducunt eos, donec paulatim memoriæ beneficio arti aſſueſcant*. *Grammatica* autem priſcis vocabatur alia ſublimior facultas, quæ non conſiſteret in nudâ literarum notitiâ, ſed in examinandâ inſuper earum inventione & natura ac orationis partibus, quæ ex iis conſtant, aliisque id genus. Quo ſenſu Philo manifeſtè diſtinguit τὴν γραμματικὴν ἀπὸ τῆς γραμματιστικῆς in libro de congreſſu quæ-

rendæ

rendæ erudit: gratiâ: τὸ μὲν γράφειν, inquit, καὶ ἀναγινώσκειν, γραμματικῆς τὸ ἀτελεστέρας ἐπάγγελμα, ἣν παρατρέποντές τινες γραμματιστικὴν καλοῦσι, τὸ δὲ τελειοτέρας ἀνάπτυξις τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ συγγραφεῦσιν, *Scribere legereq́ est munus imperfectæ Grammaticæ, quam quidam convertentes vocabulum γραμματιστικὴν vocant; perfectioris autem Poëtarum histσricorumqve explicatio.* Et Martianus Capella lib. III. de nuptiis Philologiæ & Mercurii: Γραμματικὴ *dicor in Græcia, quod* γραμμὴ *linea &* γράμματα *literæ nuncupentur, mihiq́ sit attributum literarum formas propriis ductibus lineare. Hincque mihi Romulus literaturæ nomen adscripsit, quamvis infantem me literationem voluerit nuncupare, sicut apud Græcos* γραμματιστικὴ *primitùs vocitabar, dum & antistitem dedit, & sectatores impuberes aggregavit.* Sed & Svetonius hæc distingvit lib. de illustribus Grammaticis cap. IV. dicens, inter *Grammaticum* & *Grammatistam* eam fuisse olim differentiam, quæ inter *literatum* & *literatorem*, *& illum quidem absolutè, hunc autem mediocriter doctum existimasse.* Non minus & Ælius Lampridius in Alexandro Severo *literatores*, sive Grammatistas, *quos Severus in pueritiâ habuerat*, distingvit *à Grammaticis, quibus in patriâ, Romæq́, fuerat usus.* Observat quoqve idem discrimen Julius Capitolinus in M. Antonino Philosopho. Postquam enim dixisset: *Usus est magistris ad prima elementa Euphone literatore, & Gemino Comœdo,* subdit: *Usus præterea Grammaticis Græco Alexandro, quotidianis Latinis Trosio Apro, Pollione, &c.* Gemina his habet etiam Sextus Empiricus, qui & Asclepiadem pro confirmando eo adducit lib. I. adversus Dogmaticos cap. II. Dicit enim, τὴν γραμματικὴν dictam quidem esse secundùm Asclepiadem, ἀπὸ τῶν γραμμάτων, verùm non ab iisdem, à quibus Grammatistica. ἀλλ' ἐκείνη μὲν pergit, ἀπὸ τῶν στοιχείων, αὕτη δὲ ἀπὸ τῶν συγγραμμάτων περὶ οἷς πονεῖται· γράμματα γὰρ καὶ ταῦτα προσηγορεύετο· καθ' ὃ καὶ δημόσια καλοῦμεν γράμματα, καὶ πολλῶν πο-

ιαν

να γραμμάτων ἔμπειρον ὑπάρχειν φαμὲν, τουτέστιν οὐ τῶν στοιχείων, ἀλλά τῶν συγγραμμάτων, sed illa quidem (Grammatiſtica) *dicitur ab elementis, hæc* (Grammatica) *verò à ſcriptis, in quibus verſatur. Nam ea quoque appellantur literæ, quomodo etiam publicas vocamus literas, & multarum literarum dicimus eſſe peritum, hoc eſt, non elementorum, ſed ſcriptorum.* Innuit tamen ibidem Sextus, *Grammatiſticam* quoqve interdum *Grammaticam* fuiſſe dictam. Inde enim *duplicem* facit Grammaticam, *aliam* quidem, quæ τὰ στοιχεῖα καὶ τὰς τούτων συμπλοκὰς profiteatur, &, paucis dicendo, eſt ars quædam legendi & ſcribendi; *aliam* autem facultatem hâc profundiorem, quæ non ſita ſit in nudâ literarum cognitione, ſed etiam ἐν τῷ ἐξετάζειν τὴν εὕρεσιν αὐτῶν καὶ τὴν φύσιν, ἔτι δὲ τὰ ἐκ τούτων συνεστῶτα λόγου μέρη, καὶ εἴ τι τῆς αὐτῆς ἰδέας θεωρεῖται, *in examinandâ earum inventione & naturâ, & præterea in orationis partibus, quæ ex iis conſtant, et ſi quid ejus generis aliàs conſideretur.* Sed quicquid ejus rei ſit, diſcrimen inter *Grammaticam* & *Grammatiſticam* agnoſcit quoque Suidas in voce γραμματιστής. Dicit enim, quod Grammatiſtes ſit ὁ τά πρῶτα στοιχεῖα διδάσκων, *qui prima elementa docet.* Grammaticam autem dicit ἐπιστήμην τοῦ ἀναγινώσκειν καὶ γράφειν, *ſcientiam legendi & ſcribendi.* Ad ſummam, Grammaticus hoc ſenſu idem eſt, qui Philologus ſeu Criticus, quod nomen aliquando obtinuiſſe, qui poſtea Grammatici appellati ſunt, inter alios teſtatur & *Clemens Alexandrinus*, dicens de *Apollodoro Cumæo*, quod primus Critici nomen ſuſceperit & appellatus ſit Grammaticus. πρῶτος τοῦ κριτικοῦ εἰσηγήσατο τοὔνομα, καὶ γραμματικὸς προσηγορεύθη, inquit Stromatum lib. primo. *Dio Chryſoſtomus* quoque Orat. LIII. idem confirmat, dum ait, quod de *Homero* ſcripſerint inter cæteros *Ariſtarchus* quoque & *Crates* & alii plures τῶν ὕστερον γραμματικῶν κληθέντων, πρότερον δὲ κριτικῶν, *qui tandem Grammatici ſint appellati, cum antea dicerentur Critici;*

tici;

tici; quin &, quod addit ipse Aristoteles, ἀφ' ἧ φασὶ τὴν κριτικήν τε καὶ γραμματικὴν ἀρχὴν λαβεῖν, *à quo dicunt & Criticam & Grammaticam exordium sumsisse.* Olim tamen ait Grammaticam à Criticâ fuisse distinctam, quod non possumus negare. Nam & Sextus Empiricus c. l. c. III. refert *Cratetem* Criticum à Grammatico distinxisse, & Criticum quidem dixisse oportere esse λογικῆς ἐπιστήμης ἔμπειρον, *Logicæ scientiæ peritum*; Grammaticum autem esse tantùm γλωσσῶν ἐξηγητικὸν καὶ προσῳδίας ἀποδοτικὸν καὶ τῶν τούτοις παραπλησίων εἰδήμονα, h. e. *interpretem lingvarum & tradere accentus & ea scire, quæ sunt his similia.* Et ideò illum quidem ἐοικέναι ἀρχιτέκτονι, *similem esse Architecto;* hunc autem (Grammaticum) ὑπηρέτῃ, *ministro.* Longinus quoqve hoc sensu Criticus videtur fuisse nuncupatus. Sic enim de illo Suidas: Λογγῖνος ὁ Κάσσιος, φιλόσοφος, διδάσκαλος Πορφυρίου τοῦ φιλοσόφου, πολυμαθὴς, καὶ κριτικὸς γενόμενος. Et Eunapius in vitâ Porphyrii de eodem: *Longinus erat spirans quædam bibliotheca, ac vivens museum,* καὶ κρίνειν γε τοὺς παλαιοὺς ἐπιτετραμμένος, *cui de veteribus judicandi potestas erat permissa.* Sed hæc velut in transitu. Id certum est, non Grammatistices solùm, quam vocant, sed & Grammatices seu Critices & aliarum paulò ante recensitarum disciplinarum, velut Mathematicarum & cæterarum notitiam requisitam fuisse olim ab iis, qui ad ἀκροάσεις Philosophorum volebant admitti.

VIII. Et de *Mathematicis* quidem id satis constat vel ex solo *Platone*, qui nullum in Gymnasium suum introire permittebat Geometriæ seu disciplinarum Mathematicarum ignarum. Idem fecerunt *Xenocrates*, aliique, ut visum nobis in Prodromo num. XX. Unde, cum ad Xenocratem quidam Geometriæ & Astronomiæ prorsus ignarus, discendi ergo venisset, dimittebat eum ille his verbis: Ὕπαγε· παρ' ἐμοὶ πόκος οὐ κνάπτεται, *Hoc vellus apud me non carminatur,* ut refert Suidas, in voce κνάπτω. Ne-

que dubium eſt, qvin *Pythagoras* quoq; hoc obſervaverit, quippe qui cuncta ad ſecretiorem Philoſophiæ partem pertinentia ſimilitudinibus à numeris depromptis, tanquam ex iis, quæ auditoribus ſuis manifeſta & perſpicua eſſent, declaravit. Cujus veſtigiis inſtitere & cæteri, qui ab ipſo originem ſumpſerunt. Inde cum *Juſtinus Martyr* ad *Pytbagoreum* quendam magni nominis accederet, eo fine, ut in auditorum ſuorum atq; familiarium numerum ſe reciperet, quærebat ille: Τί δαί; ὡμίλησας μουσικῇ καὶ ἀστρονομίᾳ, καὶ γεωμετρίᾳ; ἢ δοκεῖς κατόψεσθαί τι τῶν εἰς εὐδαιμονίαν συντελούντων, εἰ μὴ ταῦτα πρῶτον διδαχθείης, ἃ τὴν ψυχὴν ἀπὸ τῶν αἰσθητῶν περισπάσει, καὶ τοῖς νοητοῖς αὐτὴν παρασκευάσει χρησίμην, ὥστε αὐτὸ κατιδεῖν τὸ καλὸν, καὶ αὐτὸ ὅ ἐστιν ἀγαθόν; *Verſatusne es in Muſicâ & Aſtronomiâ & Geometriâ? an exiſtimas quidquam te perſpicere eorum poſſe, quæ ad beatitudinem conducunt, niſi hæc prius cognoveris, quæ animum à ſenſibilibus ad intelligibilia percipienda aptum commodumq; reddunt, ut idipſum, quod pulchrum & bonum eſt, contemplari queas?* Cum autem Juſtinus ſe neſcire ea confeſſus eſſet, ſtatim eum à ſe Philoſophus ille dimiſit, ut ipſe teſtatur in *Dialogo cum Tryphone Judæo.* Ex eodem fonte ſine dubio illa feſtiva vox Socratici Ariſtippi profluxit, qui ex naufragio in Rhodiorum littus maris impetu & ventis aſſilientibus quum foret excuſſus, atque ibi ſchemata deſcripta eſſet intuitus, gaudio geſtiens proſiliit & benè ſperare comites juſſit, quoniam *veſtigia hominum videret,* ut inter alios teſtatur M. *Vitruvius Pollio de Architectura* lib. VI. in præfat. Sed & pertinet huc, quod de ſeipſo memorat Galenus. Dicit enim, ſe, cum Mathematicas probè à parente domi didiciſſet, ad Dialecticam & Philoſophiam diſcendam acceſſiſſe, expertumque ſæpè eſſe, quantum præſidii Mathematicæ artes ad Philoſophiam rectè intelligendam afferrent. Neque id mirum. Diſcimus enim ex iis, quæ reipsâ ſejungi non poſſunt, cogitatione ſe jungere, quod
in

in Philoſophiâ neceſſarum eſt ut faciamus. At longè difficiliùs eſt id in his, quàm in Mathematicis, præſtare. Unde & Ariſtoteles vult, ut juvenes prius imbuantur Mathematicâ, quàm Phyſicâ, aut ſapientiâ, VI. Ethic. VIII. Deinde aſſueſcimus ſic à teneris demonſtrationum robori, ne poſteà in Philoſophiæ ſtudio, levioribus argumentis temerè fidem adhibeamus. Quâ de cauſâ & Plato dixit, *mathematica non propter ſe, ſed propter aliud expeti.* Et in VII. de Republ. ait *eos, qui naturâ apti ſunt ad Logiſticam, eos acumine ingenii ad cætera percipienda excellere, eosq́, qui tardioris ingenii eſſent, ejus artis exercitatione reddi acutiores.* De Geometriâ in ſpecie diſſerit Alexander in I. Priorum. & contra Stoicos docet, quàm magno uſui ſit ad Philoſophiæ perceptionem. Nam ut à Geometris, inquit, ea, quæ cum aliis conjuncta ſunt, ita animi cogitatione ſeparantur, ut de ſingulis tanquam de naturâ quâdam ab aliis diſcrepante diſputent, veluti de lineâ, de ſuperficie &c: ſic & Philoſophi illa initia rerum naturalium, materiam ſcilicet & formam, quæ copulata cohærent, ſeparatim ſcrutantur & exponunt. Item decem illa prima genera, qvorum novem ſubſtantiæ accidunt, animi cogitatione ab illâ avocant, neque in materialibus tantùm & iis, quæ ſub ſenſum cadunt, acquieſcunt, ſed Mathematicorum more ad res quoque eas progrediuntur, quæ ſub intelligentiam cadunt, earumque differentias, quia & intelligentiarum divinarum numerum inquirere conantur. Hæc ille. Atque hinc & Suidas Geometriam & Arithmeticam inter προπαιδεύματα recenſet. ὁ δὲ Ὠριγένης, inquit, οὐκ ἐπαύετο παραδιδοὺς γεωμετρίαν καὶ ἀριθμητικὴν καὶ τἄλλα προπαιδεύματα.

IX. Sed & hoc jam in Prodromo indicavimus, præter Mathematicas diſciplinas, Geometriam, in quam, Arithmeticam, & Aſtronomiam, Grammaticam quoque & Rhetoricam inter προπαιδεύματα olim numeratas fuiſſe, ſive ad artes

illas *ἐγκυκλίους* pertinuisse, quæ ante Philosophiam erant discendæ. De quo quidem dubitare non potest, qui veterum Philosophorum studiosè monumenta evolvit. Confirmavimus id dicto loco testimonio Clementis Alexandrini, Porphyrii, aliorumque, quibus nunc addere possumus Philonem, Synesium & Origenem, quos quidem & ipsos ibi nominavimus, verba autem eorum non adduximus. Ex illis primus, Philo, ita inter cæteral. b. de congressu erudit: causâ: *Non sumus*, inquit, *apti prolem ex virtute suscipere, nisi prius misceamur ancillæ ejus. Est autem sapientiæ ancilla illa, quæ in liberalibus artibus scientia ponitur, ut Musica & Logica. Et sicut in magnis fabulis aut argumentis magna etiam procemia esse oportet, sic & isthic. Maximum enim argumentum virtus est, ut quæ circa grandem materiam versatur, vitam totam. Jure itaq; non levibus aut brevibus utetur procemiis, sed Grammaticâ, Geometriâ, Astronomiâ, Rhetoricâ, Musicâ, aliâ omni Logicâ contemplatione imbuetur, quorũ Symbolum est Agar, Saræ ancilla.* Secundus autem, Synesius scilicet, disertè Rhetoricam & Poëticam ad disciplinam *ἐγκύκλιον* refert, reprehendens rigidos quosdam harum disciplinarum contemptores, qui cum Rhetoricæ & Poëticæ ignari essent, magnam tamen sibi imaginabantur sapientiam, aut rerum Philosophicarum notitiam. At Synesius dicit non verosimile esse, eos pollere tantâ rerum, de quâ gloriabantur, scientiâ. Qui enim, inquit, fieri potest, ut tantum profecerit, ὃς οὐ προετελέσθη τῷ κύκλῳ, καὶ τὰ μουσῶν οὐκ ὤργιακε, *qui neque liberalium disciplinarum circulo initiatus est, nec musarum orgia celebravit.* Denique Origenis in Philocaliâ hæc verba sunt: Διὰ τοῦτο ἂν ηὐξάμην παραλαβεῖν σε καὶ φιλοσοφίας Ἑλλήνων τὰ οἱονεὶ εἰς χριστιανισμὸν δυνάμενα γενέσθαι ἐγκύκλια μαθήματα ἢ προπαιδεύματα, καὶ τὰ ἀπὸ γεωμετρίας καὶ ἀστρονομίας χρήσιμα ἐσόμενα εἰς τὴν τῶν ἱερῶν γραφῶν διήγησιν, ἵν᾽ ὅπερ φασὶ φιλοσόφων παῖδες περὶ γεωμετρίας καὶ φυσικῆς, γραμματικῆς τε καὶ ῥητορικῆς καὶ ἀστρονομίας, ὡς συνερίθων φιλο-

φιλοσοφία, τοῦθ' ἡμεῖς εἴπωμεν καὶ περὶ αὐτῆς φιλοσοφίας, πρὸς χριστιανισμόν, *Idcirco cupiebam è Philosophia Græcorum ea te accipere, quæ ad Christianam doctrinam circulares disciplinæ vel præludia esse possunt, quæque ex Geometriâ & Astronomiâ, usui futura sunt ad sacrarum literarum interpretationem, ut quod de Geometriâ, Musicâ, Grammaticâ, Rhetoricâ & Astromiâ philosophi tanquam* PHILOSOPHIÆ SOCIIS & ADJUTRICIBUS *ad Christianam religionem dicamus.* Hæc ille c.l.c.XIII. Quibus verbis disertè Origenes Geometriam, Musicam, Grammaticam, Rhetoricam & Astronomiam in numerum ἐγκυκλίων μαθημάτων seu προπαιδευμάτων refert. His adstipulatur & Maximus Tyrius, Philosophus Platonicus, qui de artibus, Philosophiæ adminiculum aut subsidiariam operam præbentibus differens ita loquitur Dissert. XXI: Φέρε δή, νομοθέτου δίκην, παρίτω Φιλοσοφία ψυχὴν ἄτακτον καὶ πλανωμένην κοσμήσουσα, καθάπερ δῆμον· παρακαλείτω δὲ ξυλλήπτορας ἑπομένας αὐτῇ, καὶ ἄλλας τέχνας, οὐ βαναύσους μὰ Δία, οὐδὲ χειρουργικάς, οὐδὲ οἵας συντελεῖν τὰ φαῦλα ἡμῖν, ἀλλὰ τὴν μὲν τὸ σῶμα τῇ ψυχῇ παρασκευάσουσαν ὄχημα εὐπειθὲς καὶ ἐρρωμένον τοῖς προστάγμασιν ὑπηρετεῖν, γυμναστικὴν ταύτην ὀνομάζουσα· τὴν δὲ ἄγγελον τῶν τῆς ψυχῆς διανοημάτων, ῥητορικὴν ταύτην ὀνομάζουσα· τὴν δὲ ἀγαθὴν τιθήνην τροφῶν γνώμης νέας, ποιητικὴν ταύτην ὀνομάζουσα· τὴν δὲ ἡγεμόνα τῆς ἀριθμῶν φύσεως, ἀριθμητικὴν ταύτην ὀνομάζουσα· τὴν δὲ καὶ λογισμῶν διδάσκαλον, λογιστικὴν ταύτην ὀνομάζουσα· γεωμετρίαν δὲ καὶ μουσικὴν ξυνεργάθω τε καὶ ξυνιέρεις φιλοσοφίας, τῶν αὐτῶν νείμασα ἑκάστῃ μέρος τοῦ πόνου, *Censeo, ut Philosophiam hanc advocemus, quæ legislatoris instar tumultum erroremque animi, tanquam populi alicujus componat. Quod ut possit, artium aliarum subsidium assumat: non è numero earum, hercule, quas sedentarias aut Mechanicas dicimus, quibusque in usu quotidiano utimur, sed illam primo, quæ corpus ita præparet, ut promptum animæ vehiculum validumque ad obeunda ejus imperia esse possit: quam Gymnasticam dicat. Alteram rursus, quæ animi con-*

 ceptio-

ceptiones efferat, quam Rhetoricen vocet. Tertium, qua animos juniores & adhuc rudes nutriat educetq́; quam Poëticen appellet. Quartam, quæ numerorũ rationem doceat, quam Arithmeticam nominet. Quintã, quæ supputandi, quam calculatoriã nuncupet. Hinc aliæ duæ, Geometria ac Musica, sequantur, sociæ Philosophiæ atq́; arcanorum ejus consciæ, quarum singulis illa opera sua partitur. Neq; aliud quid declaravit Sextus Empiricus sex illis libris, quibus eas artes exagitat, quæ ante Dialecticam & Philosophiã vulgò discebantur, in quarũ numero collocat *Grammaticam, Rhetoricam, Geometriam, Arithmeticam, Astronomiam & Musicam.* Sed & Scholiastes Aristophanis in Equitibus ad verba ista Aristophanis Act. I. scen. II: Ἀλλ' ὦ γάθ', οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι, πλὴν γραμμάτων. Musicam pariter & Grammaticam ad ἐγκύκλια refert, imò per Musicam Aristophanem illîc intelligere existimat universam ἐγκύκλιον disciplinam. Sic enim ille ad ista verba: Οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι: ὅτι μουσικὴν τὴν ἐγκύκλιον παιδείαν φησί· γράμματα γὰρ τὰ πρῶτα στοιχεῖα δεῖ γὰρ τοὺς διερχομένους διὰ γραμμάτων παιδεύεσθαι· ἡ γὰρ παιδεία τοὺς ἐκτρέπει λογισμούς. Dicit *se nullam didicisse artem Musicam*, præterquam *literas*, per *Musicam* intelligens circularem disciplinam. Literæ verò sunt prima elementa, quod per omnes disciplinas euntes necesse sit literis erudiri. Παιδεία autem arcet absurdas cogitationes, seu considerationes. Nec aliter sentit *Porphyrius* in Opere, quod de vitis Philosophorum inscripsit. Sic enim refert de eo *Johannes Tzezes* Histor. Chilia. XI. sect. CCCLXXVIII. ita scribens:

Δευτέρως γὰρ ἐγκύκλια μαθήματα καλοῦνται
Ὁ κύκλος τὸ συμπέρασμα πάντων τῶν μαθημάτων
Γραμματικῆς, ῥητορικῆς, αὐτῆς φιλοσοφίας,
Καὶ τῶν τεσσάρων δὲ τεχνῶν τῶν ὑπ' αὐτὴν κειμένων
Τῆς ἀριθμούσης, μουσικῆς, καὶ τῆς γεωμετρίας,
Καὶ τῆς οὐρανοβάμονος αὐτῆς ἀστρονομίας,
Ἐγκύκλια μαθήματα. δευτέρως, ταῦτα πάντα

Ὡς

Ὡς ἔγραψε Πορφύριος ἐν βίοις φιλοσόφων,
Καὶ ἕτεροι μυρίοι δὲ τῶν ἐλλογίμων ἄνδρες.
Secundo autem circulares disciplinæ vocantur.
Circulus enim conclusio est omnium disciplinarum;
Grammatices, Rhetorices, ipsius Philosophiæ,
Et quatuor artium sub ipsâ positarum,
Arithmetices, Musices, Geometriæ,
Et cœlum ascendentis ipsius Astronomiæ,
Circulares disciplinæ hæ omnes sunt:
Ut scripsit Porphyrius in vitis Philosophorum,
Et alii innumeri doctissimorum virorum.

In eo tamen à reliquis abit, quod ἐγκυκλίων nomine ipsam quoque Philosophiam comprehendat, quam alii, velut Seneca epist. LXXXIX, Clemens Alexandrinus, & plures antea adducti, manifestè ab encyclopædiâ excludunt. Porrò & Galenus lib. de propriis libris Rhetoricam ad πρώτην παιδείαν refert his verbis: τὴν πρώτην παιδείαν, ἣν οἱ παρ' Ἕλλησι παῖδες ἐξ ἀρχῆς ἐπαιδεύοντο παρά τε γραμματικοῖς καὶ ῥήτορσιν. Denique pertinet huc etiam locus Pauli Æginetæ, Græci Scriptoris Medici, ex lib. I. Rei Medicæ cap. XIV. ita scribentis: *Duodecimum annum egressos pueros ad Grammaticos jam ire, ad Geometras, & corpus exercere necesse est. Verum à decimo quarto usque ad tres annorum septenarios convenit exercitium in disciplinis & in Philosophicis doctrinis instructio.* His Logicam quoque adjicere Philonem vidimus, quem seqvuntur & alii magno numero, qui ideò septem numerant artes liberales, *Grammaticam, Rhetoricam, Arithmeticam, Geometriam, Astronomiam, Musicam & Dialecticam*, sub Grammaticâ Poëticam complectentes. Artes enim liberales vocant Latini, quas Græci dicunt ἐγκυκλίους, quod & *Seneca* notat epist. LXXXIIX. quæ est tertia libri decimi quarti. Ita *Isidorus Hispallensis* lib. I. *Orig.* cap. II: *Disciplinæ*, inquit, *liberalium artium septem sunt. Prima Grammatica*

matica, id est, loquendi peritia. Secunda Rhetorica, quæ propter nitorem & copiam eloquentiæ suæ maximè in civilibus quæstionibus necessaria existimatur. Tertia Dialectica, cognomento Logica, quæ disputationibus subtilissimis vera secernit à falsis. Quarta Arithmetica, quæ continet numerorum causas & divisiones. Quinta Musica, quæ in carminibus cantibusq; consistit. Sexta Geometria, quæ mensuras terræ dimensionesq; complectitur. Septima Astronomia, quæ continet legem astrorum. Easdem recenset & *M. Aurelius Cassiodorus* in libellis suis *de orbe disciplinarum liberalium*, nec non *Martianus Capella in Satyrico suo de nuptiis Philologiæ*, aliique complures, qvos secuti sunt illi, qui primi in Scholas invexerunt insignia illa graduum & honorum, quibus cohonestantur, qui Baccalaurei appellantur, atqve edicto sanxerunt, nequis Philosophiæ doctor renunciaretur, nisi septem illarum artium, tanquam comitum Philosophiæ, ante gnarus esset, suæque eruditionis in illis publicè specimen edidisset.

X. His adminiculis munitus Philosophus accessit scholam Platonis, ut testatur *Ammonius*, aut quicunque tandem Auctor est vitæ Aristotelis, Ammonio adscriptæ. ὁ μὲν οὖν Ἀριστοτέλης, ἔτι νέος ὢν τὴν τῶν ἐλευθέρων παιδείαν ἐπαιδεύετο, *Enimverò Aristoteles artes, quibus imbuuntur ingenui, juvenis didicit.* Ἑπτακαίδεκα δὲ, τῶν γενόμενος, καὶ τῆ Πυθίας κελευούσης αὐτῷ φιλοσοφεῖν, στέλλεται ἐν Ἀθήναις, *Cum autem annum ætatis decimum septimum ageret, monitus oraculo Pythico, ut se studiis Philosophiæ dederet, Athenas venit.* Porphyrius quoque hoc artes egregiè calluit, ut testatur Eunapius in ejus vitâ: *Porphyrium*, inquit, *veluti purpureum eum, cui initio nomen erat Malchus, nominavit Longinus, apud quem sublimibus studiis erudiebatur,* Γραμματικῆς τε εἰς ἄκρον ἀπάσης ὥσπερ ἐκεῖνος καὶ ῥητορικῆς. πλὴν ὅσον οὐκ ἐπ' ἐκείνην ἔνευσε· φιλοσοφίας τε πᾶν εἶδος ἐκμαξάμενος, *quippe qui Grammaticæ artis & Rhetorices cognitionem*

non

non inferiore, quàm ille, laude attigerat: mentem tamen eò non demisit, quin potius universum Philosophiæ genus effinxit atque expressit. Has igitur ipsas artes Aristoteles intelligit per *elementa eruditionis*, earumque notitiam in eo requirit, qui in scriptis suis acroaticis cum fructu versari contendit, & mentem ejus in illis assequi ad plenum. Et sane experientia ipsa docet, quam feliciter curriculum Philosophiæ ab Aristotele descriptum decurrant, qui his ansis, ut vocat Xenocrates, sunt instructi. Exemplo esse potest vel solus Proclus, qui Marino *biennio* dicitur absolvisse *Aristotelis Philosophiam;* sed *Grammaticæ, Rhetoricæ,* quin & *Poëseos, fuerat callentissimus, in Mathesi etiam perfectus, atque insuper & Platonicæ jam Philosophiæ gnarus,* imò, *jam antè gustum aliquem habuerat Aristotelicæ Philosophiæ ab Olympiodoro.* Quod non utilis autem solùm valdè, sed & necessaria insuper sit harum artium cognitio genuinis acroaticorum hujus Philosophi librorum lectoribus, non facilè quis dubitaverit, nisi hospes planè & ignarus sit ejus disciplinæ. Et de Grammaticâ quidem non opus est vel verbum addere, cum nemo sine ejus præviâ notitiâ ullũ intelligere possit auctorem, Unde & ipse Epicurus ac Pyrrho, etiamsi cæteroquin non adeò rectè de illâ quoque sentirent, necessitatem tamen ejus agnoverunt, quod testatur Sextus Empiricus lib, I. adversus Dogmaticos, & quidem his verbis: Ἀυτὸς δὲ ἑυρήσομεν τοὺς τῆς γραμματικῆς κατηγόρους, Πύῤῥωνά τε καὶ Επίκουρον ἐξομολογουμένους τὸ ἀναγκαῖον ἀυτῆς, *Inveniemus autem etiam ipsos Grammaticæ accusatores, Pyrrhonem & Epicurum, confiteri ejus necessitatem.* Idque mox probat: *Pyrrho namque narratur legisse perpetuò poësin Homericam, hoc nunquam facturus, nisi cognovisset, utilem esse Grammaticam & hoc nomine necessariam. Epicurus autem deprehenditur suorum dogmatum potissima surripuisse à Poëtis. Nam quod voluptatum magnitudinis terminus sit cujuslibet doloris ablatio, ex uno versu accepisse ostenditur,* ἀυτὰρ ἐπὶ πόσιος

καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο, sed postquam potusque cibique, exempta libido est. Quod autem mors ad nos relata nihil sit, Epicharmus ei indicavit, dicens: ἀποθανεῖν ἢ τεθνάναι, οὔ μοι διαφέρει, *Mortuum esse, vel mori mea nihil refert. Similiter & quod corpora mortua nullo sint sensu prædita, suffuratus est ab Homero, scribente,* κωφὴν γὰρ δὴ γαῖαν ἀεικίζει μενεαίνων, *Surdam autem terram malè vexat percitus irâ.*

XI. Quod verò & *Gymnastica* notitia aliqua ad lectionem scriptorum acroamaticorum Aristotelis sit necessaria, vel ex eo liquet, quod passim in scriptis his nonnulla ponit pertinentia ad hanc facultatem. Exempli causâ lib. IIX. Polit. cap. III. discrimen facit inter γυμναστικὴν & παιδοτριβικήν. Hunc locum nemo intelliget, nisi cognoverit ante, quid appellationibus his veniat, & quomodo hæ duæ facultates ab invicem distinguantur. Quod cum ignorent nonnulli, eas confundunt. Quibus si quis etiam Hesychium & Suidam annumeraverit, injuriâ fortassis haud affecerit ipsos. Ambo enim παιδοτρίβας & γυμναστὰς pro iisdem habent. Nec dissentire videtur Julius Pollux lib. III. Onomastici cap. ult. Ait enim sine discrimine: ὁ ἐφεστηκὼς, παιδοτρίβης τε, καὶ γυμναστής, *qui præest, nempe palæstra, pædotriba dicitur & Gymnastes:* & subdit: παιδοτρίβην δὲ τέχνην Ἰσοκράτης εἴρηκε· τὴν δὲ παιδοτριβίαν Ἄρχιππος ὁ κωμικὸς, *artem autem ipsam Isocrates quidem pædotriben, Archippus autem Comicus pædotribian dixit.* Ast Aristoteles, Plato & alii distingvunt. Et meritò quidem. *Gymnastica* enim propriè illa est, quæ exercitationum qualitates omnes novit, quæ scilicet cuique corpori conveniat, ut ad bonum firmumque habitum perducatur, easque præscribit & imperat, pro diversa hominum ac temperamentorum illorum, quin & ætatis conditione, veluti quæ senibus, quæ juvenibus, quæ indiscriminatim cunctis expediant atque conducant: *Pædotribica* autem Gymnasticæ subordinata est, atque secundum

dum præſcriptum ejus exercitationem & opera moderatur, & reipsâ oſtendit, quomodo illa fieri debeant & poſſint: ut adeò tale inter Gymnaſticam & παιδοτριβικὴν diſcrimen ſit, quale inter artem Medicam & pharmaceuticam aut chirurgicam. Sanè Ariſtoteles initio lib. IV. Polit. apertè ſcribit *Gymnaſticæ* eſſe docere, ἄσκησις σώματι ποία τῷ ποίῳ συμφέρει, καὶ τίς ἀρίστη, *qualis exercitatio cuiq; corpori conveniat, quæq; ſit optima.* Plato quoque in Gorgiâ dicit Gymnaſticam verſari περὶ λόγους τοὺς περὶ εὐεξίαν τῶν σωμάτων, *circa ſermones de bona corporis habitudine.* Et Galenus in libro ad Thraſybulum: Η τέχνη, inquit, γυμναστικὴ ἐστὶν ἐπιστήμη τῆς ἐν τοῖς γυμνασίοις δυνάμεως, *Ars Gymnaſtica eſt ſcientia facultatis ſeu virium omnium exercitationum ad quid ſcilicet unaquæq; conducat & quomodo ſit inſtituenda.* *Pædotribicæ* autem quod munus ſit, non obſcurè docet Plato in Gorgiâ. Ait enim pædotribæ opus, ἔργον, eſſe καλοὺς τε καὶ ἰσχυροὺς ποιεῖν τοὺς ἀνθρώπους τὰ σώματα, *corpora hominum pulchra reddere & valida ſive robuſta.* Idem repetit in Protagorâ, ubi de inſtitutione puerorum loquens inter alia ita ſcribit: Ἔτι τοίνυν πρὸς τούτοις εἰς παιδοτρίβου πέμπουσι, ἵνα τὰ σώματα βελτίω ἔχοντες, ὑπηρετῶσι τῇ διανοίᾳ χρηστῇ οὔσῃ· καὶ μὴ ἀναγκάζωνται ἀποδειλιᾶν διὰ τὴν πονηρίαν τῶν σωμάτων, καὶ ἐν τοῖς πολέμοις, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις πράξεσι, *Poſthac ad pædotribas mittunt filios ſuos parentes,* ut exercitationibus ſcilicet, ad quas illi eas aſſvefaciunt, *firmum aptumq; adepti corporis habitum, optimè rationi ſuggerant miniſterium, ne fragilitate corporum impediti à militaribus aliisq; actionibus, tanquam laborioſis, abſterreantur.* Atque hinc & Galenus lib. II. ὑγιεινῶν ſive de tuenda ſanitate, pædotribam à Gymnaſtâ differre dicit, ut à *Medico coquum:* ἕτερος δέ τις (παιδοτρίβης,) inquit, ὢν ὅδε τοῦ γυμναστοῦ καθάπερ ὁ μάγειρος τοῦ ἰατροῦ. Quod & repetit ac declarat in ſequentibus: *Ut enim coquus,* inquit, *betam, lentem aut ptiſanam, alias aliâ ratione præparat, nec tamen quod præparavit, quam vim obti-*

neat, intelligit, aut quanam ratio censenda sit optima, Medicus autem nihil quidem horum, ut coquus parare potest, interim quicquid præparatum est, ejus vires probè callet: ita & res comparata est cum Gymnastâ & pædotriba. Quibus ita constitutis jam nullo negotio intelligitur, quid sibi velit Aristoteles adducto antè ex IIX. Polit. loco, quando γυμναστικὴν & παιδοτριβικὴν ita distingvit: Τούτων ἡ μὲν ποιάν τινα ποιεῖ τὴν ἕξιν τοῦ σώματος, ἡ δὲ τὰ ἔργα, *Harum una*, Gymnastica scilicet, *corporis habitum conformat: altera autem opera.*

XII. Sine Gymnasticæ porrò peritiâ quomodo quis intelliget ista Aristotelis ex principio Poëtices: Αὐτῷ δὲ τῷ ῥυθμῷ μιμοῦνται χωρὶς ἁρμονίας, οἱ τῶν ὀρχηστῶν, καὶ γὰρ οὗτοι διὰ τῶν σχηματιζομένων ῥυθμῶν, μιμοῦνται, καὶ πάθη, καὶ ἤθη, καὶ πράξεις, *Numero verò ipso sine harmonia imitantur saltatores: Isti enim numerosi gesticulationis varietate mores, passiones, & actiones imitantur?* Quibus verbis id quidem clare innuit, quod saltatio nihil aliud sit, quàm motus ac actus corporis, facti certa quadam ratione & numero, qui imitetur hominum mores, affectus & actiones. Ast quis nobis dixerit, quid sit imitatio per numerosos motus, nisi ex Gymnastica, ad quam & saltationes pertinent, didicerit, quibus partibus saltatio constiterit olim? Docet verò id inter alios & Plutarchus IX. Convivalium quæst. XV. idque ex Ammonio, & quidem his verbis: *Dicebat Ammonius, saltationis tres esse partes, nempe* φορὰν, σχῆμα, καὶ δεῖξιν, *lationem, figuram & indicationem. Saltationem enim è motibus & habitudinibus,* σχέσεσι, *certis constare, ut harmoniam ex tonis s. sonis & intervallis. Hic autem quies sive mansio finis est saltationis. Motibus ergò nomen lationum tribuitur. Habitudines sive dispositiones, in quas motiones sive lationes terminabantur, nempe quando saltatores secundum Apollinis, aut Panis, aut Bacchæ alicujus figuram dispositi in corporis similibus formis aliquantulum persistebant & conquiescebant. Indicatio autem*

autem non imitatio propriè, sed interpretatio argumenti, sive rei alicujus. Quemadmodum enim, pergit, *Poëtæ, dum imitantur, nunc nominibus fictis, nunc translatis utuntur, cum verò indicant, propria nomina adhibent: ita & saltatores cum imitantur, figuris & habitudinibus utuntur, cum verò declarant res ipsas, veluti cœlum, terram, vicinos, prædictas indicationum δείξεις usurpant.* Hæc ibi ex Ammonio Plutarchus. Ex quibus quid sibi adductis verbis Aristoteles velit, intelligere est in promptu. Quanquam & nonnihil luminis iis accedere possit ex loco Platonis, qui lib. VII. de legibus occurrit, ubi saltationes in duas species distribuit, & quid sibi istis velit, mox declarat: *Nam*, inquit, *alius quidem motus decentioribus gestibus corporis honestum, dignumq́; aliquid imitatur, alius contra indecentioribus ad vile aliquid imitandum deducit. Et utriusq́; rursus duæ sunt species. Honestus enim digniorq́; motus est alius, cum in bello violentisq́; laboribus egregio corpore fortiq́; animo implicamur. Alius, dum animus in rebus secundis moderate lætatur. Atq́; hunc quidem si pacificum appellet motum, εἰρηνικὴν ὄρχησιν, à natura non aberraverit. Illum verò à pacifico divisum, πυῤῥίχην, rectè quis vocaverit, qui imitatur flexus corporum quibus tela plagæque vitantur, declinando, retrocedendo, exiliendo in altum, humiq́; se submittendo: contrarios item gestus, qui conducunt ad corporis motus, agilitati parandæ idoneos, qui tum in arcuum jaculationibus, tum in hastilium missionibus, denique in omnium plagarum impetitionibus simulacra pugnæ student imitari, simulq́; rectitudinem, & robur bonorum corporum atq́; animorum.* Lucianus quoque aliqua habet huc facientia in Dialogo de saltatione. Usum enim ejus descripturus, ita incipit: *Vis ergò, amice, omissis conviciis, arrectis auribus attentè mihi dare operam nonnihil super saltatione, ejusq́; virtutibus disserenti tum quemadmodum non solum oblectamento sit spectantibus, sed & emolumento: tum quantis de rebus homi-*

num animos commodè admoneat, & erudiat: præterea, quemadmodum spectantium mentes aptè componat, pulcherrimis exercens spectaculis ac optimis præceptis imbuens, ad hæc communem quandam corporis & animæ pulchritudinem ostendens? Qui vult, his addere potest etiam Athenæum lib. XIV. Dipnosophistarum, ut nunc alios taceamus.

XIII. Inprimis verò & libro de animalium incessu aliqua occurrunt, quæ sine Gymnasticæ notitiâ percipi haud possunt. E. gr. Cap. III. πένταθλοι, *plus salire*, dicit, *si τὰς ἁλτῆρας habuerunt, quàm si non.* Hic quæritur, qui sint πένταθλοι, quique ἁλτῆρες. At neutrum horum expediri potest sine Gymnasticæ gustu. Hæc enim ipsa vim utriusque nominis docet. Et quidem, quantum ad *primum* attinet, ex Gymnastica veterum constat, eos varia habuisse certaminum genera, veluti *luctationem, jaculationem, saltum, cursum & jactum disci.* Quæ omnia Simonides lib. I. Anthologiæ cap. I. hoc versu inclusit:

Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην,

Nominat *saltum, cursum, jactum disci, jaculum, luctam.* Eadem genera recensent & alii, sed alio ordine. Eustathius enim in Homeri Iliad. ψ. hoc ordine ponit: ἅλμα, πάλην, δίσκευμα, κόντον, καὶ δρόμον. Scholiastes autem Sophoclis & Pindari isto: ἅλμα, δίσκον, ἀκόντιον, δρόμον, καὶ πάλην. Qui ergò in his omnibus erant exercitati, Græcis πένταθλοι, Latinis autem *quinquertiones* dicebantur, ut legimus in glossis veteribus, in quibus hæc extant: πένταθλος *quinquertius.* Sed & Festus Pompejus de verborum significatione: *Quinquertium*, inquit, *vocabant antiqui, quem Græci πένταθλον, ut indicat versus hic:*

Omnes æqualis vincebat quinquertio.

Livius quoq; ipsos athletas sic nominat: *Quinquertiones*, inquit, *præco in medium vocat.* Porrò & Paulus Diaconus: *Quinquertium Græci vocant πένταθλον, quo die quinq; genera artium*

ludo

ludo exercebantur, ipsos quoque athletas Livius quinquertiones appellat, qui scilicet quinque istis artibus erant imbuti, quarum in ludis erat usus. Atque hinc & Democritus πένταθλος fuit dictus, videlicet per metaphoram, quod omnium artium peritiam habere crederetur. Fidem faciunt verba Diogenis Laërtii, quæ ex vita Democriti deprompta ita sonant: Ἦν ὡς ἀληθῶς ἐν φιλοσοφίᾳ πένταθλος. τὰ γὰρ φυσικὰ, καὶ τὰ ἠθικὰ, καὶ ἄλλα τὰ μαθηματικὰ, καὶ τοὺς ἐγκυκλίους λόγους, καὶ περὶ τεχνῶν πᾶσαν εἶχεν ἐμπειρίαν, *Erat reverà in Philosophia quinquertio. Nam & naturalium rerum, & moralium, & mathematicarum & liberalium disciplinarum, denique omnium artium peritiam longo usu firmatam habebat.* Sed quid per ἁλτῆρας Philosophus intelligit? Erant ἁλτῆρες pondera ferrea, lapidea, aut plumbea, aut ex alia materia, modo graviori, modo leviori confecta, atqve ansa ac manubrio prædita, eâque magnitudine, ut manu quodlibet caperetur. Eratque varius eorum in exercitationibus usus. Figuram autem eorum exhibet Mercurialis lib. II. Gymnasticæ cap. XII. ex antiquis gemmis & marmoribus, adducitqve insuper & locum ex Pausania V. Eliacorum, ita habentem: Οἱ δὲ ἁλτῆρες οὗτοι παρέχονται σχῆμα τοιόνδε κύκλου παραμηκεστέρου, καὶ οὐκ ἐς τὸ ἀκριβέστατον περιφερεῖς εἰσιν ἥμισυ, πεποίηνται δὲ ὡς καὶ τοὺς δακτύλους τῶν χειρῶν διιέναι, καθάπερ δι᾽ ὀχάνων ἀσπίδος, *Hi autem halteres circuli oblongioris figuram habent, neque dimidio ad exactissimam rotunditatem perveniunt. Ita verò facta eorum est figura, ut manuum digiti tanquam per clypei ansam immittantur.* Meminit eorum Galenus lib. II. de tuenda sanitate, nec non lib. V. ubi inter gymnastica instrumenta, quibus supernæ partes exercentur, eos recenset. Meminit & Paulus Æginetas lib. IV. rei Medicæ cap. I. item Antyllus apud Oribasium in Collectaneis capite περὶ ἁλτηροβολίας: & Arethæus Cappadox I. Chron. cap. de antiquo capitis dolore. Meminerunt denique

&La-

& Latini scriptores, interque eos & Juvenalis Satyrâ VI. v. 420.

— — *magno gaudet sudare tumultu*
Cum lassata gravi ceciderunt brachia massa,

Ubi vetus interpres: *Alteras dicit, quibus utuntur athletæ, cum exercent, quasi plumbeis ponderibus exercentur.* Item Martialis lib. XIV. Epigram. XLV. canens:

Quid pereunt stulto fortes haltere lacerti
Exercet melius vinea fossa viros.

Et alibi: *Alterem facili rotat lacerto.*

Inter alios verò utebantur iis, non tamen adeò gravibus, ac alii, etiam saltatores, qui iis innixi librabant se, ut minori cum labore saltarent, ex quo & fiebat, ut diutius saltarent: eodem modo, quo funambuli, qui dum super funes currunt & in modum ac numerum saltant, expansis brachiis longiorem baculum ambabus manibus apprehendentes, eoque se librantes, facilius saltant, quod si autem agilitatis suæ demonstrandæ ergò aliquando baculum projiciunt, hujus loco brachiis expansis & motis utuntur, quibus tum se librant, sed majori cum labore, & difficultate, quod & facit, ut citò tunc desinant. Et forsan saltatores halteribus primi usi fuêrunt, indeq; & nomen acceperunt, videlicet, ἀπὸ τοῦ ἄλλεσθαι, quod est *saltare.* Artemidorus lib. I. ἀρτῆρας vocat, fortassis ab ἀείρω, *attollo.* Ad hujusmodi ergò instrumenta respicit dicto loco Philosophus, dicens, *quod pentathli plus saliant, si halteres habeant, quàm si non,* rationemqve reddit hanc, quod *tunc nisus quidam sint in extensione ad manus & articulos.* Quod ipsum & alibi docet, videlicet sect. IV. Problem. probl. IIX. idemque tradidit & Auditor ejus Theophrastus in lib. περὶ κόπων.

XIV. Eodem libro de incessu, inquam, animalium cap. V. Philosophus & hæc habet. Nempe, volens ostendere, quod *naturaliter in omnibus animalibus motus sint à dextrâ parte,* inter alia etiam hoc utitur argumento: Σημεῖον δὲ ὅτι ἀπὸ

τῶν δεξιῶν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως, καὶ αἱ προβολαί, Hic rursum quæritur, quid sit προβολή? Ast hoc iterum in Gymnasticâ docetur: ex quâ constat, quod hâc voce notetur status pugilis in procinctu stantis & occasioni plagæ inferendæ imminentis, ad modum agitatoris, qui in carceribus equum sustinet currumq;. Quos hinc & conjungere solitus fuit Carneades, teste Cicerone lib. XIII. Epistolarum ad Atticum Epist. XXI. his verbis: *Sustinet eorum currum, ut bonus sæpè agitator, equosq́; semperq́; Carneades* προβολὴν *pugilis & retentionem aurigæ similem facit* ἐποχῇ. Apud Plutarchū quoq; hinc in Julio Cæsare ἐν προβολῇ στῆναι est *stare in procinctu*. Jam autem pugiles dicto modo stantes sinistrum quidem crus & brachium, quamdiu firmi & immoti stant, anteponunt, dextrum autem postponunt, ast cum percutere volunt, eâque fini se movent ambo præponunt, & sic inferunt plagam. Capite IX. autem ejusdem libri hæc occurrunt: *Rectum progredi nullum potest continuè & firmiter, moveri autem poterit*, οἷον ἐν ταῖς παλαίστραις οἱ διὰ τῆς κόνεως προϊόντες ἐπὶ τῶν γονάτων, *ut in palæstrâ ii, qui per pulverem genibus reptant*. Quâ similitudine respexisse videtur Philosophus ad genus illud luctæ, quod *pancratium volutatorium* nuncupabatur, in quo luctantes humi prosternebantur, atq; ibi se mutuo convolvebāt, alterque sibi alterum supponere conabatur, cujus figuram rursum apud Mercurialem lib. II. Gymnasticæ cap: IIX. descriptam licet invenire.

XV. Denique quot non in scriptis Aristotelis, maximè verò in Dialecticâ, vocabula reperiuntur, ex Gymnasticâ translata? Huic enim Dialectica est ἀντίστροφος, cujus rationem reddit Alexander Aphrodisæus verbis ex comm. in I. Topic. in Prodromo num. XXXI. adductis. Utitur in Dialecticâ suâ Aristoteles inter alia passim & vocabulis προβλήματος & περιπτώσεως. Ast unde hæc petita sunt, nisi ex Gymnasticâ? Quod facilè concedet, qui cognoverit, quis sensus harum vocum sit

in hâc arte. Nempe πρόβλημα illic dicitur id omne, quod pro munimento seu tutamine adversæ parti objicitur, à προβάλλειν, quod est *objicere, prætendere*. Unde & πρόβολος, *tutor, propugnator, defensor*, qui objicit sese alicujus tuendi causâ. Quod annotat etiam Hesychius in Lexico his verbis: πρόβολος, πρόμυλος, πρόμαχος, *defensor, propugnator, antesignanus*, qui in primâ acie stat, ut pro reliquis pugnet. Pariter & Suidas. Ait enim & ipse πρόβολον significare πρόμολον, πρόμαχον. Quod & confirmat verbis Aristophanis in nubibus: Πρόβολος ἐμός· Σωτὴρ δόμοις, *Propugnator meus, familiæ meæ servator*. De voce προβλήματος autem idem inter alia & hoc habet: πρόβλημα, ὃ προβάλλεται τις ὥσπερ ἐνδυόμενος αὐτὸ, καὶ τὸ προτεινόμενον εἰς ἀπορίαν; *Problema* dicitur, *quod quis hosti objicit ad vitandam periculorum quandam difficultatem*. Inde porrò προβλήματος vox in artem militarem translata est, ubi προβλήματα dicuntur murus, scutum, vallum, aliaque talia propugnacula plura, quæ hosti objiciuntur defensionis gratiâ. Hoc modo usurpatur â Platone in Politico esse dicit, ubi προβλήματα ὅπλα, τείχη, περιβλήματα γήϊνα καὶ λίθινα, καὶ μυρία ἕτερα ἀποβολῆς ἕνεκα εἰργασμένα, *vestimenta, arma, muros terrenosque & lapideos ambitus, aliaque permulta, quæ muniendi & objiciendi gratiâ fiunt*. Et in antecedentibus, postquam docuerat, eorum, quæ possidemus, *alia esse gratiâ aliquid agendi, alia, ne quid incommodi patiamur*, veluti *propugnacula, parari*, subdit: Καὶ τῶν ἀμυντηρίων, τὰ μὲν ἀλεξιφάρμακα καὶ θεῖα, καὶ ἀνθρώπινα, τὰ δὲ προβλήματα· τῶν δὲ αὖ γε προβλημάτων, τὰ μὲν πρὸς τὸν πόλεμον, ὁπλίσματα, τὰ φράγματα, *Et propugnaculorum quidem alia remedia sunt, tàm divina, quàm humana, alia problemata, alia objectacula, ut sunt militaris armatura & circumvallatio*. Πρότασις autem est à verbo προτείνειν, quod est *prætendere*, veluti si pugilum quis alteri hastam prætendat. Unde πρότασις idem est, quod prætensio, quæ fit in pugilum certaminibus, intervenientibus iis, quibus illi utuntur armis.

Ex

Ex Gymnasticâ ergò petita sunt vocabula προβλήματος & προτάσεως. Inde autem ab Aristotele, ut dicebamus, in Dialecticam traducta, ubi *problema* vocat quæstionem, quæ defensionis ergo in medium projicitur. Quod eo, quo ille vivebat, seculo in primis usu veniebat Sophistis, qui varias ostentandæ peritiæ, quam sibi vendicabant, causâ projiciebant quæstiones, in quibus ita se exercitatos esse sibi persuadebant, ut non facilè periculum sibi esset metuendum. Πρότασιν autem quæstionem dicit, quam prætendit problema aliquod in medium projicienti & tueri conanti is, qui ei se opponit, ut ad illam respondeat. Quo sensu & vocem προτείνειν Diogenes Laërtius in vita Aristippi usurpat in verbis istis: *Αἰνιγματικῶς αὐτῷ προτείναντος, καὶ εἰπόντος, λῦσον, qvum quidam ei ænigma proposuisset, ac solvere jussisset.*

X V I. Quod de Gymnastica autem scripsimus, idem non minus & de *Musicâ* verum est. Nempe & sine illâ non pauca in Aristotele loca intelligi haud possunt. Veluti lib. I. Posteriorum *principium* dicit *in nonnullis esse simplex, hoc verò non idem ubiq;, sed in pondere quidem minam, in cantu verò diesin.* Ast horum verborum sensum nemo assequetur, nisi ex Musicâ noverit, quid sit δίεσις, nempe intervallum minimum in tono, quantum ad sensum. *Tonus* enim est intervallum duarum vocum, quale est inter primam vocem, *ut*, & secundam, *Re*, ut hodiè loqui amant. Istud intervallum Musici dividunt primum in semitonia, non tamen æqualia, quia nulla ratio superparticularis, quæ & in tono est, in duo æqualia dividi potest, sed unum majus faciunt, alterum minus: minus autem rursum in duas partes, & quidem æquales subdividunt, quarum utramque veteres Musici Græci δίεσιν vocarunt, & pro minimâ voce sub sensum cadente habuerunt, quod inde & principium dixerunt ac elementum, ex quo alia majora intervalla constarent, inque illud resolverentur, pe-

inde ut numeri elementum eſt unitas, & magnitudinis punctum. Huc pertinet, quod & Vitruvius habet lib. V. cap. VI, ubi *dieſin* dicit *eſſe toni quartam partem, atq; in hemitonio duas dieſes eſſe collocatas.* Et Suidas in Lexico: Δίεσις, inquit, λέγεται, τὸ ἐλάχιστον μέτρον τῶν ἐναρμονίων διαστημάτων. ὅπερ ἀπολωλὸς ἐκ τῆς ἡμετέρας αἰσθήσεως, καὶ τὸ ἐναρμόνιον προσαπώλεσας, ἀγυμνάστου πρὸς αὐτὸ τῆς ἀκοῆς ἀπολελειμμένοις, *Dieſis vocatur minima menſura Muſicorum intervallorum, quæ ſi ex noſtro ſenſu ſublata perierit, & ipſum Muſicum ſonum perdit, quod auditus in ipſa relinquatur exercitatus.* Porrò lib. I. Topic. cap. XV. §. 11. hæc habentur verba: Φωνὴ ὀξεῖα λέγεται ἡ ταχεῖα, καθάπερ φασὶν οἱ κατ' ἀριθμοὺς ἁρμονικοὶ, *Vox dicitur acuta, quæ eſt cita, ut ajunt Muſici, qui circa numeros verſantur.* Horum verborum ſenſum itidem plenè non percipiet quis, niſi in Muſicorum ſcriptis ſit verſatus; qui acumen vocis oriri dicunt ex celeritate motus, quâ aër percuſſus impellitur, gravitatem autem ex tarditate ejus. Quod & veriſſimum eſt. Nam & hinc cannæ organorum majores, cum plus aëris cient, atque ideò tardius, ſonum edunt graviorem; graciliores contrà acutiorem, quia parum aëris movent, atque idcirco celerius. Virga quoque, ſi celerius aërem feriat, gignit motum in aëre celeriorem, atque hinc ſonum tum & ipſa efficit acutiorem; ſin autem tardius aërem feriat, tardiorem in illo producit motum, atq; hinc ſonum graviorem. Ptolemæus lib. I. Harmon. c. III. addit adhuc aliud exemplum, deſumptum à chordâ, quæ, ſi parum intenſa pulſetur, tardius aërem percutit, & inde ſonum edit graviorem: ſi autem magis intendatur, validius aërem pulſat, eumq; propterea concitatius movet & conſequenter ſonum reddit acutiorem. Eodem capite XV. primi Topicorum §. 18. Philoſophus mentionem injicit χρώματος ἐγ-τῖς μέλεσι, *coloris in melodiis.* Quis verô rurſum nobis dixerit, quid colore hoc indicet, niſi Muſicæ veterum gnarus, qui

canti-

cantilenas omnes ad tria genera revocabant, ἁρμονίαν, χρῶμα, & διάτονον, quorum diſtinctionem petebant ex variis vocum intervallis. Et harmonium quidem dicebant, in quo plures continerentur dieſes; διάτονον autem, in quo plures toni; χρῶμα denique, in quo ſemitonia plura. Meminit horum generum rurſum Vitruvius lib. V. cap. IV. ita ſcribens: *Genera verò modulationum ſunt tria: primum, quod Græci nominant ἁρμονίαν: ſecundum χρῶμα: tertium διάτονον.* Et mox: χρῶμα, inquit, *ſubtili ſolertia ac crebritate modulorum ſuaviorem habet delectationem.* Meminit quoque horum cantionis generum Macrobius lib. II. in ſomnium Scipionis cap. IV, nec non Martianus Capella lib. IX. qui & cauſam reddit appellationis χρωματικῆς: *Principalium*, inquit, *ſonorum ἐναρμόνιος, & χρωματικός, quam nos vix forſan rectè colorabilem memoramus. Et ideò hoc nomen accepit, quia inter principales colores album, tetrumq;, quicquid interjacens invenitur, colorabile grajâ ſignificatione perhibetur.* Ergò enarmonius, cromaticus, itemq; diatonus, quam extentam dicimus, indicia ſunt generum *modulandi.* Quanquam & in genere nonnunquam diverſi ſonorum moduli ritè conformati χρώματα ſive colores ſonorum dicantur. Quò pertinet locus Platonis ex lib. X. de legibus: Ἐπεὶ γυμνωθέντα γε τῶν τῆς μουσικῆς χρωμάτων, αὐτὰ „ἐφ᾽ ἑαυτῶν λεγόμενα, οἶμαί σε εἰδέναι οἷα φαίνεται, Si enim ea „coloribus Muſicæ nudaveris, ipſa per ſe indicata, qualia jam „videantur, te probe noſſe opinor. Suidas quoque in Lexico dicta modulationum genera omnia χρώματων appellatione inſignit, ἁρμονικὸν tamen putat κατ᾽ ἐξοχὴν hoc nomine indicari. Τρία, inquit, μέλη τῆς μελῳδίας. ἁρμονικὸν εἶναί φασιν, ἃς ἰδίως χρόας καλοῦσι, τὴν τε τοῦ μαλακοῦ χρώματος, καὶ τὴν διατονικοῦ χρώματος, Tres ſunt ſoni Muſicæ, ſvavis, harmonicus, „quod referunt ad ſonos, quos propriè colores vocant, tum is, „qui eſt mollis coloris, tandemque is, qui diatonici coloris „exiſtit.

XVII. Ulterius notabilis est locus ex IIX. Polit. cap. ult. ubi Philosophus Platonem sub personâ Socratis vellicat, ideò, quod, tertiò videlicet de Republicâ ex civitate ejiciendos dixisset tibiarum fabros, hoc ipso tibias damnans, cum tamen in concentibus Phrygiam harmoniam retineret. Tibia enim, *inquit*, in organis & Phrygius modus in harmonicis eandem vim habent, eosdemque producunt effectus. Ipse ergò præ Phrygiâ Harmoniâ Doriam laudat, quippe quæ accommodatissima sit adolescentiæ pariter & virili ætati, & maximè stabilis, ac medium teneat, quod in omnibus actionibus laudare solemus. Hic nisi quis ex Musicâ norit, quæ harmonia sit Phrygia, quæque Doria, frustra in intelligendo loco hoc desudabit. Acceperunt modi hi nomen à nationibus, apud quas maximè in usu fuerunt, velut Dorius dictus fuit à Doriensibus, Phrygius autem à Phrygiis. Differebant autem qualitatibus. Dorius enim gravis erat ac severus, indeque aptus ad prudentiam & virtutem animis inducendam. Phrygius verò erat ἐνθουσιαστικὸς, animos vehementiùs commovens & inflammans atq; audientes quasi ad furorem adigens. Unde & Lucianus Dorio modo tribuit τὸ σεμνὸν, gravitatem, Phrygio autem τὸ ἔνθεον, sive furorem, quem, ipso Platone teste, non solùm Apollo & Musæ habent, sed & Cupido, incitans ad amorem Athenæus quoque lib. XIV. Doricæ harmoniæ vendicat τὸ ἀνδρῶδες, καὶ τὸ μεγαλοπρεπὲς, ἐς τὸ σφοδρὸν, severitatem, majestatem ac vehementiam, nempe talem, quæ nec dissoluta nec hilaris sit, sed tristis, minimeque varia. Alexander etiam hinc in prælium iturus Timotheum Musicum Dorium modum incinere jubebat, intelligens scilicet, plus illic valere præsentem animum, quàm furore percitum. Testis est Dio Chrysostomus in commentariis de regno. Denique & Plutarchus in præceptis gerendæ Reipublicæ harmoniæ genus Phrygium ad voluptatem inducere ait: τὸ πρὸς ἡδονὰς

ὀλι-

ὀλισθηρὸν καὶ ἀκόλαστον, partem ad voluptatem & libidines propenſam. Dorium autem modum in lib. de Muſicâ vocat ἀξιωματικὸν, plenum majeſtate, eumque convenire dicit πολεμικοῖς ἀνδράσι καὶ σώφροσιν, viris bellicoſis & moderatis. Quò & ſine dubio reſpexit ipſe Plato, in Lachete, quando verè cantionem Doricam eſſe dicit, ſi vita concordet cum oratione bonâ. Cui congruit & illud, quod ex incerto auctore refert Suidas: Τὴν δὲ τροφὴν ἐκ κληρώσαιτο μετρίαν καὶ ἄθρυπτον, οὔτε κακουργοῦσαν διὰ πενίαν, οὔτε διὰ πλοῦτον βλακεύουσαν, ἀλλὰ μέσην, καὶ μουσικὴν, τὸν δώριον τρόπον τῆς τύχης ἀληθῶς ἡρμοσμένην, *Victum erat ſortitus moderatum & deliciarum expertem, neque ſordidum ac moleſtum ob paupertatem, neque diſſolutum ob vitium, ſed medium quendam ac moderatum, verè ad Dorium fortunæ modum compoſitum & conformatum.* Natum quoque hinc veteribus eſt proverbium, ἀπὸ δωρίου ἐπὶ φρύγιον, *à Dorio ad Phrygium*, quod de iis uſurpabant, qui à vita temperatiore ad luxum ſeſe convertiſſent. Ex quò facilè eſt aſſequi verborum Ariſtotelis paulò ante ex VIII. Polit. adductorum ſenſum.

XVIII. Non prætereundus quoque nobis hic locus, inprimis notabilis, ex II. Met. III: *Qualis ſit conſvetudinis vis,* οἱ νόμοι δηλοῦσι, *etiam ipſi* νόμοι *declarant, in quibus fabuloſa & puerilia, eò quod iis aſſveti ſumus, plus valent, quàm vera notitia eorum.* Ubi per νόμους nonnulli leges intelligunt in quâlibet Republicâ pro conſervatione ſtatus ſancitas; quas populus carminibus incluſas ſolebat decantare, ut firmius memoriæ hærerent, teſte Ariſtotele ſect. XVIII. probl. XXVIII. In his enim dicunt multa ſimul fabuloſa fuiſſe ac puerilia ad terrendum & inſtigandum populum, qui propter inveteratam parendi iis conſvetudinem his magis paruerit, quàm ſi veræ agendorum rationes ipſi expoſitæ fuiſſent. Verùm nos nulli dubitamus, quin Ariſtoteles etiam hic ad ſignifi-

gnifi-

gnificationem vocis, νόμ☉, respexerit, Musicis familiarem. His verò νόμοι dicebantur cantica tàm ex vocabulorum metris seu rythmis, quàm modulis Musicis, affabre composita, maximè in honorem Deorum. Quo sensu vocem usurpavit Philosophus Problem. XIV. sect. XIX. ubi hanc quæstionem format: διὰ τί οἱ μὲν νόμοι οὐκ ἐν ἀντιστρόφοις ἐποιοῦντο· αἱ δὲ ἄλλαι ᾠδαὶ αἱ χορικαί; *Quæ causa, quod νόμοι cum antistrophis non canuntur, ut alii chorici cantus.* Sed & Strabo videtur huc respexisse lib. X. quando Thaletem, Lycurgi comitem, μελοποιὸν ἄνδρα, καὶ νομοθετικὸν appellat, eique *pæanas* tribui dicit, & τὰς ἐπιχωρίους ᾠδὰς, *aliaque usitata istis carmina*, καὶ πολλὰ τῶν νομίμων. Svetonius quoque vocem ita adhibuit in Nerone, de hoc ipso scribens: *Et prodiit Neapoli primùm: ac, ne concusso quidem repente motu terræ theatro, ante cantare destitit, quam inchoatum absolveret νόμον.* Porrò & apud Plutarchum Græcis dicuntur in usu fuisse πρὸς τοὺς θεοὺς νόμοι. Nec minus apud Pollucem lib. IV. cap. VII. post *cantus*, *preces*, *hymenæos* & similia νόμοι ponuntur, sive cantica, Diis sacra. In specie autem memorat νόμους Διὸς, ἀθηνᾶς, ἀπόλλων☉, νόμους *Jovis, Minervæ & Apollinis* cap. IX. sect. IV. & capite X. sect. V. νόμον τὸν ἀπόλλων☉ μάχης πρὸς τὸν δράκοντα, νόμον *Apollinis contra Draconem.* Adhæc Proclus in Chrestomathiâ, postquam carmen melicum in tria genera divisisset, quorum unum ad Deum spectaret, alterum ad homines, tertium εἰς τὰς περιστάσεις τὰς συμπιπτούσας, ad ea, quæ obiter eveniunt, *ad Deos* refert *hymnum, prosodium, pæanem, dithyrambum*, atque inter reliqua & νόμον, quem Apollini præcipuè vendicat, subdens: ἔχει δὲ καὶ τὴν ἐπωνυμίαν ἀπ᾽ αὐτοῦ, *quin & ab Apolline nomen accepit.* Suidas insuper mentionem injicit νόμου ὀρθίου & ἁρματείου, quorum uterque secundum quosdam Palladi fuit sacratus, teste Hesychio. Denique & Aristophanis Scholiastes: νόμοι, inquit, καλοῦνται οἱ εἰς θεοὺς ὕμνοι, νόμοι *vocantur hymni compositi in*

honorem Deorum. Cur autem νόμοι fuerint dictæ hujusmodi cantilenæ, causam Aristoteles sect.XIX.problematum probl. XXIIX. hanc reddit, quod homines, priusquam literas scirent, leges passim cantarint, cujus & non multò antè mentio fuit facta. Confirmatque idem & Martianus Capella lib.IX. scribens: *Quid pacis munia? nonne nostris cantibus celebrata? Græcarum quippe urbium multæ ad lyram leges decretaq; publica recitabant*. Plutarchus adhuc aliam reddit causam lib.de Musicà: *Non enim antiquitus*, ait, *pro libidine uniuscujusque, uti nunc, licebat fidibus canere, nec rythmos, concentusq; transferre; sed in quovis nomo propriam servabant tensionem*, τάσιν, *atque hinc νόμοι dicti sunt, quoniam quasi lege cautum erat, ne quis pro qualibet unam speciem formamq; tensionis*, τῆς τάσεως, *lege sancitam transgrederetur*. Aristides lib.II.de Musicâ tertiam causam adducit. Ait namque *veteres cantilenas, rythmos, atque saltationes adhibuisse, tàm privatis lætitiis, quàm publicis Deorum festis*, καὶ συνήθη μέλη τινὰ νομοθετήσαντας ἃ καὶ νόμους προσηγόρευον, *firmitatem ipsis inde machinatos, quod in sacris adhiberentur, mansurasq; immobiles per appellationem benè ominatos*. Jam autem in nomis hisce, qui diis erant dicati, multa erant ridicula & fabulosa, v.c. theogoniæ, amores, peregrinationes, fraudes item diis tributa, & innumera ejusmodi alia portenta, quibus tamen, qui assveti erant, maximè ex plebe, plus movebantur, quàm si rationes, agendi hoc vel istud, nescio cujus ponderis ipsis propositæ fuissent. Quod si ergò de his accipiatur locus Aristotelis ex II. Met. III. antè laudatus, omnia sunt plana. Ast hic sensus sine cognitione Musices non fuisset detectus.

XIX. A Musicâ progredimur ad *Pictoriam* artem. Nam & illius peritiâ instructum esse oportet attentum scriptorum Aristotelis lectorem. Vocat ille interdum descriptionem, quâ rei alicujus ratio rudi Minerva ex proprietati-

i.

bus, adjunctis, aliisqve talibus, adumbratur, ὑπογραφήν. At unde vocabulum hoc petitum est, nisi à pictoribus, quibus *prima, eaque rudis & crassa lineamentorum omnium delineatio* ὑπογραφὴ vocatur, à verbo ὑπογράφειν, quod idem aliquando est, ac delineare, aut prima ducere elementa. Id enim primum faciunt pictores, cum quid depingere volunt. Nempe adumbrant illud ante omnia ac delineant, dehinc penicillum per easdem denuo lineas ducunt omniaque accuratius distingvunt. Istud adumbrare autem Græci ὑπογράφειν vocant. Unde & Hesychius ὑπογράφειν ait idem esse, quod τυποῦσθαι, nempe καθ' ἀναλογίαν. Delineationi enim rudi & inchoatæ futuri operis in picturis, in statuariorum, plastarum, similiumque artificum operibus τύπος respondet, ut observavimus etiam in Prodromo n. XXVI. & XXXII. In exprimendâ autem conditione rerum huic delineationi ἀντίστροφος est descriptio, quæ non τὸ τί ἦν εἶναι, sive *ipsam rei essentiam* exactè declarat, quod facit definitio, quæ est λόγος τοῦ τί ἦν εἶναι I. Topic. V. §. 2. sed eam solùm adumbrat ex accidentibus nonnullis & proprietatibus qualibuscunque. Inde ergò & hanc ὑπογραφὴν vocat Aristoteles, ad imitationem Platonis, qui lib. VI. de Republica ὑπογραφὴν vocat *rudem & crassam rei explicationem, parum artis habentem*, atque *subtili & accuratæ explicationi* opponit in verbis istis: καὶ αὐτῶν τούτων οὐχ ὑπογραφὴν δεῖ ὥσπερ νῦν θεάσασθαι, ἀλλὰ τὴν τελεωτάτην ἀπεργασίαν μὴ παριέναι. Aristotelem porrò imitatus est & Cicero, qui in Topicis: *Additur etiam descriptio, quam Græci ὑπογραφὴν vocant.* Ita enim veteres legunt, non χαρακτῆρα, quamvis alibi etiam hâc voce pro descriptione sit usus, videlicet in Oratore, lib. II. Epistolarum, ad Q. fratrem. Sed & pertinent huc ista Suidæ: ὑπογραφὴ λόγος σύντομος δηλωτικὸς τῶν συμβεβηκότων, ὑπογραφὴ *brevis* est *oratio, quæ accidunt, declarans.* Utitur verò & aliàs Aristoteles passim simili à rebus ad Pictoriam pertinentibus, veluti

veluti lib. VI. Topic. cap. II. §. 8. ubi definitionem bonam ita se habere oportere innuit, ut picturam elegantem, quæ si artificiosè facta sit, statim indicat, cujus sit effigies, indeque rejicit ejusmodi definitionem, quæ præ se non fert, sive per se non ostendit, cujus rei essentiam declaret: quam similem esse dicit *veterum pictorum operibus, quæ ejusmodi fuerint, ut nisi quis subscripsisset, cognosci non potuerit, quid unumquodque esset.* Ex qua causa & ipsimet suis picturis nomina adscribere solebant, veluti, cum picturâ non sufficienter distingvere possent eqvum ab asino, adscribebant uni, *equus*, alteri, *asinus*, & sic deinceps. Egregiâ quoque similitudine ex arte Pictoriâ desumptâ Philosophus modum, quem natura observat in generatione animalium, illorumque membrorum illustrat II. de Generat. Animalium cap. VI. utens his verbis: *Omnia lineamentis primum describuntur* ab illa, *deinde colores recipiunt, & mollitiem, & duritiem, quasi pictoris officio natura fungatur, cum condit & creat. Pictor enim ubi lineis primum descripserit animal, mox vario illinit colore ac perficit.* Porrò in lib. de sensu & sensibili cap. III. dicit, ex coloribus interdum unum per alterum apparere, idque declarat exemplo *pictorum*, *ἑτέραν χρόαν ἐφ' ἑτέραν ἐναργεστέρων ἐπαλειφόντων*, *colorem alterum alteri clariori superlinentium.* Velut cum (ita progreditur Philosophus) facere volunt, ut quidpiam in *aëre* aut *aquâ* esse videatur. Denique & in lib. de arte Poëticâ occurrit quidpiam, cujus difficilis est sine pictoriæ notitiâ intellectus. Sic enim illic Philosophus: *Recentium plurimorum Tragœdiæ sine moribus sunt, & omninò Poëtæ multi tales: sicut ex pictoribus Zeuxis ad Polygnotum se habet. Nam Polygnotus bonus morum descriptor: at Zeuxidis pictura prorsus caret moribus.* Hîc meritò quæsierit quis, quid sit mores exprimere picturâ. Id verò non difficile est percipere ex iis, quæ in Pictoria ab eo, qui artificiosè pingere vult, requiruntur. Nempe requiritur

ab

ab eo non solùm, ut quantitatem, qualitatem, situm rerum visibilium exprimat, sed etiam animi affectiones, ut iram, mœstitiam, amorem & similes, atq; actiones inde subortas insigniter repræsentet: absque quo pictura decore potissimo caret, quo gaudere debebat. Quod & Apulejus observat in Apologiâ scribens: *Deest & luto vigor, & saxo color, & picturæ rigor, & motus omnibus qui præcipua fide similitudinem repræsentat.* Sed & Tertullianus huc respicit lib. II. *contra Marcionem cap. IX. Imago*, inquit, *cum omnes lineas exprimat veritatis, vi tamen ipsa caret, non habens motum.* Unde & Pictoria Callistrato, ubi Æsculapii statuam describit, vocatur ἠθοποιὸς τέχνη, *ars mores effingens.* Jam autem variant affectus pro diversâ hominum naturâ & corporis dispositione: sequuntur enim temperamentū corporis, quod latè probat Galenus in peculiari hâc de re libro. Attendere ergò cogitur pictor, ut affectus, & actiones inde resultantes ritè exprimat ad dispositionem corporum & diligenter consideret, qualem dispositionem non faciei solùm & vultus, sed & manuum, aliorumque talium membrorum habeat iratus, qualem timidus, qualem alii plures. Ad quæ ipsa & Physiognomones respicere coguntur, quando de moribus & naturis hominum ex corporis conspectu judicare volunt. Quò pertinet & locus ille Aristotelis ex lib. de Physiognomoniâ, ubi ita scribit: *Quidam Physiognomonum veterum* judicium faciebant ἐκ τ̃ φαινομένων ἠθῶν, *ex moribus apparentibus, nempe qualem dispositionem singuli mores sequerentur, attendentes, qualis dispositio corporis esset in irato, qualis in timido, qualis in luxurioso, qualis in aliis affectibus deprehenderetur.* Non difficile autem est Pictoribus dispositionem corporis imitari. Constat enim pictura non coloribus solùm, sed & *lineis*, quæ signa lineamentorum corporis & consequenter etiam affectuum, morumqve, esse possunt. Sed & *colores*, quippe ex lumine & umbrâ diversimodè permixtis con-

constantes, non parùm conferre possunt ad mores exprimendos. Nam & Physiognomones rursum ad colorem cum vultus, tum capillorum &c. respiciuntq́, quando de moribus animi judicium ferre volunt. Quod & ipsum annotat Aristoteles lib. de Physiogn. cap. II. cum dicit illos judicare *non solùm ex motibus & figuris, sed & ἐκ τῶν χρωμάτων, ex coloribus, & moribus in facie apparentibus.* Verùm uti non omnes Physiognomones pares sunt in conjiciendis ex conspectu corporis moribus: ita nec pictores omnes pares sunt in exprimendis picturâ moribus, bonis maximè & pudicis. Ex quo & Thebis lex erat, quâ pictoribus quidem præcipiebatur, *ut imaginum formas quàm optimè, quoad ejus fieri posset, exprimerent, intereà tamen iis omnibus, qui obscœni quid pinxissent, mulcta irrogabatur,* teste Æliano lib. IV. Var. Hist. cap. IV. Aristoteles quoqve lib. VII. Polit. cap. ult. magistratum jubet operam navare, *ne qua in civitate esset statua, vel tabula picta, quæ actiones indecoras & obscœnas imitaretur.* Rejicit quoqve ex hoc ipso capite lib. IIX. Polit. cap. VI. *Pausonis tabulas, easq́;* *aspici* vetat *à benè institutis adolescentibus, neq; conspectu illarum mores ipsorum corrumperentur; Polygnoti autem imagines &* illic laudat, *non solum quod mores expressissent,* sed vel maximè, quod *mores rectos,* indeqve ad virtutem aspicientes incitassent. Neque aliter intelligendus locus ex Poëtica laudatus, ubi *mores hominum bellè expressisse* dicitur, *Zeuxidis* contra *picturas οὐδὲν ἦθος ἔχειν, mores planè non habuisse.* Intelligendum enim videtur posterius hoc non de moribus quibuscunqve, sed compositis & moderatis: aut certè de tabulis initio ab ipso pictis. Alioqui enim Plenius lib. XXXV. cap. IX. & Zeuxdi tribuit imagines, mores exprimentes: *Fecit*, inquit, *& Penelopen, in qua pinxisse mores videtur.* Polygnotum autem imitatum esse in arte illâ, quam in ipso Aristoteles prædicat, Dionysium Colophonium memorat Ælianus lib. IV. Variæ Historiæ

storiæ cap. III. dicens, *quod pictura ejus, exemptâ magnitudine, continuerint exquisitissimam artis imitationem, πάθος, καὶ ἦθος, καὶ χήματος χρῆσιν, affectus, mores, figuræ habitudinem, aliaque similia plura.*

XX. Ita constat, quàm necessaria versaturo cum fructu in lectione Aristotelis sit παιδεία vulgaris, aliàs πρώτη dicta. Non minus verò & altera in tali requiritur παιδεία. Pertinebat ad eam initio *Grammatica*, à Grammatisticâ distincta: quæ non solùm recta est scribendi & loquendi ratio, sed & scientia interpretandi scriptores, nec non emendandi & judicium, numquid rectè pronunciatum sit, nec ne, ferendi. Ita enim Varro apud Diomedem lib. II. de oratione & partibus orationis: *Grammatici officia constant in partibus quatuor, lectione, enarratione, emendatione, judicio.* Quas mox declarat Diomedes his verbis: *Lectio est artificialis interpretatio, vel varia cujusq; scripti enuntiatio, serviens dignitati personarum, exprimensq; animi habitum cujusq;. Enarratio est obscurorum sensuum quæstionumve explanatio vel exquisitio, per quam uniuscujusque rei qualitatem Poëticis glossulis exsolvimus. Emendatio est, quâ singula prout ipsa res postulat, dirigimus, æstimantes universorum scriptorum sententiam diversam, vel correctio errorum, qui per scripturam dictionemq; fiunt. Judicium est, quo omnem orationem rectè vel minus rectè pronunciatam specialiter judicamus: vel existimatio, quâ poëma cæteraq; scripta perpendimus.* Idem repetit Maximus Victorinus. Sic enim ille lib. de re Grammaticâ: *Grammatici officicia sunt quatuor, lectio, enarratio, emendatio, judicium. Lectio quidem est secundum accentus ad sensum necessitatemq; pronunciatio. Enarratio est secundum Poëtæ voluntatem uniusq; discretionis explanatio. Emendatio est errorum apud Poëtas & figmentorum deprehensio. Judicium est benè dictorum comprobatio.* Quæ Poëtarum autem, eadem hactenus ratio

est

est & aliorum scriptorum. Sed & Martialis huc respicit Satyra V. ita canens:

—— Sed vos sævas imponite leges,
Ut præceptori VERBORUM regula constet;
Ut legat HISTORIAS, auctores noverit omneis,
Tanquam ungveis, digitosque suos, ut forte rogatus
Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea, DICAT
Nutricem Anchisæ, nomen patriamq; novercæ
Archemori, dicat quot Acestes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.

Denique & Quintilianus lib. I. cap. II: *Grammaticus quoque*, inquit, *de ratione loquendi edisserat, quæstiones explicet, historias exponat, poëmata enarret, tot illa discent, quot audient.* Non minus verò & Græci passim his aut similibus officium Grammatici circumscribunt. Tauriscus sanè auditor Cratetis τῇ κριτικῇ subjiciens Grammaticam, dicebat illius esse τὸ μέν τι λογικὸν, τὸ δὲ, τριβικὸν. τὸ δ' ἱστορικὸν. Et λογικὸν quidem vocat, τὸ στρεφόμενον περὶ τὴν λέξιν, καὶ τοὺς γραμματικοὺς τρόπους, *partem, quæ versetur in dictione & tropis Grammaticis:* τριβικὴν autem, τὸ περὶ τὰς διαλέκτους καὶ τὰς διαφορὰς τῶν πλασμάτων καὶ χαρακτήρων, *partem, quæ in lingua versetur propietatibus & diversitate figurarum ac characterum.* Denique τὸ ἱστορικὸν, τὸ περὶ τὴν προχειρότητα τῆς ἀμεθόδου ὕλης, *partem, quæ consistat in tractatione materiæ nullam certam methodum habentis.* Testis & Sextus Empiricus lib. I. adversus Dogmaticos cap. XII. Dionysius autem Thrax, eodem ibidem auctore, partes Grammaticæ has statuit, *exercitatam in accentu lectionem; expositionem per tropos, qui fortè insunt, Poëticos: dictionum & historiarum explicationem: etymologiæ inventionem: analogiæ considerationem: &* κρίσιν τῶν ποιημάτων. Ipse verò Sextus Empiricus dicto libro cap. IV. Grammaticæ partem *aliam* dicit esse ἱστορικὴν, *historicam: aliam* τεχνικὴν, *artificiosam: aliam*

am denique ἰδιαιτέραν, *magis propriam, per quam certâ methodo sive certâ via ac ratione tractentur quæ sunt apud Poëtas & scriptores.* Et partem quidem *artificiosam* vocat illam, in quâ statuatur quid de *elementis & partibus orationis, orthographia item & linguæ proprietate, iisq; quæ consequuntur. Historicam* autem, in quâ *narratio instituta de personis, utpote divinis & humanis & heroicis:* aut *de locis, ut de montibus, vel fluviis:* aut etiam *de figmentis & fabulis*, & *si quid aliud sit hujusmodi.* Denique *magis propriam* eam, *quæ consideret occurrentia in Poëtis & scriptoribus eaq; quæ obscurè dicta sunt, exponat indicetq; quæ bona sint & quæ secus, deniq; & germana ac sincera ab adulterinis distinguat.* Sed & Philo Judæus passim, ut reliqua, ita & historiarum enarrationem Grammaticæ subjicit. Sic enim ille lib. de Cherubim: Γραμματικὴ, inquit, ποιητικὴν ἐρευνῶσα, καὶ παλαιῶν πράξεων ἱστορίας μεταδιώκουσα, *Grammatica dum Poëtarum scrutatur carmina, & priscorum gesta in historiis consectatur.* Et lib. de congressu quærendæ eruditionis gratiâ: Γραμματικὴ ἱστορίας τὰς παρὰ ποιηταῖς καὶ συγγραφεῦσιν ἀναδιδάξασα, νόησιν καὶ πολυμάθειαν ἐργάσεται, *Grammatica historias, quæ apud Poëtas scriptoresq; habentur, te docendo intelligentiam & multiplicem cognitionem tibi præstabit.* Ad extremum & Gregorius Nazianzenus in Oratione funebri, habitâ in laudem Basilii, Grammaticæ quatuor munera tribuit, nempe γλῶσσαν ἐξελληνίζειν, ἱστορίαν συνάγειν, μέτροις ἐπιστατεῖν & ποιήμασι νομοθετεῖν, *linguam ad proprium idioma formare, historias colligere, metris præesse, & carminibus leges præscribere.* Ex quibus primum & tertium ad eam partem Grammaticæ pertinent, quam Græci τεχνικὴν vocant, secundum ad partem ἱστορικὴν, quartum autem ad eam, quam ἰδιαιτέραν Sextus vocabat.

XXIII. Jam negari nequit, quod hujus facultatis notitia, quoad singulas partes, necessaria sit ei, qui cum fructu in

in lectione ullius probati ſcriptoris vult verſari. Dubium ergò non eſt, quin eadem & illi neceſſaria ſit, qui animum ſatagit lectioni Ariſtotelis admovere. Quod de parte quidem τεχνικῇ & ἱστορικῇ rurſum tàm clarum eſt, ut nullâ indigeat probatione: ſi quis tamen requiſierit, inveniet eam infra, ubi de obſcuritate Ariſtotelis circa verba & modos loquendi agetur. Sed & de hiſtorica parte idem dicendum. Quamplurima enim in ſcriptis hujus Philoſophi occurrunt, tàm quoad perſonas, quàm quoad loca, item tempora, & alias res, quæ ſine hiſtoriâ Grammaticâ intelligi haud poſſunt. Veluti quod ad perſonas attinet, quoties non Ariſtoteles veterum Philoſophorum, Thaletis, Pythagoræ, Democriti, Anaxagoræ, Empedoclis; necnon legislatorum, ut Solonis, Lycurgi, aliorumque injicit mentionem? qui quales fuerint, ex hiſtoriis Ariſtotelem legenti conſtare oportet. Non minus verò & locorum paſſim meminit, & quidem non *regionum* ſolum, ſed & *urbium*, veluti Babyloniæ, Lacedæmonis, multarumque aliarum, interque eas & urbis *Edonides*. Aſt quæ illa ſit, quis intelliget ſine hiſtoriæ cognitione? Ex hâc autem patet, quod fuerit urbs ſub Idâ monte propè Myſiam Æolidis, hinc Antandros, Cimmeria item, Cimmeris, nec non Aſſos & Apollonia dicta. Sic enim Plinius lib. V. cap. XXX: *In littore Antandros, Edonis prius vocata, deinde Cimmeris, & Aſſ s, eadem Apollonia.* Meminit ejus & Virgilius III. Æneidos v. 6. ſcribens:

— — — *claſſemq; ſub ipſâ*
Antandro & Phrygiæ molimur montibus Idæ.

Ad quæ verba Servius: *Eſt autem civitas Phrygiæ, dicta Antandros, vel quod de Andro inſulâ eam condiderunt coloni, quaſi ἀντ' ἄνδρος; vel quia Græci venientes per Thraciam ceperunt Polydorum, pro cujus pretio hanc accepere civitatem, quæ ex facto nomen accepit Antandros, id eſt, propter virum data.* Item

G Stra-

Strabo lib. XIII. qui & *Alexandriam eam* vocatam fuiſſe memorat, quod *illic à Paride*, hoc eſt, *Alexandro Deæ fuerint judicatæ.* Additque ab Alcæo eandem & *Lelegum* fuiſſe dictam. Ἄντανδρος, inquit & Stephanus Byzantius, lib. de urbibus & populis, πόλις ὑπὸ τὴν Ἴδην, πρὸς τῇ Μυσίᾳ τῆς Αἰολίδος, ἀπὸ Ἀντάνδρου τοῦ στρατηγοῦ Αἰολέων. Ἀριστοτέλης φησὶ ταύτην ὠνομάσθαι Ἠδωνίδα, *Antandros, urbs eſt ſub Idâ propè Myſiam Æolidis, ſic dicta ab Antandro Æoleorum duce. Ariſtoteles ait hanc vocari Edonidem.* Meminit quoque alibi Philoſophus noſter inſulæ *Ichnuſæ*, eamque in Mirabilibus ita primùm appellatam dicit, *quod humanum veſtigium ambitu ſuo maximè referret.* At quæ illa ſit, diſtinctius Hiſtorici tradunt. Veluti Plinius, qui lib. III. cap. VII. hæc habet: *Sardiniam ipſam Timæus Sandalioten appellavit ab effigie ſoleæ, Myrſilus Ichnuſam, à ſimilitudine veſtigii.* Nec aliter Solinus Polyhiſtor, cujus hæc ſunt cap. X: *Sardinia quoque, quam apud Timæum Sandalioten legimus, Ichnuſam apud Criſpum, in quo mari ſita ſit, quos incolarum auctores habeat, ſatis celebre eſt.* Martianus Capella lib. VI: *Sardinia à Sardo filio Herculis appellata habet formam humanæ plantæ. Deniq; Sandaliotes eſt nuncupata, & Ichnuſa, quod utrinq; veſtigii formam ſignat.* Sed & Stephanus Byzantius: *Sardinia*, inquit, *vocabatur Ichnuſa*, διότι ἐοικυῖα ἦν ἀνθρώπου ἴχνει, *quod ſimilis eſſet hominis veſtigio.* Adhæc & Silius Italicus lib. XII. de bello Punico de Sardiniâ loquens:

——— ——— *terras*
Enormes cohibet nudæ ſub imagine plantæ,
Inde Ichnuſa prius Grajis memorata colonis:
Mox Libyci Sardus generoſo ſangvine fidens,
Herculis ex ſeſe mutavit nomina terræ.

Denique & Claudianus de bello Gildonico de eâdem:

Humanæ ſpeciem plantæ ſinuoſa figurat
Inſula, Sardiniam veteres dixere coloni.

Por-

Porrò lib. III. Polit. cap. II. de *Babylone* memorat Philosophus, quod *cum expugnata esset, hostesq; primam urbis partem jam tenerent, illi qui ex alterâ parte urbis habitabant, nondum tertio die sciverint, quod urbs esset capta.* Id aliquibus incredibile videtur: verum nullo negotio credet, qui ex Historicis perspectam habet magnitudinem hujus urbis. Complectebatur enim ambitus ejus 64000. *passuum*, sive 480. *stadia*, aut 16. milliaria Germanica, ut testantur Herodotus lib. *I.* Plinius lib. VI. cap. XXVI. Solinus cap. LXX. aliique plures. Tandem, ne congeramus plura, VII. Politic. cap. X. eam *Europæ oram*, quæ sinu *Scylletico* & *Lametico continetur*, *Italiæ nomen* dicit esse consequutam. At & Historici rursus idem tradunt passim. Veluti Antiochus Syracusanus, Aristotele vetustior, qui apud Dionysium Halicarnasseum lib. I. Antiquitatum Romanarum cap. *XXXV.* & ipse apertè scribit: *τὴν γῆν ὅση ἐντὸς ἦν τῶν κόλπων τοῦ τε Λαμητίνου* (ita enim omninò legendum est, non *Ναπητίνου*) *καὶ τοῦ Σκυλλητικοῦ - πρώτην Ἰταλίαν κληθῆν*, *terram, quæ inter sinum Lametinum & Scylleticum primam Italiam esse dictam.* Idem refert etiam Strabo lib. VI. aliique plures.

XXIV. Non minus verò & *temporum* notitiâ indiget industrius Aristotelis lector. Exempli gratiâ, lib. I. Meteororum cap. XIV. mentionem injicit *diluvij Deucalionis.* Jam quæritur, quale hoc sit diluvium, seu quo tempore contigerit. Hic sane si quis historiarum notitiæ expers sit, aquam sibi denuo sentiet hærere. Si autem versatus in illis sit, facilè & hîc se extricabit. Sunt non pauci, qui existimant diluvium Deucalionis ipsum Noachicum diluvium esse. Nec sine colore. Concordant enim hîc non pauca. Erat Noë vir justus & pius. Ast talis dicitur & Deucalion fuisse. Plutarchus enim lib. adversus Colotem cap. XLVII. eum apertè in illorum classem reponit, *qui homines ad religionem induxerint atque*

ab impietate avocarint. Lucianus quoque in Deâ Syriâ ei tribuit εὐβουλίαν καὶ εὐσέβειαν, *prudentiam* & *pietatem.* Sed & ipsum Deucalionis nomen in Noam quadrat. Ita enim dictum illum putant, quod ante diluvium homines ad resipiscentiam invitarit, dicens: Δεῦτε, καλεῖ ὑμᾶς ὁ θεὸς εἰς μετάνοιαν, ut habet Theophilus lib. III. ad Autolycum, *Venite, Deus vos vocat ad pœnitentiam*, quasi dictus sit ἀπὸ τοῦ καλεῖν, id est, *à vocando.* Causa quoqve utriusque diluvii coincidit. Fuisse enim illam hominum *malitiam* & *iniquitatem*, non Lucianus solùm d.l. sed & Ovid: lib. *I* Metam. nec non Catullus in Epithalamio Pelei & Thetidos confirmant. *Universale* quoqve fuisse Deucalionis diluvium præter Ovidium & Lucianum cc. ll. Pindarus in Olympiacis, Diodorus Siculus lib. *I.* Bibl. num. X. Solinus Polyhistor cap. XXXVII. & alii testantur. Quantumvis autem ita res comparata esset cum diluvio illo, Deucalionem tamen, non minus ac Noam servatum fuisse una cum uxore & liberis & quidem in *arcâ* seu rate, quam venturæ cladis præscius sibi fabricârit, juxta cum Luciano l. c. nec non in Timone, Ovidius rursum l. c. Apollodorus item lib. I. de natura Deorum, & Plutarchus lib. de solertia animalium memorat, quorum postremus & *columbæ* ex arca emissæ mentionem facit. Hæc omnia congruunt apprimè. Erraret tamen, si quis de hoc diluvio locum Aristotelis vellet interpretari. Ille enim diluvium illud, quod Deucalionis vocat, non *universale* fuisse dicit, sed certis obtigisse locis, *maximè Græciæ*, & neque huic quidem æqualiter, sed *antiquæ* præcipuè, quam circa *Dodonem* dicit fuisse & *Acheloum.* Ad aliud ergò hîc diluvium respexit, nempe ad illud, quod sub Deucalione, Thessalorum Rege, in Græciâ contigit, anno 248. post diluvium Ogygium, ut habet alicunde Cedrenus; ante Olympiades vero an 0737, ut ex vetusto Chronographo refert Clemens Alexandrinus lib. I. Stromatum. Isto scilicet tempore

pore

pore non imbres solùm magnâ vi de cœlo effundebantur, sed & Oceanus tempestatibus vexatus maximam Thessaliæ partem undis cooperiebat, & quicquid mortalium in ea erat, absorbebat, præter paucos admodum, qui in montes confugerant. Jam pertinebat quidem diluvium hoc etiam ad alias regiones, veluti ad *regionem Atheniensium*, quod refert Pausanias in Atticis: item *ad Syriam*, ceu memorat Lucianus in Timone: porrò ad *Lesbum* Insulam, quod memoriæ prodidit Diodorus Siculus lib. V. Biblioth. cap. X: inprimis tamen Græciæ calamitatem induxit, cujus *maximam partem* undis fuisse coopertam Apollodorus confirmat. Maximè verò omnium sæviit tempestas hæc in ditionem Deucalionis, Thessaliam scilicet, quæ hinc & Æmonia fuit dicta, quam totam submersit: atq; hinc ejus nomine diluvium hoc veteres notum esse voluerunt.

XXV. Eodem, quem modò citavimus loco, videlicet I. Meteor. XIV. Philosophus de Ægypto memorat, quod olim *Thebe* fuerit dicta. Ast unde hoc ei constitit, nisi ex historicis priorum temporum? ex quibus proinde lux & huic loco fœneranda. Prodidit verò ante Aristotelem idem memoriæ etiam Herodotus lib. II. ubi de Deltâ: πάλαι, inquit, αἱ Θῆβαι Αἴγυπτος ἐκαλέετο, *Olim Ægyptus Thebæ dicebatur.* Sed & pertinet huc locus Homeri ex Iliade IX:

— — — οὐδ' ὅσα Θήβας
Αἰγυπτίας, ὅθι πλεῖστα δόμοις ἐν κτήματα κεῖται'
Αἵθ' ἑκατόμπυλοί εἰσι: διηκόσιοι δ' ἀν' ἑκάστην
Ἀνέρες ἐξοιχνεῦσι σὺν ἵπποισιν καὶ ὄχεσφιν,
— — — *quanta ve Thebæ*
Ægyptiæ condunt, ubi opum vis magna per ædes:
Queis centum portæ: bis centum quamlibet intrant
Curribus instructi usq; Viri, nitidisq; caballis.

Quæ verba plerique de urbe Ægypti à Busiride rege conditâ

 expo-

exponunt, cujus ambitum Herodotus 140. stadiorum, centumque portis nobilem fuisse scribit. Sed & Dionysius de situ orbis de urbe hâc loquitur, v. 249. dicens: Θήβην ὠγυγίην ἑκατόμπυλον. Juvenalis insuper Satyrâ penultimâ:

Atq; vetus Thebe centum jacet obruta portis.

De hâc ergò urbe verba Homeri interpretatur Pomponius Mela lib. I. de situ orbis cap. IX. scribens: *Earum* (urbium Ægypti) *clarissima procul à mari, Sais, Memphis, & Thebæ, uti quæ* (ut Homero dictum est) *centum portas, sive* (ut alii ajunt) *centum aulas habeat, totidem olim principum domos: solitasq; singulas, ubi negotium exegerat, dena armatorum millia effundere.* Non minus eadem de urbe Theba exponit Diodorus Siculus lib. I. Bibl. cap. *XLV.* Unde in hâc solâ urbe fuissent mille millia armatorum, quod cum omnem superet fidem, videntur omninò verba Homeri de Thebis Ægyptiis, non de urbe hujus nominis, sed totâ Ægypto esse accipienda.

XXVI. Res Physicæ insuper, de quibus Aristoteles agit, non parùm ex historicis accipiunt lucis. E. gr. lib. I. Meteor. cap. XII. *grandinis* causam dicit esse *frigus validum mediæ aëris regionis, auctum ἀντιπεριστάσει*: Contra lib. II. Meteor. cap. IX. fulminis causam ait esse *calorem contrarii frigoris ἀντιπεριστάσει & obluctatione auctum.* Quo ipso supponit frigidum frigidius effici posse, ob circumsistentem calorem: calidumque vicissim calidius ob frigus circumstans. Ast hoc rursum ex historiâ egregiè illustrari potest, variis adductis exemplis. Nam & cellæ profundæ in æstate sunt gelidiores, quàm in hyeme, propter circumfusum calorem: contrà autem fit in hyeme. Putei quoque & fontes ex eadem causâ in æstate sunt frigidiores, in hyeme calidiores. Corpora ad hæc nostra in hyeme plus habent nativi caloris, & ventriculus melius coquit, quàm in æstate, quia frigus circumfusum non sinit calorem exspirare, sed cogit illum & cingit veluti obsidione. Robustiores

quoque

quoq; ob eandem causam sunt homines in locis frigidis, quàm calidis. Veluti Europæi, Africani, Scythæ, Tartari sunt animosiores aliis populis, quia ob antiperistasin fortiore gaudent calore interno. Hinc quoque Hippocrates juvenem satis carnosum à tetano, frigido morbo, curaturus corpori ejus aliquot amphoras aquæ gelidæ superfundebat, ut calorem internum hoc pacto augeret. Ulterius candela citius consumitur hyeme in aëre frigido, quàm calido, quia flammæ vis intenditur & augetur propter antiperistasin. Denique calx recens & ferventissimis exhalationibus abundans, superfusâ aquâ exardescit: fabrique ferrarii ignem suum acuere volentes subinde quasdam aquæ guttulas inspergunt.

XXVII. Porrò lib. II. Meteor. cap. VIII. de terræ motu agens, tàm validum interdum esse docet, ut vel integras etiam concutiat civitates, aliaque similia loca. Atque exempli loco adducit Sipylum & Phlegræum agrum, terræ motu eversos. Jam autem & hoc sine historiarum cognitione nemo intelliget ad plenũ. Fuit Sipylus urbs Lybiæ in Magnesiâ, quam terræ motu fuisse absorptam memorat & Strabo lib. I. Geographiæ. Ait enim: Σίπυλος κατεστράφη κατὰ τὴν Ταντάλου βασιλείαν, *Sipylus eversa Tantalo regnante.* Pariter & Plinius lib. II. Natur. Histor. cap. XCI: *Ipsa se condens terra*, inquit, *devoravit Cybotum altissimum montem, cum oppido Curite, Sipylum in Magnesiâ: & prius in eodem loco clarissimam urbem, quæ Tantalis vocabatur.* De Phlegræo porrò agro Silius Italicus lib. *XII*:

Tradunt Herculeâ prostratos mole gigantes
Tellurem injectam quatere, & spiramine anhelo
Torreri latè campos, quotiesq́; minatur
Rumpere compagem impositam, expallescere cœlum.

Et Valerius Flaccus lib. VI:

——— *tremebundaq́; pulsu*
Nutat humus; quatit ut sævo cum fulmine Phlegram
Jupiter, atq́; imus Trophœa verberat arvis.

Evenit verò idem & aliis locis. Exemplo nobis sit *Helice*, oppidum Achaiæ ad sinum Cressæum, quæ à mari magno quodam terræ motu dicitur absorpta. Ita enim Strabo lib. VIII. Geographiæ de hâc urbe verba faciens: *Hæc*, inquit, *diluvio est deleta. Terræ motu enim elatum mare & Helicen obruit, & templum Neptuni Heliconii.* Sed & Ovidius lib. XV. Metamorph. de illâ pariter & Burâ, aliâ Achajæ urbe:

Si quæras Helicen, & Buram Achaias urbes.
Invenies sub aquis, & adhuc ostendere nautæ
Inclinata solent cum mœnibus oppida mersis.

Plinius quoque lib. II. cap. XCII: *Pyrrham & Antissam circa Mœotim Pontus abstulit, Helicen & Buram, in sinu Corinthio, quorum in alto vestigia apparent.* Inprimis verò & magnus terræ motus accidit, regnante Tiberio Cæsare. Tantus enim erat, *ut unâ nocte duodecim Asiæ urbes eo prosternerentur*, ut idem Plinius memorat lib. *II. c. LXXXIV.* Insula quoq; *Atlantis* longè amplissima ita olim periit, cujus in Timæo & Plato meminit, atq; ex eo rursum Plinius lib. II. cap. XC, ut alia nunc prætereamus.

XXVI. *In* specie, ut de homine etiã quid addamus, docet Aristoteles lib. VII. Hist. Anim. cap. IV. quod possit illum septimo mense edi, & quidem vitalis, eandemq; sententiam ei tribuit & Plutarchus lib. V. de placitis Philosophorum cap. XIIX. Ast idem & alii testantur, qui naturam rerum diligenter fuerunt scrutati, veluti Hippocrates lib. περὶ σαρκῶν non procul à fine, ubi hæc adhibet verba: Θαυμάζει δ' ἄν τις καὶ τοῦτο ὅστις ἄπειρός ἐστιν, ἢ εἰ ἑπτάμηνον γίνεται παιδίον. ἐγὼ μὲν οὖν αὐτὸ ὤπωπα καὶ συχνὰ, *Mirabitur fortè quis harum rerum imperitus, mirabitur fœtum septimo mense nasci, atq; id quidem certè, & sæpius vidi:* Idem docuit lib. de septimestri partu, quem laudat Paulus JCtus l. *septimo mense* D. de stat. hom. & Ulpianus l. *intestato* §. ult. D. de suis & legit hæredi. Sed & Plutarchus l. c. de Hippocrate idem confirmat, idemq; refert etiám de Polybo. Diocli autem, Stratoni, Empedocli, Epigenidi, aliisque præterea

mul-

multis idem fuisse observatum memorat Censorinus de die natali cap. VII. De *octomestri* porrò *partu* l. c. Philosophus dicit, quod in terra Ægypti & ipse non raró sit vitalis, in Græciæ autem locis perpauci serventur. Id veró itidem etiam aliorum observationibus est conforme. Nam & Polybus ac Diocles, Empirici quoq;, licet octavum etiam mensem partui aptum esse affirmarint, fassi tamen simul fuerunt, fœtum tum esse imbecilliorem, indeque multos perire, teste iterum Plutarcho l. c. Hippocrates quoqve lib. περὶ σαρκῶν: Ὀκτάμηνον, inquit, γενόμενον, ἐδὲν βιοῖ πώποτε, *Octavo mense natus nullus unquam vixit*. Quod tamen ad Græciam, & observationem ab ipso Hippocr. institutam, est restringendum. Similis locus ex eodem, & quidem ex lib. περὶ τροφῆς laudatur ab A. Gellio lib. III. c. XVI. Verba ejus ibi hæc sunt: ἔστι δὲ καὶ οὐκ ἔστιν ὀκτάμηνος γένεσις, Est & non est octomestris partus. Quæ verba sic exponit ibidem Sabinus Medicus: Ἔστι μὲν φαινόμενα ὡς ζῶα μετὰ τὴν ἔκτρωσιν οὐκ ἔστι δὲ, ὡς θνήσκοντα μετὰ ταῦτα. καὶ ἔστιν ἐν φαντασίᾳ μὲν παραυτίκα ὄντα· δυνάμει δὲ οὐκ ἔστι, Apparent quidem vel-„ uti vitalia post abortum, ast nequaquam sunt, quippe quæ sta-„ tim vitâ excedant. Itaque imaginatione quidem tantisper,„ sunt, virtute autem non sunt. His addi potest etiam Cicero,„ lib. X. Epist. ad Atticum Epist. ult. Galenus item de format. fœtus cap. I. & alii. Deniqve & Mathematicos Plutarchus l. c. octo menses ad quemvis partum insociabiles esse asserere dicit, septem autem sociabiles, quod ibidem pluribus exponit. Ulterius, post septem menses dentes pueris nasci Philosophus docet lib. VII. de Histor. Animal. cap. X. his verbis: Τὰ δὲ παιδία ἑβδόμῳ μηνὶ ἄρχονται ὀδοντοφυεῖν. At idem rursus Hippocrates lib. de septimestri partu. Sic enim ille: Τοῖσι παιδίοις ἑπταμηνιαίοισιν ἐοῦσι, καὶ ἄλλα διαφέροντα γίνεται ἐν τοῖς σώμασι, καὶ οἱ ὀδόντες φαίνεσθαι ἄρχονται ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ, *Pueris, ubi septem menses attigerunt, tum alia eximia in corporibus fi-*

unt, tum eo tempore dentes apparere incipiunt. Plinius quoque lib. VII. cap. XVI: *Cæterum editis primores septimo mense gigni dentes, priusquam in superâ ferè parte, haud dubium est.* Adhæc etiam Macrobius lib. I. in somnium Scipionis cap. V. *Post septem menses dentes incipiunt mandibulis emergere.* Denique & Moschion lib. de affectibus mulierum cap. CXVII. πρῶτον μὲν, inquit, ἀπὸ τοῦ ἑβδόμου μηνὸς φύειν ἄρχονται (οἱ ὀδόντες:) ἀλλ' οὐ πᾶσιν ἐπίσης, *Primùm dentes nasci incipiunt parvulis â septimo mense: non tamen omnibus æqualiter.* Legi potest etiam Alexander, sive Aphrotisæus, sive Trallianus, lib. II. Problem. XLVII. Illud quoqve, quod Aristoteles de *corde hominis* II. Histor. XVII. & III. de Partibus Animal. IV. docet, nempe *in medio* quidem illud esse, sed tamen inclinare quadantenus *versus latus sinistrum*, lumen accipit ex Historiâ Anatomicâ, quæ idem tam clarè docet, ut ne Galenus quidem, quantumvis aliàs Aristoteli minùs æqvus, id potuerit negare. Sic enim ille lib. V. Exercit. Anatomic. cap. VII: *Videbis*, inquit, *eâdem operâ hoc etiam, quod cor utrinque sit medium, inter duas thoracis capacitates, quas scilicet mediastinum facit. Contrarium tamen persvadere videtur motus ipsius, quasi in sinistro potius latere sit positum,* ἐν τοῖς ἀριστεροῖς, *propter duas causas. Alteram, quod in hoc animalis latere sit spirituosus seu sinister cordis ventriculus. Alteram, quod ferè totus ventriculus inclinetur in hanc partem.* οὐ γὰρ ὥσπερ ἡ βάσις αὐτῆς ἀκριβῶς ἐστι μέση τοῦ θώρακος ἀριστερῶν τε καὶ δεξιῶν, οὕτω καὶ ἡ κορυφὴ, *Non enim ut basis ipsius exactè est in medio: ita etiam apex seu mucro ipsius.* Non minus verò & id, quod de *figura cordis* noster loco ex Historia citato scribit, nempe, quod *figura ejus non sit longa, sed rotundior, in acutum tamen se colligat*, hoc est, oblonga sit & conica, historia anatomica confirmat, ex quâ rursum Galenus lib. VI. de usu partium cap. VII: Cor figurâ est,, oblongâ, quali conus est. Et Ruffus lib. II. cap. IIX. memo-,,

rat de

rat de illo, quod ſit τῷ σχήματι στρογγυλοειδὴς καὶ ἀπὸ πλατείας βάσεως εἰς κορυφὴν συνῆχθαι κωνοειδῶς, *figura turbinata, ſive ab amplâ baſi in apicem contracta ad modum coni.* Sed & diu ante hos Democritus in Epiſtola ad Hippocratem de humana naturâ: κωνοειδὴς καρδίη βασιλὶς, ὀργῆς τιθηνὸς, πρὸς πᾶσαν ἐπιβουλὴν ἐνδέδηκε θώρακα, *Cor regium locum obtinens & coni figuram habens adverſus omnes inſultus induit thoracem.*

XXIX. Multò magis verò adhuc hiſtoriæ notitia neceſſaria eſt ad intelligendum Ariſtotelem tum, quando ſententias quasdam aut leges nonnullorum laudat. Quæ enim mens fuerit illorum, non niſi ex hiſtoriis poteſt cognoſci. Exempli gratiâ de Thalete lib. I. Metaph. cap. III. narrat, quod *aquam* ſtatuerit *principium omnium rerum, fortè, quod nutrimentum omnium humidum eſſe videret, ipſumq́; etiam calidum ex eo factum, eoq́; animal vivere.* Ait idem hoc & Plutarchus Thaleti tribuit, uberiusq; declarat lib. I. de placitis Philoſoph. cap. III. ſcribens: *Thales principium rerum dixit aquam eſſe, quod ex aqua omnia ſint orta, inq́; eam omnia interitu ſuo reſolvantur, idq́; ex eô primum conjecit, quod ſemen omnium animalium principium humidum eſt; unde ſit probabile, ex humore omnia tanquam ex principio naſci. Deinde, quia omnes ſtirpes humido aluntur, idq́; ſuæ fœcunditatis cauſam habent, eoq́; deſtituta exareſcunt. Præterea, quoniam ipſe Solis ſtellarumq́; ignis aquæ exhalationibus aluntur, ipſeq́; adeò mundus.* Tribuit quoqve hanc ſententiam Thaleti Cicerò lib. I. de natura Deorum & V. Academic. quæſtionum, item Diogenes Laërtius in vitâ ejus, Galenus ſect. XXVII. Commentarii I. in lib. Hippocratis de natura humana, ubi tamen negat hanc ſententiam in libris Thaletis inveniri. Sed hinc forſan incidit in libros ejus περὶ τῶν ἀρχῶν, quem hactenus nondum viderat. In alio enim tractatu, quem, ut veroſimile eſt, hinc demum conſcripſit, nempe περὶ χυμῶν, *de ſaporibus*, verba Thaletis ex ſecundo

dictorum librorum citat, quæ ſententiam hanc continent apertè. Deinde lib. VIII. Phyſ. cap. I. text. II. Anaxagoræ tribuit, quod ſtatuerit ὁμοῦ πάντων ὄντων καὶ ἠρεμούντων τὸν ἄπειρον χρόνον, κίνησιν ἐμποιῆσαι τὸν νοῦν καὶ διακρῖναι, *omnibus ſimul exiſtentibus ac quieſcentibus in tempore finito mentem motum feciſſe & ſegregaſſe.* Quid his verbis autem indicare voluerit, ex hiſtoriis liquet. Nempe fuit Anax. in eadem cum a iis nonnullis Philoſophis ſententia, omnia ſcilicet initiò fuiſſe confuſum chaos, hinc autem Deum, qui mens ſuprema eſt, cuncta diſcreviſſe & formis ſuis exornaſſe, quæ ſententia apud Poëtas quoq; ,ut Orpheum in Hymnis & Argonauticis, Heſiodum in Theogoniâ, Linum item, Epicharmum, Apollonium in Argonauticis, Ariſtophanem in Nubibus, Virgilium item Eclogâ VI. Ovidium I. Metamorph. & alios occurrit. Anaxagoræ verò eandem fuiſſe mentem tradit inter alios & Plutarchus lib. I. de placitis Philoſophorum cap. *III.* Sic enim ille ex Anaxagoræ ſenſu: ὁμοῦ πάντα χρήματα ἦν, νοῦς δὲ αὐτὰ διῆρε καὶ διεκόσμησε, χρήματα λέγων τὰ χρήματα, *confuſa in unum erant omnia, mens autem ea diviſit & in ordinem compoſuit, rerum iis indens nomen.* Gemina his habet etiam in Pericle. Sed & Diogenes Laërtius lib. *II.* in vitâ ejuſidem refert & verbis ipſius Anaxagoræ confirmat, ita ſonantibus: Πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ· εἶτα νοῦς ἐλθὼν αὐτὰ διεκόσμησε, *Omnia ſimul erant, deinde acceſſit mens eaque digeſſit, inq; ordinem redaxit.* In procemio autem memorat inſuper, unde hoc acceperit, nempe à Lino. Poſtquam enim hunc iſtius verſiculum laudaſſet:

Ἦν ποτέ τοι χρόνος οὗτος ἐν ᾧ ἅμα πάντ' ἐπεφύκει,

Tempus erat, quo cuncta ſimul ſunt condita quondam,

ſubdit: ὅθεν λαβὼν Ἀναξαγόρας πάντα ἔφη χρήματα γεγονέναι ὁμοῦ, νοῦν δὲ ἐλθόντα, αὐτὰ διακοσμῆσαι, *Quem ſequutus Anaxagoras, & ipſe ſimul facta omnia aſſeruit, eaq; accedente mente compoſita,* id eſt, ſecreta ante omnia & hinc certis formis

exorna-

exornata. Qui volunt, de Anaxagorâ etiam consulere possunt Cicer. lib. *I.* de naturâ Deorũ, *Themistium* orat. *XV.* & alios.

XXX. Porrò I. Ethic. XI. Aristoteles hanc sententiã tribuit Soloni, *quod nemo ante obitum felix sit nominandus*, Quâ in re rursum & alios habet consentientes. Nec enim dubium est, quin Sophocles quoq; ad hanc Solonis sententiam respexerit in principio Trachiniarũ, quando hæc usurpavit verba:

Vetus hoc dictum est, priori seculo celebratum,
Ὡς οὐκ ἂν αἰῶν' ἐκμάθοι βροτῶν πρὶν ἂν
θάνοι τις, οὔτ' εἰ χρηστὸς, οὔτ' εἴ τῳ κακὸς,
Quod non liceat de cujusquam vita judicare, priusquam
Mortuus sit, utrum ea bona, ac secus, fuerit.

Sed quà occasione sententiam hanc adhibuerit Solon, ex historiis rursum est petendum. Nempe interrogabatur Solon à Crœso, num unquam vidisset quempiam tàm gloriosè regnantem, quam regnaret ipse: ad quod ille respondit, debere ultimum vitæ terminum exspectari. Nullius enim vitam esse beatam dicendam, donec fata peracta essent. Ita Herodotus lib. I, nec non Plutarchus in vitâ ejus cap. XLVI. & XLVII. aliique plures. Repetit autem hoc & Juvenalis Satyrâ X. ita canens:

Festino ad nostros, & regem transeo Ponti,
Et Crœsum, quem vox justi facunda Solonis
Respicere ad longa jussit spatia ultima vitæ.

Arrianus quoq; lib. VII. de expeditione Alexandri, postquam retulisset, quomodo Chaldæi oraculo moniti Alexandrum, ne Babyloniam procederet, fuissent hortati, atque ut occidentem versus non respiceret, neque exercitum huc ducens ingrederetur, sed potius agmen circumactum in orientem duceret, monuissent, & porrò narrasset, quod ob difficultatem viæ id præstare non potuerit, subdit: *Et fortasse satius ei fuit, in summo felicitatis fastigio, summoq; hominum desiderio*

vitam cum morte commutare, priusquam ei calamitas aliqua humano more accideret. Cujus rei causâ Solonem Crœso svasisse verosimile est, ut longæ vitæ exitum spectaret, neq; prius quenquam mortalium felicem judicaret. Legi insuper potest & Maximus Tyrius dissertat. *XXXV*, item Manuel Palæologus Orat. I. ut alios nunc taceamus.

XXXI. Ulterius de Solone & hoc memorat Philosophus lib. II. Politicorum capite postremo, quod, rempublicam ordinare inducens, civitatem diviserit in quatuor classes, nempe in Pentacosiomedimnos, Zeugitas, Equites, & Thetes. Verba ejus, II. Polit. cap. XII. occurrentia, hæc sunt: *Solon certè populo tribuisse videtur potestatem maximè necessariam, nempe, ut magistratus designaret, & rationes ab iisdem deposceret. Nisi enim hujusmodi rerum potestatem habeat, populus servus sit & inimicus necesse est. Magistratus autem omnes ex honestis & locupletibus constituit,* ἐκ τῶν πεντακοσιομεδίμνων, καὶ ζευγιτῶν, καὶ τρίτου τέλους τῆς καλουμένης ἱππάδος. τὸ δὲ τέταρτον, θητικὸν, οἷς οὐδεμίας ἀρχῆς μετῆν, *ex Pentacosiomedimnis, & Zeugitis, ac tertio censu, quem Equitum vocant. Quarto autem, Thetico, nullus patebat magistratus.* His nisi lumen ex historiis accedat, nunquam intelligetur, quinam per Pentacosiomedimnos & reliquos sint accipiendi. Iis autem in subsidium vocatis res evidens rursum est & plana. Sic enim Plutarchus in vitâ Solonis cap. XXVI: *Deinde cum Solon Magistratus omnes, ut ante erant, penes locupletes relinquere statueret, reliqua autem reipubl. munia, quorum plebs exors fuerat, communia facere, civium censum instituit. Qui aridorum simul & liquidorum medimnos quingentos in reditibus habebant, eos primos inter cives statuit, ac Pentacosiomedimnos appellavit. Secundo loco posuit eos, qui equum alere possent, aut perciperent medimnos fructuum trecentos, quos homines equestris ordinis nuncupavit. Tertiæ classi Zeugitarum*

nomen

nomen fecit, quibus scilicet utriusq; generis, aridorum, inquam, & liquidorum, simul mensuræ ducentæ erant. Cæteri omnes Thetes vocati: & his nullum magistratum permisit. Veniebant tamen & hi in partem reipublicæ, ad concionem pariter & judicium admissi. Quod etsi initiò nullius momenti videbatur, postea tamen magnum omninò esse apparuit, cum pleraq; controversia ad judices deferrentur: nam & quas causas magistratibus judicandas permiserat, circa eas provocationem ad judices eis permittebat, qui provocare vellent. Non aliter & Julius Pollux. Sic enim ille lib. *VIII.* Onomastici cap. *X: Ordines præterea,* apud Athenienses videlicet, *erant quatuor, Pentasiomedimnorum, equitum, Zeugitarum & Theticorum. Et isti quidem, quod quingentos medimnos liquidorum & aridorum colligerent, dicti: & ærario talentum solvebant. Illi verò equitum censum solventes, quod equos alere possent, dicti videntur. Colligebant verò mensuras trecentas, & semitalentum pendebant. Zeugitarum autem tributum solventes, à ducentis mensuris nomen acceperunt, solvebantq; minas decem. Thetes verò, uti magistratum nullum obibant, ita nec quicquam pendebant.* Videri possunt & Auctor Etymologici, in voce Θητεία, Nicephorus Gregoras in Synesium de insomniis, & Scholiastes Thucydidis in lib. *III.*

XXXI. Non ad hæc autem solùm plenè intelligenda genuino scriptorum Acroaticorũ Aristotelis lectori historiarum notitia necessaria est, sed & ad alia omnia, quæ in iis continentur. Cum enim methodo scientificà illa sint exarata, progreditur illic ita, ut omnia resolvat in principia sua, quæ non possunt aliter, nisi per experientiam, manifestari. Jam autem experientia unius hominis sæpius non sufficit ad constituendum principium aliquod, quippe quod universale esse debet, sed interdum requiritur ad id multorum seculorum observatio, præsertim in civilibus & naturalibus, propriè sic dictis, quæ principium omnis motus, etiam generationis & corru-

ptionis

ptionis in se habent; sed & in iis, quæ corruptioni quidem obnoxia non sunt, nimis tamen longè sunt dissita à nobis, neque in eodem semper loco, aut situ, deprehenduntur, secundum substantiã interim considerata nullam mutationem subeunt, ut sunt cœlestia corpora. Unde & Aristoteles ipse lib. I. de cœlo cap. III. ostensurus, quod cœlum sit incorruptibile, ad historiam hîc provocat: *In omni enim*, inquit, *præterito tempore secundũ traditam invicem memoriam nihil videtur transmutatum, neq; secundum totum ultimum cœlum, neq; secundum partem ejus propriè ullam.* Quod pluribus explicaremus, nisi factum id jam esset in libris de variis sciendi generibus & mediis eò perveniendi lib. II. cap. *XII.* Parilis verò quoque civilium est ratio, aliarumque rerum actioni obnoxiarum. Scilicet & in illis quidpiam, ut universè verum, poni non potest absque magnâ & satis diuturnâ non unius, sed multorum experientiâ, quæ itidem ex historiis est petenda. Unde & Cicero in Oratore ad Brutum cap. *XXXIV*: *Nescire, quid antea, quàm natus sis, acciderit, id est semper esse puerum. Quid. enim est ætas hominis, nisi quum memoria rerum veterum cum superiorum ætate contexitur? Commemoratio autem antiquitatis, exemplorumq; prolatio summâ cum delectatione & auctoritatem orationi affert & fidem.* Quibus consona multa habet etiam Polybius lib. *III.* cap. *XXXI.* Ex quo & idem lib. *I.* cap. *I* *nullam*, ait, *mortalibus expeditiorem esse ad proficiendũ viam, quàm* τῶν προγεγενημένων πράξεων ἐπιστήμην, *rerum ante actarum scientiam.* Rursus cap. *XXXV.* ejusdem libri καλλίστην παιδείαν πρὸς ἀληθινὸν βίον, *pulcherrimum disciplinæ genus ad veras vitæ rationes cognoscendas* vocat τὴν ἐκ τῆς πραγματικῆς ἱστορίας περιγινομένην ἐμπειρίαν, *peritiam ex historiâ collectam, quæ gestorum veram & exactam continet narrationem.* Denique & Plutarchus lib. de oraculorum defectu historiam vocat ὕλην φιλοσοφίας, *materiam Philosophiæ, quæ finem propositum habeat Theologiam.*

XXXII.

XXXII. Denique ad fabulas quoque Poëtarum Philoſophus noſter alludit in aliquibus locis, quæ proinde ſatis intelligi non poſſunt, niſi ab eo, qui in hiſtoriis verſatus novit, qvid Poëtæ per fabulas iſtas voluerint indicare. Veluti, quod III. Metaph. cap. IV, de *nectare & ambroſiâ* affert. Tradunt enim Poëtæ, à diis quidem omnia facta eſſe, ſed cum diſcrimine. Immortalia enim alia eſſe credita, alia mortalia. Et immortalia quidem facta eſſe, quæ nectar & ambroſiam guſtasſent. Quid autem per nectar & ambroſiam intellexerint, docet Euſtathius in Iliad. α ad verſiculum illum:

οἰνοχόει γλυκὺ νέκταρ ἀπὸ κρατῆρος ἀφύσσων,

Fundebat (Vulcanus *) omnibus dulce nectar ex cratere hauriens:*

Nectar, inquit, *& ambroſia ſunt in Poëſi efficta nomina potionis & cibi divini: quæ etiam ipſa Poëtæ norunt, ut Muſarum alumni: nectar quidem de liquido etiam, reſpondente vino, unde & nectar dictum fuit, ambroſia verò de ſicco. Ratio quoq; vocis, nectar, redditur* ἀπὸ τοῦ κτῶ, ἢ κτῶμαι καὶ τοῦ νε στερητικοῦ, οἱονεὶ τὸ ἄκτητον, ὃ οὐδενὸς θνητοῦ γίνεται κτέαρ, *à verbo acquiro, vel poſſideo & particula privativâ ne, tanquam id eſſet, quod nec acquiri nec poſſideri queat ab ullo homine: ambroſia autem dicitur* ἀπὸ τοῦ α στερητικοῦ καὶ τοῦ βροτὸς, ἣν οὐδεὶς ἔχει βροτὸς, *ex* α *privativo & voce* βροτὸς, *quæ hominem ſignificat, quod nullus hominum eâ frui poſſit.* Si quis autem illâ veſcatur, hunc immortalem fieri dicunt, ὅτι οἱ Θεοὶ ἐν τῷ νέκταρι καὶ ἐν τῇ ἀμβροσίᾳ τὸ ἄφθιτον θέσαν, ἤγουν τὴν ἀφθαρσίαν καὶ ἀθανασίαν, *hoc eſt, in nectare & ambroſia immortalitatem poſuiſſent,* ut Pindarus canit Ὀλυμπ. α. Unde & Homerus Iliade Π. Jovem introducit, Apollini jubentem, *ut ambroſiâ inungeret Sarpedonem, eumq; immortalitate donare:*

Χρῖσον τ' ἀμβροσίῃ περὶ δ' ἄμβροτα εἵματα ἕσσον.

Confert quoque ad illuſtrandum Ariſtotelem fabula de ſo-

mno Endymionis, unde proverbium natum eſt, cujus ille meminit X. Ethic. IIX. colligens, diis actionem quidem nullam propriè dictam convenire, verumtamen nec otioſos illos eſſe, ſed contemplationi perpetuo & ſine intermiſſione vacare. *Neque enim fas eſſe, ut perſuaſum quis ſibi habeat, eos dormire ſomnum Endymionis.* Qualis verò hic ſomnus? Id ſane nemò dixerit, niſi didicerit id ex fabulis Poëtarum, qui fingunt Endymionem puerum fuiſſe mirè formoſum, atque idcirco à Lunâ adamatum, cui illa à Patre, Jove, impetrarit, ut quicquid optaſſet, ferret. Optaſſe ergò illum, ut perpetuum ſomnum dormiret, quò immortalis & ſenii expers permaneret. Quo obtento dormire cœperit in Latmo Cariæ monte, & quidem à Luna, ut oſculum ei furtim raperet, conſopitum, ex quo tempore necdum evigilarit. Reſpicit huc Theocritus Ecclogâ *III.* verbis iſtis:

> *Ζαλωτὸς μὲν ἐμὶν ὁ τὸν ἄτρεπτον ὕπνον ἰαύων*
> *Ενδυμίων,*
> *Invideo ſemper dulci ſomnos ſemperq́; gravato*
> *Endymioni.*

Sed & Ovidii iſta huc pertineant ex III. de arte amandi

> *Latmius Endymion non eſt, tibi, Luna, pudori.*

Necnon iſta Catulli de comâ Berenices:

> *Ut Triviam furtim ſub Latmia ſaxa relegans*
> *Sævus Amor gyra devocet aereo.*

Cicero quoque lib. I. Tuſcul. Qq: *Endymion verò*, inquit, *ſi fabulas audire volumus, neſcio, quando in Latmo obdormivit, qui eſt mons Cariæ, nondum opinor experrectus. Num igitur eum curare cenſes, cum Luna laboret, à quo conſopitus putatur, ut eum dormientem oſcularetur? quid curet autem, qui ne ſentit quidem.* Lucianus inſuper huc digitum intendit in Deorum Dialogis, & quidem nominatim in Dialogo Veneris & Lunæ, ubi Lunam ita loquentem introducit: *Mihi quidem Endymion admodum*

modum formosius videtur, & maximè, quando instrata super rupem chlamyde dormit, læva tenens sagittas paulatim è manu prolabentes. Dextra autem circa caput sursum versus reflexa, decorem affert facile cui circumfunditur. Ipse verò solutus somno anhelat τ' ἀμβρόσιον ἐκεῖνο ἆσθμα, ambrosium illum habitum. Tunc igitur tacitè equidem & sine ullo strepitu descendens, ac summis digitis insistens, id operam do, ne expergefactus ille perturbari possit. Martialis denique hinc: *Quid tibi dormitor proderit Endymion?* Et quidem videtur occasionem fabulæ dedisse, *quod Endymion motum Lunæ primus observasse atque aliis ostendisse dicitur*, teste Plinio lib. II. cap. IX: *Jam humilis*, inqvit, *Luna & excelsa, & ne id qvidem uno modo, sed aliàs admota cœlo, aliàs contigua montibus: nunc in aquilonem elata, nunc in austros dejecta: quæ singula in eâ deprehendit hominum primus Endymion, & ob id amore ejus captus famâ traditur.* Cæterum ex fabulâ modò enarratâ natum est proverbium paulò antè ex Philosopho nostro tactum, atque dictum ἐπὶ τῶν πολὺ κοιμωμένων, ἢ ἀμελῶς τὶ πραττόντων, ὡς δοκεῖν κοιμᾶσθαι, ut habet Scholiastes Apollonii Rhodii in IV. Argonaut. *in eos, qui multum dormiunt, vel negligenter agunt, non secus ac si dormirent.* Nec aliter Zenobius Centuria III. proverbio LXXVI. Ait enim & ipse: *Proverbium* hoc, Ἐνδυμίωνος ὕπνος, *Endymionis somnus, jactatum* ἐπὶ τῶν πολλὰ κοιμωμένων, *in somnolentos. Endymionis enim formâ adducta Luna amore capta est, illiq; Luna intercedente, concessit Jupiter, ut quæ vellet, nancisceretur. Ille verò dormire præoptavit, per omnia immortalis perseverans, & expers senii. Atq; hinc natum proverbium dicunt.* Gemina his leguntur etiam apud Diogenianum, Centuria IV. adagio XL. nec non Suidam in voce, Ἐνδυμίων. Quibus addere possumus etiam Michaëlem Apostolium, cujus verba subjungere placet ex Centuriâ IIX. proverb. XLVII. Sic verò ille: *Proverbium*, Ἐνδυμίωνος ὕπνον καθεύδεις, *usurpatur*

patur ἐπὶ τῶν δὲ ἔργῳ ὑπνηλῶν, de illis, qui nimis indulgenter sunt somno dediti. ἐπειδὴ ὁ ὕπνος ἐρασθεὶς μειρακίου Ἐνδυμίωνος, ἔτι καὶ νῦν κατέχειν αὐτὸν λέγεται κοιμώμενον, eò, quod Endymion à Somno adamatus, etiam nunc abeo dormiens detineri dicatur.

XXXIII. Non nisi ex fabulis quoque percipi potest, quod de Momo Æsopi memorat Aristoteles III. de partibus Animal. cap. II. ita scribens: *Rectè & capiti* (cornigerorum videlict animalium) *cornua mandavit natura, nec, ut Æsopi momus vitio dat, quod taurus non in scapulis,* ἐπὶ τοῖς ὤμοις, *cornua gerat, undè ferire vehementius possit, sed capite, parte corporis imbecillima.* Quis Momus Poëtis sit, constat ex scriptis ipsorum. Nempe fingunt, illum esse Deum quendam nocte matre progenitum sine Patre. Sic enim Hesiodus in Theogoniâ:

> οὔ τινι κοιμηθεῖσα τέκε νὺξ ἐρεβεννή,
> Δεύτερον αὖ μῶμον, καὶ οἰζὺν ἀλγινόεσσαν,
> *Nox obscura parit, nulli commixta Deorum,*
> *Post primos Momum simul, Ærumnamq; dolentem.*

Naturæ portò ejus proprium esse dicunt, nihil operis edere, aliorum tamen Deorum opera curiosis oculis observare, & si quid intermissum ab illis, aut perperam factum sit, summâ reprehendere cum libertate. Unde & nomen accepit. Quod enim Græcis μῶμος est, Latinis reprehensio vocatur. Lucianus quoque hinc eum passim inducit, verùm vix aliter, quàm taxantem cum alios, tum ipsos præcipuè Deos. Inter alios locus inprimis notabilis est, qui ocurrit in Hermotimo sive Dialogo de sectis. Verba ita sonant: *Qualia Momus in Vulcano reprehenderit, opinor te aliquando inaudivisse: quod si me fallit opinio, audi jam nunc. Sic enim fabula habet. Nimirum, Mercurium, Neptunum & Vulcanum contentionem inter se suscepisse de artificii principatu & præstantiâ: atque ipsum*

quidem

quidem Neptunum taurum effinxisse, Minervam verò domum excogitasse. Porrò Vulcanus hominem composuit, fabricavitque. Caterùm, ubi jam ad Momum ventum esset, quem certaminis arbitrum & expensorem elegerant, & ille singulorum opera diligentissimè inspexisset, in aliis quidem, quæ reprehenderit, supervacaneum fortasse foret referre: illud tamen potissimum in opificio hominis calumniatus est, atq; ipsum quidem architectum Vulcanum non mediocriter perculsit, quod artifex non in pectore ostiola quædam addidisset, quibus apertis & reclusis perspicuum fieret omnibus, quid ille vellet, aut in animo strueret & cogitaret, num mentiretur, an verum diceret. In Nigrino quoque *Deum, tauri artificem*, ait *exagitasse, quod oculis cornua præposuisset.* Sed & Venerem eum reprehendisse scribit Philostratus Epistolâ quâdam ad uxorem, quod *non ita, ut è mari emerserat, incessisset, sed sandalio induta stridulo ac strepitu molesto.* Inprimis verò pertinet huc & fabula Æsopi, quæ in ordine est centesima nonagesima tertia, atque ita habet: *Jupiter & Prometheus & Minerva cum efformassent, Jupiter quidem Taurum, Prometheus hominem, Minerva domum, judicem delegere Momum, qui opificia reprehendens dixit errasse Jovem, Tauri oculos in summis cornibus collocantem, ut ubi feriret, videre non posset. Prometheum verò, quod hominis præcordia foras non appendisset, ut occultaretur minimè mali, manifestaq; forent singula, quorum recessus habent & latibula. Tertiò verò dixit oportuisse Minervam rotas ædibus posuisse, ut si quis fortè malo cohabitaret vicino, facilè discedere posset.* At primum ex his respicit Aristoteles, quando de Æsopo scribit, eum vitio id naturæ vertisse, quod animalibus cornigeris cornua in capite, & non in armis posuisset. Ad quod ipsum idem Lucianus digitum videtur intendisse & libro secundo verarum narrationum, quum *vidisse se* ait *boves quosdam, quibus cornua inessent non in fronte, quemadmodum reliquis, sed sub oculis, idq; ita visum fuisse Momo.*

XXXIV. Interdum tamen à nonnullis aliqua in Aristotele occurrentia ex ignorantiâ historiarum pro fabulis habentur, quæ his non sunt annumeranda. Veluti alicubi τραγελάφυ mentionem facit. Jam sunt ex interpretibus, qui eum in classem non entium reponant, cum tamen reverâ sit animal ejus nominis, cervus videlicet major, pilo densiore & colore nigriore, τραγέλαφος dictus à τράγος, hircus, & ἔλαφος, cervus, quasi dicas hircocervum, quod cervi gerat speciem, sed hirci instar sit barbatus. Villos enim nigros in gutture habet. Meminit ejus Plinius lib. IIX. naturalis historiæ. Cum enim capite ejus *XXXII.* de cervis tractasset, sequens caput trigesimum tertium ita incipit: *Eadem est specie, barbâ tantùm & armorum villo distans, quem tragelaphon vocant, non alibi, quam juxta Phasin amnem nascens.* Idem habet Solinus in fine capitis *XXXII.* Diodorus Siculus lib. II. Biblioth. Historicæ cap. LI. hujus generis animalium itidem mentionem facit, atque in Arabiâ illud nasci dicit. Verba ejus sunt: Γίνονται δὲ καὶ τραγέλαφοι καὶ βύβαλοι, καὶ τὰ ἄλλα πλείω γένη διμορφα ζώων, καὶ τὴν σύνθεσιν ἐκ τῶν πλείστων τῇ φύσει κεχωρισμένων ἔχοντα. *Procreantur in Arabiâ etiam tragelaphi & Bubali, pluraq; duplicis formæ animalia ex diversissimis videlicet naturis contemperata.* Deinde & Athenæus lib. IIX. Dipnosophistarum cap. IIX. (aliis XII. & XIII.) multa ab Aristotele tradita pro fabulosis habet, sed itidem præter meritum. Veluti, quod lib. IX. Hist. Animal. cap. V. scribit, *captum fuisse cervum, qui hederam habuerit ex cornibus enatam.* Sed non videmus causam, cur credibile hoc Athenæo fuerit visum. Quàm facilè enim fieri potest, ut cervus cornu non ita pridem enatum arbori, cui hedera adhæret, affricans nonnihil hujus cum radiculâ abrumpat, quæ molliori parti sese insinuans postea germinet & pedetentim incrementa sumat. Sed & idem fieri potest, semine hederæ parti hujusmodi se insinuanti & tenaciter adhærenti,

renti, ficuti videmus ex muris interdum, quin & petris arbores ex feminibus, illuc fortè delatis, enasci: præsertim cum nō desint ex naturæ scrutatoribus, qui tradant hederæ cum cervino cornu quandam esse sympathiam, nascique eam, ubi cervinum cornu fuerit defossum. Est inter illos & Gaudentius Merula IV. Memorabil. cap. XXIV. Cæterum neque Aristoteles rursum solus id de cervis tradit, sed & Plinius lib. IIX. Historiæ naturalis cap. XXXII. idque his verbis: *Erumpunt*, videlicet cervis, *cornua, renascentibus tuberibus primo aridæ cutis similia, eadem teneris increscunt ferulis arundineas in paniculas, molli plumata lanugine -increscentia Solis vapore durant ad arbores subinde experientes: ubi placuit robur, in aperta prodeunt. Captique jam sunt, edera in cornibus viridante ex attritu arborum, ut in aliquo ligno teneris dum experiuntur innata.* Theophrastus quoque, Aristotelis auditor, lib. II. de causis plantarum cap. *XXIII.* testatur, tale quid traditum fuisse ab aliis, neque id impossibile esse arbitratur: *Quod humi*, inquit, *gignitur, in arboribus etiam plantisque aliis idem posse gigni, absurdum, ἄτοπον, non est. Imò verò non est novum, aliquid in multis, creari, ut hederam: &, quod mirabilius est, visam esse in cornibus etiam cervi aliquando: & therebinthum in oleâ: & polypodium vocitatum in quibusdam arboribus. Et quæ rariora, & pro ostentis potius sumenda videntur, & laurum aliquando ortam in platano & quercu: & reliqua, quæ tanquam ostenta interpretantur. Cum enim in partem arboris conversam penè in terram, præ putredine, semen deciderit, pullulat, vivitq; subinde alimentum ex subjectâ sumens arbore. Quod etiam de hedera, quam in cornibus provenisse ajunt, dicere ἄλογον, non est rationi adversum.*

XXXV. Immeritò quoque inter fabulas d.l. Athenæus refert id, quod Philosophus lib. *V.* Historiæ animalium c. *XIX.* de animalculis nonnullis refert, quod in Cypri insulæ forna-

fornacibus ærariis generentur: *In Cypro insulâ*, inquit, *ærariis fornacibus, ubi chalcites lapis ingestus compluribus diebus crematur, bestiolæ in medio igne nascuntur pennatæ, paulò muscis grandibus majores, quæ per ignem saliant atq; ambulent.* Hoc ille, Athenæus, inquam, pro absurdo habet, persuasus fieri non posse, ut in igne animal generetur. At neque hoc solus Aristoteles memoriæ prodidit, sed & alii scriptores idem confirmant. Sic enim Cicero lib. I. de naturâ Deorum: *Bestiarum terrenæ sunt aliæ, partim aquatiles, aliæ quasi ancipites in utraque sede viventes: sunt quædam etiam, quæ igne nasci putantur, apparentq; in ardentibus fornacibus sæpè volitantes.* Plinius quoque lib. XI. cap. *XXXVI: In Cypri ærariis fornacibus, ex medio igni, majoris muscæ magnitudinis volat pennatum quadrupes: appellatur pyralis, à quibusdam pyrausta. Quamdiu est in igne, vivit: cum evasit longiore paulatim volatu, emoritur.* Seneca lib. V. Natural. Quæstionum: *Ignis*, inquit, *qui omnia consumit, quædam etiam creat: & quod videri non potest simile veri, sed tamen verum est, animalia igne generantur.* Tandem & Ælianus lib. II. de animalibus cap. II: *Terra, marique nasci animalia nihil mirum: nam materia, & nutrimentum, & natura horum causa est. In igne verò generatas bestias volucres existere, nuncupatas Pyrigonos, & in eo ipso igne vivere & ali, hucque & illuc volare, hoc admirationem meretur. Illud item admirationem excitat, quod quum extra ignem nutritium egrediuntur & frigidum cœlum attingunt, statim exeunt è vita.* Atque hinc & Diogenes Laërtius lib. IX. in vitâ Pyrrhonis: Τῶν ζώων τὰ μὲν χωρὶς μίξεως γίνεσθαι, ὡς τὰ πυρίβια, καὶ ὁ Ἀράβιος φοῖνιξ, καὶ σκώληκες, *Animalium aliqua quidem sine conjunctione nascuntur, ut quæ in igne vivunt, & Arabica Phœnix & vermes.* Denique, ut cætera taceamus, suis consideranda locis, & hoc Athenæo fabulosum in Aristotele videtur, quod de *ossibus leonis* III. Histor. Animal. cap. VII. scriptum reliquit,

quit, nempe usq; adeò *solidescere illa, ut collisu eorũ ignis emicet, non secus, atq; ex collisione silicum:* nec non de Ephemero, certo animalium genere, cujus vitam *uno die* circumscribi cômemorat lib. I. Hist. Anim. cap. VI. Ast fallitur & hic Athenæus. Nam quod ad *leonum ossa* attinet, experientia testis est, ea omnium firmissima ac solidissima esse, & medullam aut nullam habere, aut fere nullam. Ex hujusmodi autem corporibus collisis inter se si ignis exeat, quid mirum? Testantur verò idem, quod Aristoteles, rursus etiam de ossibus leonis, alii Scriptores. Sic enim Plinius lib. XI. cap. *XXXVII*: *Leoni in feminum & brachiorum ossibus paucis exigua admodum medulla est: cætera tantâ duritie, ut ignis elidatur, velut è silice.* Ælianus quoque lib: IV. de animalibus cap. *XXXIV*: Εἰ δέ τις τὰ ὀστᾶ τοῦ λέοντος διακόπτοι, πῦρ ἐξ αὐτῶν ἐξάλλεται, *Si quis ossa leonis collidat, ignis ex ipsis elicitur. Medullis autem,* pergit, *carent: neq; enim fistularum modo cava sunt.* Quod posterius etiam Philo confirmat cap. *XXXI*. de leone scribens: Καὶ κοῖλον ὀστοῦν οὐκ ἔχει τὸ θηρίον, *Nec os cavum hac fera habet.* De *Ephemero* quoque Aristoteles consentientem habet Plinium, cujus hæc sunt ex lib. XI. cap. XXXVI: *Hypanis fluvius in Ponto, circa solstitium defert acinorum effigie tenues membranas: quibus erumpit volucre quadrupes, nec ultra unum diem vivit, unde hemerobion vocatur.* Ex Aristotele idem repetit Cicero lib. I. Tuscul. Quæst. nec non Ælianus lib. V. de Animalibus cap. XLIII, & hic quidem sequentibus verbis: *Aristoteles ait bestiolam, apud Hypanem fluvium, unum diem viventem, sub lucem matutinam nasci, post autem ad Solis occasum extingui.* Verum neuter Aristotelem ideò exagitat, quin posterior hic & alia adhuc unius diei animalcula memorat, lib. I. de Animalibus cap. IV, ita scribens: *Animalia Ephemera idcirco sunt appellata, quod id ætatis vivunt, ut uno die cursum vitæ conficiant: ex fece enim vini,* acescentis videlicet, *originem trahunt, apertoq; dolio ut in lucem suscepta sunt, è vita exeedunt. Nam ingredi quidem*

in vitam natura iis dedit: malis verò, quibus vita referta est, celerrimè liberat, priusquam vel propriam, vel alienam ullam sentiat calamitatem. Denique & proverbium hinc natum est: Ἐφημέρου ζωή, *Ephemeri vita*, quod usurpatur de iis, qui subitò pereunt aut moriuntur. Meminit proverbii hujus Michaël Apostolius centuriâ IX. Proverbiorum, proverbio XLI. dicens: Ἐφημέρου ζωή. ἐπὶ τῶν ὠκυμόρων, ἢ καὶ αὐθημέρως θνησκόντων, *Adagium, Ephemeri vita, usurpatur de iis, quæ ævi sunt adeò brevis, ut eodem die, quo nata, simul intermoriantur. Sunt autem,* ita progreditur ille, *animalcula quædam, quæ nomen ex vitæ mensurâ sortiuntur. Generantur autem in vino, & vase aperto evolant, simulq; ac lucem adspexerint, confestim extinguuntur. Concessit itaq; illis natura, ut in vitam progrederentur, sed malis illa suis citò liberavit; quod nec suas calamitates sentiant, neque cujusquam aliorum testes sint. Est & aliud animal μονήμερον dictum, apud Hypanim fluvium, quod, sub diluculi crepusculum natum, moritur, dum Sol in occasum vertitur, Aristotele teste.* Et hactenus de Grammaticâ.

XXXVI. A Grammaticâ pergimus ad Mathematicas scientias, sine quarum notitiâ itidem nemo inoffenso pede progredi potest in Aristotelis lectione. Quot enim exempla vel in sola Analyticâ ejus reperiuntur ex Mathematicis deprompta, quibus nisi lumen ex Mathesi, ante perceptâ, legens ei fœneretur, frustra passim in intelligendâ mente Philosophi desudabit? Vide inter cætera I. *Prior. cap. XXIV. §. 1. lib. I. Post. cap. V. §. 2. 3. 4. 5. c. IX. §. 1.* Quot vocabula quoque ex Mathesi, Geometriâ imprimis, in Analyticam suam transtulit Philosophus, velut διαστήματος, ἀναλογίας, σχήματος, ἀναλύσεως, quin ipsius συλλογισμοῦ, & centum alia, quorum rationem nemo perfectè assequetur, qui rerum mathematicarum rudis est, facillimè autem, qui istas res perspectas & animo comprehensas tenet. Non dicam modò, admodum probabile esse, Aristote-

stotelem Apodicticã suam ex ἀναλύσει, id est, resolutione disciplinarum Mathematicarũ ante se scientificâ methodo conscriptarum texuisse, & vel ex hac ipsa causa nomen ἀναλυτικῆς isti disciplinæ imposuisse. Porro quot non in Physicis hujus Philosophi scriptis, inprimis in libris de Cœlo, reperiuntur loca, quæ nemo plenè percipiet, nisi Astronomiæ notitiâ ante fuerit imbutus? Quoties enim corporis, figuræ planæ, circuli, lineæ rectæ, sphæræ, anguli recti, quadrati, polorum, hemisphærii, ortûs, occasûs, & aliorum talium, mentionem facit, quin & ex ratione eorum quorundam concludit atque demonstrat? At de his ubi differitur, nisi in Geometria & Astronomia? Consideret quis solùm paulò exactiùs ea, quæ de rotunditate stellarum, de orbium cœlestium ordine, de terræ situ & figura disputat in II. de cœlo, & facilè deprehendet, se mentem Philosophi planè non intellecturum, nisi in subsidium vocaverit Astronomiam. Et quid dicemus de iis, quæ in Meteorologicis ab eo traduntur de Galaxia seu circulo lacteo, de cometis, de Iride, Pareliis, virgis & aliis ejusmodi? Sanè sine Opticorum & Catoptricorum intelligentiâ frustra se quispiam in assequendâ sententiâ Philosophi macerârit. Tacemus disputationem illam Metaphysicam de numero intelligentiarum, quæ tota pendet ex Astronomia, cum orbium homocentricorum, eccentricorum & epicyclorum aliorumqve talium notitiam præsupponat. Tacemus similia alia quamplura, quæ adduci hîc possent, si mutatim singula prosequi vellemus.

XXXVII. Id solùm hic, ne & id, quod de Mathematicâ diximus, sine specialis alicujus exempli illustratione & diductione, abire permittamus, sub aliquantò accuratiorem considerationem vocabimus, quod in V. Ehic. justitiæ commutativæ & distributivæ naturam explicare volens de analogiâ sive proportione Geometricâ & Arithmeticâ adducit. Ex ignorantia namque rationis utriusque harum non pauci

hic impingunt. Exiſtimant enim *Geometricam* proportionem Ariſtoteli eam dici, quam Geometræ in ſcientia ſua penſi habent, occupatam in lineis, ſuperficiebus &c. *Arithmeticam* autem eam, quæ in numeris locum habet, indeque Arithmeticæ ſubeſt conſiderationi. Unde porrò alii longius progreſſi tertiam adhuc adjecerunt proportionis ſpeciem, nempe *Muſicam* ſive harmonicam, cùm tamen ſoni numeri quidam ſint, ac proptere a & Muſica Arithmeticæ, ut conſtat ex I. Poſt XIII. §. XIII, ſubalternetur. Nec ſine causâ factum, quod Philoſophus *Arithmeticam* proportionem *linearum*, *Geometricam* autem *numerorum* exemplo declarat, ceu videre eſt lib. IV: Ethic. cap. *III.* & *IV.* Aliter ergò hâc de re omninò ſentiendum: Nempe *Arithmetica* proportio dicitur Ariſtoteli ἀπὸ τοῦ ἀριθμεῖν, à *numerando*, eſtq; nihil aliud, quàm æqualitas diſtantiæ inter quatuor terminos, veluti numeros, aut lineas, vel ſuperficies, corpora item, vel etiam loca aut tempora, quum ſcilicet illa creſcunt per æquales exceſſus. Qualis proportio eſt in numeris *II. IV. VI. VIII.* Quantum enim diſtant duo à quatuor, tantùm abſunt ſex ab octo. Nempe ut quaternarius binarium ſuperat duabus unitatibus; ita & octonarius ſenarium. Eſt quoque talis proportio inter plura loca æqualiter diſtantia, veluti inter Abrincam, urbem Epiſcopalem ſub Archiepiſcopatu Rhotomagenſi Galliæ Celticæ in Normannia, & Bajocum, aliam Normanniæ urbem ſub eodem Archiepiſcopatu, ac Abulam urbem Epiſcopalem Hiſpaniæ Tarraconenſis in Caſtella veteri & Madritum. Si enim fides habenda Philippo Ferrrario Alexandrino in Lexico Geographico, æqualis inter has & iſtas eſt diſtantia, nempe 18. leucarum. Pertinet huc, quod ha Auctor Paraphraſeos Ethicorum, quæ Andronico Rhodio tribuitur. Sic enim ille c. IV. Paraphraſ. in V. iſtorum lib: Ἔστι δὲ ἀριθμητικὴ ἀναλογία, ὅταν τὸ α ὑπερέχῃ τοῦ β τοσοῦτον, ὅσον τὸ γ ὑπερέχει τοῦ δ, *Eſt proportio*

portio Arithmetica, cum A tantum superat B, quantum C superat D. *Geometrica* autem proportio dicitur ἀπὸ τοῦ γεωμετρεῖν, quod idem eſt ac μετρεῖν, metiri, & eſt *æqualitas rationum inter quatuor quantitates.* Ratio autem hîc nihil aliud eſt, quàm δύο μεγεθῶν ὁμογενῶν ἡ κατὰ πηλικότητα πρὸς ἄλληλα ποιὰ σχέσις, ut Euclides definit lib. V. Elem. def. 3. *duarum quantitatum ejusdem generis certa alterius ad alteram habitudo.* Cui conſentiens & Ariſtoteles ipſe lib. V. Ethic. cap. III. de hac proportione: *Proportio*, inquit, eſt ἰσότης λόγου, *æqualitas rationis.* Qualis proportio eſt inter II. & IV. necnon VI. & XII. Ratio enim inter numeros hos eſt eadem, nempe dupla, quod quaternius bis contineat binarium, & duodenarius ſenarium. Eſt quoqve talis proportio inter Imperialem & florenum, ac groſſum & teruncium. Uti enim tres teruncii groſſum faciunt: Ita tres floreni conficiunt Imperialem. Item inter ulnam & ejus quadrantem, quadratum & latus ejus. Ut enim ulna quatuor quadrantibus conſtat: ita quatuor latera conſtiuunt quadratum. Ad ſimilem verò modum res etiam cum juſtitia eſt comparata. Omne enim juſtum ad minimum inter duas eſt diſtinctas perſonas, (quia ut injuriâ propr è ſeipſum nemo afficere poteſt; ita nec propriè quis juſtus eſt ratione ſui) & res inſuper duas. Conſiſtit enim juſtitia in æqualitate: æqualitas autem ad minimum rerum duarum eſt, quod & ipſum Philoſophus obſervat V. Ethic. III. Uti autem duplex eſt juſtitia, nempe *diſtributiva*, in diſtributione occupata eorum, quæ diſtribui inter eos poſſunt & ſolent, qui membra ſunt alicujus ſocietatis, & tàm bona ſunt, ut præmia & lucrum, quàm mala, ut onera & damnum; & *correctiva*, occupata in iis, quæ privato nomine ſeu quovis alio titulo ac jure alicui competunt, quæ Ariſtoteli uno nomine συναλλάγματα dicuntur atq; contractus, permutationes, commercia, quin & obligationes omnes, quæ ex delictis, aut quaſi

delictis naſcuntur, ſub ſe comprehendunt: ita & proportionem aliam atq; aliam ab iis dicit obſervari. Et proportionem illam quidem, Geometricam ſcilicet, ait obſervare juſtitiam diſtributivam. Sic enim ibi res & perſonæ inter ſe conferũtur, ut eadem ratione, quâ perſona metitur perſonam, eadem & res rem metiatur. Fit autem diſtributio inter perſonas, quatenus ſunt partes ſeu membra ſocietatis. Eatenus namqve quis pars eſt alicujus ſocietatis, quatenus aliquid confert ad bonum illius commune obtinendum. Ex eo ergò, quod quis in ſocietatis commodum confert, ſumenda eſt proportio perſonarum, ut quantum quis contulit ad commodum ejus commune comparandum, tantum & lucri aut præmii reportet. Verbi cauſa. Sint duo mercatores, Titus & Sempronius: hi ſocietatem inierint captandi lucri ergò: proqve fine hoc obtinendo Titus contulerit CC, Sempronius autem C, hoc caſu Titus ad Sempronium ſe habebit, ut CC ad C, vel ut II. ad I; & conſequenter, ſi lucrum dividendum ſit XIIX. danda erunt Tito XII. Sempronio autem VI. quia XII. ad VI. ita ſe habent, ut II. ad I. Ut enim binarius unitatem bis continet, ita & duodenarius ſenarium. Item ſint præmia diſtribuenda inter ſocios: hîc ſi ſecundum juſtitiam in benè conſtitutâ Republica diſtributio ſit facienda, ratio habenda erit virtutis uniuscujusque. Hæc enim dignum aliquem præmio reddit, adeò, ut hinc optimè Euripides in Hecubâ:

Ἐν τῷδε γὰρ κάμνουσιν αἱ πολλαὶ πόλεις,
Ὅταν τὶς ἐσθλὸς καὶ πρόθυμος ὢν ἀνὴρ
Μηδὲν φέρηται τῶν κακιόνων πλέον,
Namq; id perire plurimas urbes facit
Si non probus fortiq; mactus pectore,
Non auferat plus præmii, quàm peſſimus.

Si ergò præmium diſtribuendum ſit mille imperialium inter tres perſonas, ex his utique tantum, ſi juſta debeat eſſe diſtributio, unicuique dari oportebit, quanti virtus ejus æſtima-

tur

tur; veluti si primi virtus se habeat ut *I*, accipiet *CLXVI* Imperiales & duos florenos: si secundi, ut *II*, fient ipsi *CCCXXXIII* Imperiales & unus florenus: si tertii, ut *III*, reportabit D. Imperiales. Quæ enim est ratio *I*. ad *II*, eadem est & *CLXVI*.⅔ ad *CCCXXXIII*,⅓, nempe dupla. Nam ut *II* bis continet I, ita *CCCXXXIII*.& florenus unus bis continent *CLXVI*. imperiales & duos florenos. Rursus quæ est ratio *I* ad *III*, eadem est & *CLXVI*.imperialium, atque duorum florenorum ad D, nempe tripla. Nam ut *III*. ter continet I, sic D.imperiales ter continent *CLXVI*.imperiales & duos florenos. In facili verò hinc simul & expedito est judicare, quomodo iis, qui ad eandẽ societatem pertinent, in oneribus communibus imponendis sit procedendum. Nempe respiciendum hic ad lucrum, quod unusquisque quotannis aut mensibus singulis ex bonis, quæ in societate habet, facit. Veluti si tributa civibus sint imponenda, videndum, quid singulis mensib9 aurifaber, quid coctor cerevisiæ, quid Sartor, vel Sutor lucretur, & sic deinceps. Jam ponamus coctorem singulis mensibus lucrari sex aureos, aurifabrum quatuor, Sartorem autem unum: ponamus insuper conferendos esse tribus ex his aureos *CX*. Hic Sartorem quidem dare oportebit *X*.aureos, aurifabrum autem *XL*, coctorem denique cerevisiæ *LX*. Habet enim aurifaber se ad Sartorem ut *IV*. ad *I*.coctor autem cerevisiæ, ut *VI*.ad *I*. Talis verò est ratio *LX*. ad *X*, qualis *VI*. ad *I*: & talis *XL*. ad *X*, qualis *IV*. ad *I*.

XXXIIX. Ast alia est conditio justitiæ *correctivæ*, quam Aristot. ita vocat, quia in cõmutationib9 *invitis*, quales sunt quæ ex delictis, veluti furto, rapinà, injurià, damno, &c. semper inæquale occurrit, quod per justitiam istã est corrigendũ: in *spontaneis* autẽ tunc, si altera quidem pars satisfecerit suo debito, altera non item, veluti si emptor solverit pretiũ, venditor autem rem venditam non tradiderit tempore justo. Hujus, inquam, justitiæ alia est ratio. Ea namque non utitur Geometricà, sed Arithmeticà proportione. Cujus ratio est in promtu.

Tollit

Tollit enim ea querelas,quæ oriuntur in commutationibus inter privatos,id curans,at quisq; eorum tantū recipiat boni aut mali,quantum ab uno in alterum est profectum,adeoq; æqualis sit inter illos distantia ab utroq;. Nisi enim hoc fiat, querelæ oriuntur: veluti si alter in alterum contulerit bonum aliquod externum & qui hoc adeptus est, aut nihil retribuit, aut non tantum, quantum debebat, aut non eo loco, aut tempore, quo debebat: ut si quis ædes alteri vendat, atque hic tantum pecuniæ dare nolit, quanti meritò æstimantur, & quantum ille pro iis dare se obligavit: aut si non eo loco aut tempore dare velit, quibus se daturum nummos certos promisit. Item si pastor ovium bubulco bovem dederit, eâ lege, ut 2. porcos retribueret, ipseque aut nihil retribuit, aut non duos, quos stipulatꝰ est, porcos. *Item* si quis læserit alterum. Queritur enim is, qui læsus est, se minus habere, quàm habere debebat: alterum autem plus habere, quàm debebat. Ut ergò hujusmodi querelæ tollantur, intervenit justitia correctiva, ac quod inæquale est, ad æqualitatem reducere laborat, ut plꝰ habenti hoc ipsum quod ultra jus & fas habet, detrahatur, & detractum minus habenti, prioris istius culpâ, addatur, non secus, ac cum linea inæqualiter divisa ad æqualitatem ita reducitur, ut detrahatur uni parti, quod plus habet, idq; alteri apponatur, quæ minus hebet. Ut autem illud fiat, non personarū in societate hîc amplius habendus est respectus, sed æqualitas ex rerum ipsarū modo & mensurâ est petenda, quo tantum quis post commutationem habeat, quantum ante eandem habuerat, à quocunq; etiam tandem damnum sit passus. Neque enim ex personâ, sed ex reipsâ damnum pensatur, quod non minus quis sustinet, si à viro magni nominis id passus sit, quàm ab homine infimæ conditionis. Ex quo & Cyrus, Persarum Rex, cum minorennis adhuc esset, & in causâ duorum puerorum judicandâ id nō pensi habuisset, plagas à Magistro suo accipiebat, quod ipsemet apud *Xenophontem* lib. *I. Institutionis* Cyri narrat his verbis:

bis: *Puer magnus, cui parva erat tunica, puerum alterum, qui tunicam habuerat magnam, eâ exuerat, suâq; illum contrà induerat, istius tunicâ à se indutâ. Ego igitur horum causâ audita judicavi melius esse ambobus, ut uterq; aptam tunicam haberet. Verum magister me propterea percutiebat, dicens: Ubi de eo judex fueris constitutus, quid cuiq; aptum sit, ita judica: ast ubi judicandum est, utrius sit tunica, id considerandum, quænam sit justa possessio, & an eum habere oporteat, qui vi abstulit, an istum, qui ipse fecit aut emit.* Hæc si probè observentur, facilis erit plerorumq; istorum, quæ Aristoteles de justitiâ utrâque disseruit, intellectus.

XXXVIII. Sed nec difficile erit, ex his solvere nobilem istam & diu multumque agitatam quæstionem, num ex mente Aristotelis dicendum sit, pœnis irrogandas esse secundũ proportionem Arithmeticã, an Geometricã: nempe non hoc, sed illud est asserendum. Refert enim ille apertè, cõmutationes non solùm voluntarias, sed & invitas, ut sunt furta, adulteria, rapina &c. ad unam justitiæ speciem, nempe eam, quam correctivam vocat. Verba ejus initio lib. V. Ethic. c. II. (V.) sunt hæc: *Ejus justitiæ, quæ virtuti, ut pars generi, subjecta est, jurisq; ejus, quod ei consentaneum est, una species est, quæ in distributione vel honoris, vel pecuniæ, vel aliarum rerum, quæ inter eos dividi possunt, qui ejusdem Reipubl. communione inter se conjuncti sunt, versatur. - Altera, quæ in rebus commutandis vim corrigendi atq; emendandi habet. Hujus porrò duæ sunt partes. Commutationum enim aliæ sponte nostrâ, aliæ nobis invitis fiunt. Spontè fiunt, ut venditio, emptio, mutuum, fidejussio, commodatum, depositum, locatio & conductio. -- Earum autem, quæ nobis invitis fiunt, aliæ clandestinæ sunt, ut furtum, adulterium, veneficium, lenoinium, servi alieni deceptio, aut corruptio, cædes dolo commissa, falsum testimonium: aliæ violentæ, ut verbera, vincula, mors, rapina, debilitatio corporis, maledicentia, contumelia.* Hinc autem

tem cap.IV.(VII) utrasq; commutationes, tam invitas, quàm voluntarias, ad unam speciem justitiæ, *correctivæ* scilicet, reducit. Sic enim ibi: τὸ δὲ λοιπὸν ait, ἓν τὸ διορθωτικὸν, ὃ γίνεται ἐν τοῖς συναλλάγμασι καὶ τοῖς ἑκουσίοις, καὶ τοῖς ἀκουσίοις, *Reliquum est alterum illud, quod ad corrigendum & emendandum valet: versatur tàm in iis, quæ sponte suâ faciunt homines, quàm in iis, quæ invitis ipsis fiunt.* At emendare commutationes invitas, ecquid aliud est, quàm delicta punire? Ex quo & mox subjicit, emendationem istam secundum proportionem fieri, non Geometricam, sed Arithmeticam. *Nihil enim*, inquit, *refert, utrum vir bonus malum hominem fraudarit, an malus homo virum bonum: neq; utrum bonus, an malus homo adulteriũ fecerit: sed damni tantum differentiam intuetur lex, iisq; utitur, tanquã æqualibus, faciatne hic injuriam, ille injuriâ afficiatur: & an hic damnũ intulerit, ille acceperit. Itaq; hanc injuriam, quæ inæqualitas est, judex exæquare conatur. Nam cum hic percussus fuerit, ille percusserit, aut etiam occiderit, hic autem mortuus sit, perpessio & actio in partes inæquales divisa est: sed damno & mulctâ conatur judex exæquare, detrahens de lucro.* Res ipsa quoq; loquitur, pro sententiâ hâc ipsâ. Pœnæ enim non pro ratione personarum constituuntur legibus, sed pro ratione delictorũ, ita ut alia furi, alia parricidæ, alia proditori decernatur; non alia magistratui, qui sit homicida, aut proditor, alia subdito, qui talis sit: aut alia nobili personæ, alia ignobili, & sic deinceps. Neq; verò pœnæ sunt tale quid, quod propriè loquendo cadat sub distributionem. Nihil enim distribuitur, nisi quod cõmune sit, sive totius cõmunitatis, ut sunt pecunia publica, agri ab hostibus capti, honores item & dignitates, quas Respublica confert, nec non onera, quæ sociis imponit, & si quæ sunt alia id genus. At tale quid non sunt *pœnæ*, quæ de publico non petuntur ita, ut inter socios dividantur, ac singuli eorũ certam auferant portionẽ. Sed nec ideò quis supplicio afficitur, quia consors societatis ali-

cujus est, sed quia leges illius violavit, quod puniri interest publicæ rei. Verbi causâ, qui factum cõmisit, nõ ideò suspenditur, quia civis est, sed quia furti reum se fecit, à quo ut homines omnes, ita & socii cumprimis abstinere debent. Quò accedit, quod cõmune distribuendum naturâ prius sit partibus, in quas tribuitur: veluti tota summa prædæ inter milites distribuendæ prior est portione, quam ex eâ capiunt, dux belli, centuriones, decuriões & gregarii milites. At quum pœnæ multis simul infliguntur, pœnarum istarũ congeries prior nõ est singulis pœnis, quæ huic aut illi nocenti infliguntur. Adhæc cõstat ex antea dictis, quod juxta Geometricã proportionem distributio inter eos, qui in communitate aliqua degunt, fiat pro ratione personarum, seu conditione sociorum, ita ut majus præmium aut onus ferat, qui major, minus, qui minor est. Quod si jam in irrogatione pœnarum Geometrica proportio esset observanda, gravius utique nobilis & liber homo, quàm ignobilis & servus esset puniendus, cujus tamen contrarium fieri volunt, qui pro Geometricâ proportione hic pugnant. Tacemus, quod distributio justa esse possit, etiam, ubi singuli non consequuntur tantum, quantum merita ipsorum requirebant, sed quantum ex summa distribuenda, quæ præsto est, quisque suo loco accipere potest. Veluti, si præda sit distribuenda, potest, ut quisque militum, aut saltem aliqui plus meruerint, quàm ex prædâ, institutâ proportione, singulis cedere queat, nec tamen iniquè cum iis agitur, quod minùs accipiant, quàm sunt promeriti; imò si tantum acciperent, quantum promeriti sunt, injustè cum reliquis ageretur, cum fieri possit, ut unus istorum plus meritus sit, quàm tota præda valeat inferre: numquid ergò huic tota hæc tribuenda erit, cæteris eâ defraudatis? Neque his officit, quod leges omnes statuunt, gravius puniendos esse, qui ex proæresi peccarunt, quàm qui ex errore quodam: item, qui semel tantum deliquerunt, quàm qui vicibus

iteratis. Rursus gravius eos, qui verberibus scientes volentes acceperunt principem suum, quàm qui ea tulerunt inæqualem sibi aut inferiorem. Denique & eos, qui vasa sacra templo eripuerunt, aut etiam rempublicam suâ pecuniâ fraudarunt, quàm qui privato alicui quidpiam, ipso invito, abstulerunt. Hoc, inquam, nihil obest iis, quæ hic sunt determinata. Ista enim omnia attendere, nihil aliud est, quàm delicta inter se comparare, & juxta diversitatem istorum etiam pœnas decernere diversas. Certum enim est, quod gravius peccet, qui ex proæresi delinquit, quàm qui ex errore: gravius item, qui iteratò, quàm qui semel. Nec æquale delictum est verberibus afficere inferiorem aut etiam æqualem, ac Principem, apud quem summa est majestas. Qui enim prius delictum perpetrat, teneri non potest, nisi actione injuriarum: qui posterioris autem reum se facit, criminis insuper læsæ majestatis. Nec dubium est, quin gravius crimen sit, loca sacra, aut rempublicam spoliare, quàm homini privato facultates suas surripere, adeò, ut hinc & nomina sortiantur diversa. Uti enim hoc furti simplicis, ita istud peculatus, illud autem sacrilegii venit appellatione. Quid autem mirum, si gravioribus delictis & pœna gravior sanciatur? Neque verò ideò jam proportio hic exspirat Arithmetica, quemadmodum eadem nec tollitur ab emptionis & venditionis contractu, etiamsi res inæquales non æquali, sed inæquali pretio vendantnr. Utrobique enim non res cum personis, sed pretium cum mercibus, & supplicium cum delictis, adeoque res cum rebus conferuntur. Sed neque id veritatem hanc in bivio relinquit, quod experientia testatur, eos, qui idem delictum commiserunt, non eâdem affici pœnâ. Cum enim æqvè gravi delicto se inquinavit vir præstans, v.c. Senator & homo, pessimæ jam tum notæ, hic fustigatur, alter autem ejicitur Senatu: neque tot plagæ infligi solent homini imbecillæ valetudinis,
quot

quot infliguntur alicui robusto. Hoc, inquam, veritati haud adimit robur suum. Etsi enim mitius appareat posterius supplicium, reverâ tamen æquè grave est, cum homo perditæ vitæ vix tanti faciat fustigationem, quanti vir, alioqui probus, & in dignitate constitutus, dejectionem à gradu honoris: & homo valetudine tenui ac infirmâ paucis plagis plus afficitur, quàm multis alius, qui integrâ valetudine utitur & maximè firmâ. Nec dubium est, quin vir honoratus, si ob delictum aliquod vel tantùm increpetur à Principe suo, id æquè tanti, imò majoris, faciat, quanti vilioris conditionis homo, veluti servus aut rusticus, facere possit, si fortè ad aliquot horas, vel etiam dies aliquot, in carcerem conjiciatur. Tanta enim est pœna, quantus est animus, qui eum perfert: perinde ut in corpore humano, quò nobilius est membrum, eò minùs patiens est injuriarum. Ad summam, non confundenda, sed probè potiùs distinguenda sunt hæc duo, *cognitio delicti* ac pœnæ infligendæ: & *pœna ipsa, pro delicto infligenda*. Ut gravitatem delicti, & consequenter etiam pœnæ infligendæ, rectè cognoscamus, proportione Geometricâ interdum opus est; ipsa verò pœna infligenda est secundum Arithmeticam proportionem. Verbi causâ, si quis Magistratum percutiat, & alium aliquem, hominem viliorem, & quæstio sit, quomodo gravitas delicti utriusque sit dignoscenda, explorari illa non potest, nisi interveniente Geometrica proportione hoc modo: Quò majori dignitate fulget hic vir in Republica, eò gravius est delictum, quod commisit, qui cæcidit ipsum: contra, quo minor est alter ille, eò minus est etiam delictum ab altero, qui plagis eum affecit, commissum. Quando verò de gravitate delicti jam constitit, & pro conditione ejus certa pœna est constituta, infligenda ea est non juxta aliam, quàm Arithmeticam proportionem. Veluti, si quis magnâ in dignitate constitutus interficiat hominem aliquem innocentem, & qui-

dem ex deliberato consilio, extra moderamen inculpatæ tutelæ, solius vindictæ ergò, non mitius puniendus est, quàm alius quispiam privatus, qui idem delictum perpetravit. Ita enim leges, tàm divinæ, quàm humanæ, constituunt, ut homicida capite plectatur, quod damnum sit irreparabile, cum nemo vita defunctum ex mortuis revocare possit. Non diffitemur quidem, fieri aliquando, ut viris ejusmodi, præcipuè, si salus Reipublicæ ab iis pendeat, pœna promerita mitigetur, vel etiam, supremo Magistratu dispensante, omninò remittatur, verùm hic non est actus justitiæ, quem exercet *judex*, δικαστὴς nominatus, quasi διχαστὴς, ut eruditè observat Philosophus V. Ethic. IV. (VII), hoc est, *qui rem in duas partes æquales secat*; sed clementiæ Principis, dominatum tenentis, in solidum acceptum est ferendum. Unde & hîc iterum res sic comparata est, ut videmus comparatam esse in emptionibus, aliisque contractibus voluntariis, ubi evenit interdum, ut alius alio rem viliori emat pretio, sive ob amicitiam, quæ ipsi intercedit cum vendente, sive aliâ de causâ: verum uti id fit per accidens, nec tollit proportionem Arithmeticam, ita & de illo sentiendum. Id enim æquè fit per accidens, ut is, qui mortem v. c. ex rigore justitiæ est promeritus, clementiâ Principis ab eâ absolvatur: quemadmodum & per accidens fit, ut circa irrogationem pœnarum in prioribus casibus personæ ratio habeatur, nempe, ut ex ejus conditione vel delictum, vel etiam pœnæ quãtitas possit æstimari. Et hactenus verissimum est, quod Aristoteles lib. V. Ethic. c. V. (VIII) scribit, & hîc inprimis à dissentientibus solet urgeri, nempe, *si quis, magistratum gerens, aliquem pulsaverit, non esse referiẽdum: contra eum, qui magistratum pulsaverit, non modo verberandum esse, sed & castigandum.* Non enim parilis utrumque est rationis: nec æquale damnum patitur homo privatus, qvum percutitur, cum eo, qui tale quid patitur, gerẽs ma-

magistratum: quia in illo solùm persona læditur, in hoc autem una & dignitas, in quâ constituta est persona magistratus officio fungens. Quod observat etiam Michaël Ephesius in comment. his verbis: Οὐ γὰρ εἰ ἀρχὴν ἔχων ἐπάταξε, δεῖ ἀντιπληγῆναι· τὰ γὰρ αὐτὰ οὐκ ἴσην βλάπην ποιεῖ τῷ ἄρχοντι καὶ ἀρχομένῳ· ὁ γὰρ ἄρχων πλέον τί κατὰ τὸν πολίτην ἐστί, *Si quis magistratum gerens percussit alium quempiam, non est repercutiendus. Nec enim æquale isthac damnum inferunt magistratui & privato, quòd qui magistratum gerit, amplior sit ac major, quàm civis privatus.* Nempe similis hic casus est, ac si quis alicui, cujus res familiaris fortè centum aureis æstimatur, totam illam abstulerit; alius alteri, diviti, itidem totam quidem substantiam ademerit, sed quæ 100000 aureis æstimetur. Sicuti enim illi, qui alium centum aureorum summâ defraudavit, satis est, si hanc restituat, hic autem, qui 100000 abstulit ad totidem aureorum refusionem tenetur: ita & cum vir in maximâ dignitate constitutus alium quendam exiguæ existimationis hominem injuriâ quâdam, lædens existimationem ejus, affecit, non obligatus est, nisi ad restitutionem parvæ existimationis, quia alia non fuit illi, cujus existimationem violavit. At cum tenuioris sortis homo viro alicui summæ dignitatis honorem abstulit, multum quoque honoris ei restituere tenetur, cumq; id aliter fieri non possit, quàm per inflictionem pœnæ, delicto respondentis, hanc luere tenetur. Uti autem illic non alia proportio servatur, nisi Arithmetica: ita & hic non alia, nisi hæc ipsa, invenit locum. Nec enim alius hic habetur ratio, quàm delicti. Denique nec illud magni est momenti, quod alii obvertunt, Aristotelem tamen *præmia* reduxisse ad *justitiam distributivam*, indeque vi contrariorum, ab illo & pœnas fuisse reducendas, ideò, quod contraria sint sub genere eodem. Sub genere *distributionis* enim, quæ locum habet inter unius communitatis socios, præmium & pæna non

sunt;

non ſunt contraria, quod hæ non irrogentur ſociis, ut ſocii ſunt, ſed *præmium* & *onus*. Supplicium autem oppoſitum eſt *defenſioni*, quæ à magiſtratu debetur inſontibus, ut ſontibus pœna.

XII. Exemplo de proportione Arithmeticâ ac Geometricâ ſubjici placet adhuc aliud ex lib. de animalium inceſſu cap. XI, ubi hæc occurrunt ex Nicolai Leonici Thomæi translatione: *Etenim habentia pedes quoniam ſuper utrumq; oppoſitorum crurum viciſſim ſtant, pondusq; ſuſtinent, neceſſe habent, altero progrediente inflectere alterum: æqualia namque longitudine nata ſunt habere oppoſita membra; & quod ponderi ſubſtat, rectum eſſe oportet, ut per pendiculum ad terram. Quando autem progreditur, fit hypotenuſa, valens manentem magnitudinem, & eam, quæ interjacet: quoniam autem æqualia ſunt membra, neceſſe eſt inflecti id, quod manet, aut in poplite, aut in conflexione.* Hæc verba intelligi non poſſunt, niſi ante omnia ex Mathematicis quid per *perpendiculum*, quidq; *hypotenuſa* ſit, conſtet. Et *perpendiculum* quidem quid ſit, etiam in vulgus usq; notum eſt, nempe inſtrumentum illud, quo rectum altitudinis perpenditur, ſive exploratur. Græcis καθέτης, item διαβήτης: Senecæ autem lib. VIII. de beneficiis c. VI *libramentum rectum* vocatur. *Hypotenuſa* autem eſt linea, quæ in triangulo ſubtenditur angulo recto. Ex quo & hypotenuſæ nomen accepit, quaſi dicas *ſubtenſam*. Meminit ejus etiam Athenæus lib. X. Dipnoſophiſtarum his verbis: Ἀπολλόδωρος ὁ ἀριθμητικὸς, καὶ θῦσαι φησὶν αὐτὸν ἑκατόμβην, ἐπὶ τῷ εὑρηκέναι, ὅτι τριγώνου ὀρθογωνίου ἡ τὴν ὀρθὴν γωνίαν ὑποτείνουσα ἴσον δύναται ταῖς περιεχούσαις, *Apollodorus Arithmetices auctor eſt Hecatombem illum* (Pythagoram) *ſacrificaſſe, quod inveniſſet, in triangulo, rectis angulis conſtante, lineam, quæ recto angulo ſubtenditur, tantū valere, quantum aliæ eundem angulum continentes*. Ita in triangulo A.B.C. cujus angulus A rectus ſit, recta C. angulo

recto

recto B. ſubtenſa dicitur hypotenuſa. Hoc ergò vult Ariſtoteles, hominem & aliud quodvis animal bipes, quamdiu erectum eit, crura habere recta, ſive perpendicularia reſpectu ſuperficiei terræ. Cum autem incipit progredi, ingreſſu ſuo triangulum facere rectangulum, cujus hypotenuſa ſit crus illud, quod jam eſt promotum, eſto illud crus dextrum, in figurâ autem deſcripta A. C: ſecundum autem latus crus ſtans adhuc ad perpendiculum, in quo univerſum corpus quieſcit, quod in modò dicto caſu erit crus ſiniſtrum, in figura eadem autem A, B.: tertium denique latus ſpatium, quod inter duo crura, hoc eſt, inter crus dextrum, utpote hypotenuſam & crus alterum, ad perpendiculum adhuc ſtans, interponitur, ut in figurâ prædictâ B. C. Rectus autem angulus eſt in crure ſiniſtro, quod ſtat, & in figura eadem eſt B. Jam porrò in omni triangulo rectangulo quadratum, quod à latere recto angulo oppoſito in ſemetipſo deſcribitur, æquale eſt duobus quadratis, quæ ex duobus reliquis lateribus deſcribuntur per prop. XLVI. I. Elem. Euclidis, veluti in triangulo ſuperiori A B C, cujus angulus B ſit rectus, quadratum lateris A C æquale eſt quadrato B C & B A ſimul ſumptis. Valebit ergò pes promotus, hypotenuſæ vicem ſubiens, A C, tantum, quantum & manens magnitudo, id eſt, crus ſtans, & ea, quæ interjacet, id eſt, ſpatium, quo crus promotum, hypotenuſæ locum habens, diſtat à crure ſtante. Aſt res ipſa teſtatur, crura eſſe æqualia. Neceſſe itaque eſt in progrediendo crus illud, quod promovetur, flecti: ſic enim fit brevius ſtante crure: & rurſus cum hoc promovetur, hoc quidem extendi, alterum autem illud inflecti & brevius altero reddi: aliàs terram non attingeret, quin animal decideret, ſimileque quid illi eveniret, quod ligno alicui recto. Quamdiu enim illud ad rectum angulum ſtat cum ſuperficie terræ, non cadit: aſt cum nutat, & ex recto angulo fit acutus habitâ ratione ſuperficiei terræ, confeſtim decidit, quia non flecti-

tur in aliquo puncto. Plura exempla, Mathematum cognitionem ad intelligendum Aristotelem prærequiri evidenter docentia, qui desiderat, evolvat Jacobum Mazonium in Præludiis Philosophiæ Platonicæ & Aristotelicæ, Petrum Catenam Venetū in locis ex Mathematicis in Organo Aristotelis adductis, Felicem Accorambonum Annotationibus in Aristotelem passim, præcipuè autem & Josephum Blancanum Bononiensem in libro, qui inscribitur: Aristotelis loca Mathematica ex universis ipsius Operibus collecta, & explicata.

XLI. Sed *Rhetorica* quoq; intelligentiam præsupposuisse Aristotelem in auditoribus disciplinarum acromaticarum genuinis, certum est. Testatur enim apertè Strabo lib. XIII. Geographiæ, summam eum operam navasse, ut auditores suos, antequam ad ulteriora admitteret eos, θέσεις λημυθίζειν doceret, id est, unamquamque quæstionem in utramque partem disputando ventilare, non neglecto ornatu, sive oratoriis pigmentis, ut exposuimus in Prodromo num. XXXVII. Verba autem Strabonis ipsa ibidem adduximus num. II. Confirmatque idem & Cicero in Oratore scribens: *Quæstio à propriis personis & temporibus ad universi generis orationem traducta, appellatur thesis. In hac Aristoteles adolescentes, non ad Philosophorum morem tenuiter disserendi, sed ad copiam Rhetorum in utramq; partem, ut ornatius, & uberius dici posset, exercuit.* Sed & Diogenes Laertius in vita Aristotelis: καὶ πρὸς θέσιν, inquit, συνεγύμναζε τὰς μαθητὰς, ἅμα καὶ ῥητορικῶς ἐπασκῶν, *Discipulos suos ad thesin*, Dialectico videlicet more & astruendam & infringendam, assvefaciebat, *simul autem & Rhetorico more eam tractare docebat*, ne scilicet stylum inter disputandum horridum, sed ornatum & politum adhiberent. Tum & passim in scriptis ejus aliqua occurrunt, quæ etiam Rhetoricæ cognitionem prærequirunt. Exempli causâ lib. IV. Metaph. cap. V. inter hæc duo, εἰκότως, *verisimiliter*, & ἀληθῆ, *vera*, dicere,

cere, distinguit, his verbis: Εἰκότως μὲν λέγουσιν, οὐκ ἀληθῆ δὲ λέγουσιν. Ast quis sensum horum verborum assequetur, si ignoraverit, quid sit εἰκός, *verisimile?* Hoc autem nonnisi ex Rhetoricâ addisci potest, in quâ verisimile dicitur esse ἔνδοξόν τι. Ut enim ἔνδοξα absolutê, quorum considerationem Dialectica sibi vendicat, dicuntur, quæ sunt *consentanea opinionibus omnium, aut plurimorum, aut sapientum, & horum rursus, aut omnium, aut maximè probatorum.* I. Topic. I. § 7: ita Rhetoribus verisimilia vocantur, quæ videntur iis, qui in rebus agendis & deliberationi obnoxiis, aut etiam judiciis civilibus subjectis versantur, aut omnibus, aut plurims, aut spectatissimis. Unde lib. I. Rhet. c. II. Philosopho Dialectica quidem concludere dicitur ἐκ τῶν λόγου δεομένων, Rhetorica autem ex iis, quæ *sub deliberationem cadunt.* Et lib. II. cap. XXII: *Non ex omnibus,* inquit, ἐνδόξοις, *sed ex definitis quibusdam dicendum est,* nempe Rhetori, *v. c. ex iis, quæ videntur judicantibus, aut iis, quorum judicio ipsi acquiescunt. Et hoc ipsum ita eis videri constare oportet, aut omnibus, aut pluribus.* Atque hinc & alibi Aristoteles enthymema, quod constat ex *verisimilibus,* II. Prior. cap. XXVII. §. XIX, & syllogismum πολιτικὸν sive *civilem* coincidere docet. Ast de syllogismo Politico manifestum est, quod procedat ex iis, ex quibus deliberatio procedere solet. Politicus enim & prudens reapse idem sunt, differuntque solum τῷ λόγῳ, *habitudine* VI. Ethic. IIX. Prudentia verò est habitus μετὰ τοῦ λόγου ἀληθὴς πρακτικὸς lib VI. Ethic. cap. V. λογίζεσθαι autem καὶ βουλεύεσθαι *deliberare,* hic idem sunt VI. Ethic. I. Dicuntur tamen & verisimilia, quæ videntur multitudini, ad quam Rhetor sermonem habet, nempe non simpliciter, sed secundum quid. Atque & his ipsis utitur nonnunquam Orator, perinde ut Dialectica non solùm endoxis absolutê utitur, sed & iis, quæ opinioni ejus sunt consentanea, cum quo ipsi negotium intercedit. Et

huc respiciens Plato in Phœdone verisimile ait μὴ τ' ἄλλο εἶναι ἢ τὸ τῷ πλήθει δόκοῦν, nihil aliud esse, quam quod multitudini videtur. Jam autem constat, non omnia, quæ consentanea sunt opinionibus vulgi, quin etiam civilium hominum, è vestigio vera esse. Ex quo fit, ut aliqua interdum sint verisimilia & tamen falsa, aut non universè vera. Ita verisimlle est *ex bonis bonos esse, & eum, qui à bonis educatus est, talem esse* 1. Rhet. IX. & tamen experientia non raró contrarium testatur. Unde & proverbium natum est: *Heroum filia noxæ.* Atque ideò & Plato passim distingvit inter verum & verisimile, veluti in Euthydemo, Apologiâ Socratis & alibi. Et Aristoteles rursum lib. de arte Poëticâ cap. XXV: *Verisimile*, inquit, *est etiam fieri quid præter verisimile.* Mensura quoqve utriusqve, veri inquam, & verisimilis non est una eademque. Illius enim mensura res ipsa est. Qvo pertinet illud Philosophi ex IX. Metaph. cap. X: *Non propterea, quod nos te verè putamus album esse, tu albus es: sed propterea, quod tu albus es, nos, qui id dicimus, verum dicimus.* Ast verisimilia, qvæ sunt ἔνδοξα ... æstimantur opinionibus hominum, qvas de rebus animo habent comprehensas. Qvod verbis Alexandri illustravimus in Prodromo num. XXXIII.

XLII. Porrò constat ex verisimilibus *enthymema*, cujus, ut alibi passim, ita & II. Priorum cap. XVII. mentio injicitur apud Philosophum. At quid illud sit, non cognoscet quis iterum sufficienter, nisi Rhetoricæ, quæ enthymemate utitur, saltem aliquâ notitiâ sit imbutus. Habet enim hæc vox varias significationes, annotatas & Fabio Quintiliano V. Institut. Orat. cap. X. Et primò quidem significat *omnia mente concepta.* Quod & Cicero testatur, in Topicis scribens, omnem sententiam enthymema appellari. Sed & Xenophon in Oeconom. enthymemata vocat *sententias quasdam ad rem familiarem gerendam conducentes*, qualis est hæc: *Deus irascitur iis,*
qui

qui officium suum faciunt negligenter. Et ista: *Nihil est in rebus humanis vel utilius, vel pulchrius ordine.* Item illa: *Qualibet dies est apta, &c.* Deinde dicit Fabius enthymema vocari in specie *sententiam cum ratione*, qualis est hæc: *Non est bonum pecunia, quâ malè quis uti potest.* Tertiò pergit, significat & *quandam argumenti conclusionem vel ex consequentibus, vel ex repugnantibus.* Et hanc quidem conclusionem, inquam, ex repugnantibus dicunt enthymema κατ' ἐξοχὴν vocari, eo scilicet modo, quo Homerus Poëta dici solet, idqve ideò quod acutissima sit. Veluti, id, quod scis, prodest: nihil id, quod nescis, obest. Tale est etiam hoc apud Cornificium lib. IV. ad Herennium: *Qui suis rationibus inimicus fuerit semper, eum quomodo alienis rebus amicum fore speres?* Nec non istud ibidem: *Nam quem in amicitia perfidiosum cognoveris, eum quare putes inimicitias cum fide habere posse?* Item illud apud Sallustium in Jugurtha: *Quem alienum fidum inveneris, si tui hostis fueris?* Apud ipsum Ciceronem ejus rei exemplum insigne occurrit in Oratione pro lege Maniliâ. Sic enim ille isto loco: *Videte, ne, ut majoribus vestris pulcherrimum fuit, tantam vobis imperii gloriam relinquere: sic vobis turpissimum sit illud, quod accepistis, tueri & conservare non posse.* Necnon in Orat. pro Milone, ubi hæc leguntur: *Ejus mortis sedetis ultores, cujus vitam, si putetis, per vos restitui posse nolitis.* Atque hinc iterum Quintilianus lib. VIII. Instit. cap. V: *Enthymema est omne, quod mente concipimus: propriè tamen dicitur, quæ est sententia ex contrariis propterea, quod eminere inter cæteras videtur, ut Homerus Poëta, urbs Roma.* Sed & jam ante illum idem hoc scripserat ipse Cicero in Topicis: *Ex hoc,* inquit, *illa Rhetorum sunt ex contrariis conclusa, quæ ipsi enthymemata appellant, non quod non omnis sententia proprio nomine enthymema dicatur, sed ut Homerus propter excellentiam commune Poëtarum nomen efficit apud Græcos suum: sic*

cum omnis sententia enthymema dicatur, quia ea, quæ ex contrariis efficiatur ut est acutissima, sola propriè nomen commune possideat. Sumpsisse verò vocem in tertia significatione, latius tamē aliquantò extensâ, videtur & Hermogenes lib. III. de inventione cap. XII. ubi enthymemati tribuit δόξαν δριμύτητος, *laudem acrimoniæ*, sive acuminis, aculeum post se relinquentis, aut vehementer afficientis, *si nempe post refutationem, aut per* ἔνστασιν, *inficiationem*, aut ἀντιπαράστασιν *s. depulsionem facta assumpto argumento ad stabiliendam refutationem à circumstantiarum locis & additâ exornatione ejus, conclusio ejusmodi acumen habens subnectatur.* Cujus ille exemplum subdit à comparatis petito. *Sit*, inquit, *caput: Difficile est Isthmum perfodere. Refutatio per inficiationem*, ἔνστασιν*: Non est difficile illud facere. Inde fit argumentum à re deductum: Humum enim fodere facile, & quasi ludus. Sequitur ejus expolitio, ab exemplo petita: Rex namq; Persarum cum opus fuit, montem Atho perfodit.* Εἶτα ἐνθύμημα ὡς ὅτι, *His omnibus subjiciatur enthymema, id est, conclusio acuta: Ille perfodit montem, & nos humum non perfoderemus?* Demosthenis quoque Scholiastes huc digitum intendit, quando *enthymema* dicit *Oratoriam* esse *consecutionem*, sive conclusionem, *solerter ex superioribus illatam*. Ast Aristoteles in Rhetoricis vocabulum hoc in alio planè & ab his omnibus diverso adhibet sensu, quo scilicet à sententiis enthymema omninò est distinctum. Dicit enim expressè II. Rhet. cap. xx. & xxi. *sententiam non esse enthymema*, sed *partem ejus*, & quidem sive *principium*, sive *conclusionem*. Quibus addit quidem & tertium genus, quod vocat *enthymematicum*, in quo scilicet unà comprehenditur causa ejus, quod sententiâ effertur, ut si dicatur: *Ne serva immortalem iram, qui mortalis es.* Ab Enthymemate tamen & hoc ipsum distinguit. Vocat enim enthymema *ipsum argumentum*, quo *antecedens* ponitur, atque ex hoc ipso *consequens* infertur. Veluti: Tu

mor-

mortalis es. E. nec iram serva immortalem. Patet hoc ex lib. I. Rhet. cap. I, ubi *enthymema* vocat ἀπόδειξιν *oratoriam*: & paucis interjectis addit: τὸ δ' ἐνθύμημα συλλογισμός τις, *Enthymema est syllogismus quidam.* In omni autem syllogismo datur consequens & antecedens, sive id, quod infertur, atque ex quo infertur. Neque verò nova est & soli Aristoteli frequentata hæc significatio. Nam & ipse Quintilianus lib. V. cap. XIV. agnoscit, enthymema aliquibus vocari Oratorium syllogismum, qualis sit hic: *Virtute nemo malè uti potest. bonum est ergo virtus. qua id demum bonum est, quo nemo malè uti potest.* Quin ipsemet lib. I. cap. X: *Etiam Orator syllogismis, si res poscet, utetur: & certè enthymemate, qui Rhetoricus est syllogismus.* Suidas quoque in voce Ἐνθύμημα: οὕτω, inquit, λέγονται οἱ ῥητορικοὶ συλλογισμοί, *Ita Rhetorici syllogismi vocantur*, qualem mox subdit: Ut, *Hic est supplicio dignus. Est enim proditor.* Et hoc ipso sensu Philosopho nomen enthymematis & II. Prior. XXVII. venit.

XLIII. Non ex verisimilibus autem solùm enthymema concludit, sed etiam ex *signis*, ex quibus aliqua τεκμήρια dicuntur, quorum & ipsorum meminit Philosophus modò laudato loco ex II. Analyticorum. Ast quæ & hæc ipsa sint, ex Rhetoricis est discendum. Vocant autem ita Rhetores signa illa, quæ *certa* sunt & *indubitata*. Sunt enim duplicis generis signa, prout etiam Aristoteles ipse lib. I. Rhetor. cap. II. docet. Quædam sunt *non necessaria*. Et hæc iterum sunt duplicia. Alterum enim se habet, ut *singulare* ad *universale*. Ut, Pittacus est sapiens & probus. E. omnes sapientes sunt probi. Simon est Græcus & insidiator. E. omnes Græci sunt insidiatores. Nec aliter colligere jubet Æneas apud Virgilium II. Æneidos dicens:

Accipe nunc Danaum insidias & crimine ab uno
Disce omnes.

Hoc

Hoc signum, si Analyticè de eo judicandum sit, cadit in tertiam figuram, & fallit, quod conclusionem inferat universalem, qualis per istam figuram inferri non potest. Alterum se habet ut *universale* ad *singulare*, & affirmativè infert in secundâ, quod contra indolem est hujus figuræ. Exemplum hoc est: Pallet. E. febricitat. Alia autem signa sunt *necessaria* & *indubitabilia*, quæ aliter se habere non possunt, indeque insolubilia sunt. Quod & observat Suidas in Lexico, quum ait: τεκμήριον ἀληθινὸν (Hesychius pro voce hâc habet vocabulum ἀληθὲς) σημεῖον· ἢ τὸ ἄλυτον, τεκμήριον *idem est, quod signum verum vel indissolubile: ut, si ex fumo colligas ignem, aut, effectu posito, inferas adesse, aut adfuisse, causam.* Cicero exemplum ejus lib. de Inventione tale ponit: *Peperit: ergò cum viro concubuit.* Quintilianus lib. V. cap. IX. & hujusmodi signa subdividit. Ita enim ille de hoc signorum genere loquens: *Hoc genus*, inquit, *per omnia tempora perpendi solet. Nam & coisse eam cum viro, quæ peperit, quod est præteriti: & fluctus esse, cum magna vis venti in mare incubuit, quod conjuncti: & eum mori, cujus cor est vulneratum, quod futuri, necesse est. Nec fieri potest, ut ibi sit messis, ubi satum non est: ut quis Romæ sit, cum est Athenis: ut sit ferro vulneratus, qui sine cicatrice est. - Sed quædam & retrorsus idem valent,* i. e. sunt ἀντιστρέφοντα, *ut vivere hominem, qui spirat: & spirare, qui vivit. Quædam in contrarium non recurrunt. Nec enim quia movetur, qui ingreditur, idcircò etiam ingreditur, qui movetur. Quare potest & coisse cum viro, quæ non peperit: & non esse ventus in mari, cum esset fluctus: nec utique cor ejus vulneratum esse, qui perit: ac similiter satum fuisse potest, ubi non non fuit messis: fuisse Romæ, qui fuit Athenis: nec fuisse ferro vulneratum, qui habet cicatricem.* Hæc omnia sunt τεκμήρια, omnium tamen maximè, quæ cum re convertuntur, & Ciceroni in Partitionibus *propria rei notæ* dicuntur. Unde autem ista τεκμήρια fuerint dicta, Aristoteles ipse rursum

ſum in Rhetoricis lib. I. cap. II. docet, nempe, quia τὸ τέκμαρ καὶ πέρας ταὐτόν ἐστι κατὰ τὴν ἀρχαίαν γλῶτταν, vox τέκμαρ *vetuſtâ linguâ idem eſt, quod terminus*, ſive extremum & ultimum, quod & Heſychius advertit ſcribens: τέκμαρ, πέρας, τέλος, quaſi τεκμήριον idem ſit, quod ad terminum probando deducens, ut refelli non poſſit, nec aliâ probatione indigere videatur.

XLIV. Non negligendus quoqve tandem hic nobis videtur eſſe locus ex lib. I. Ethic. cap. I. (II.) ubi de Rhetorica dicitur, qvod ſub Politicâ ſit collocata, non minus ac Oeconomica & ars militaris. Aſt etiam hoc ex aſſe intelligi non poteſt, niſi qvis Rhetoricæ, qvam alioqvin Plato in Gorgiâ & Ariſtoteles ipſe alicubi in Rhetoricis olim auſam fuiſſe dicit cum Politica de principatu contendere, indolem & finem ſatis habeat perſpectum. Collocari enim una facultas ſub altera dicitur (in Græco textu eſt vox διατάττειν) cujus finis alteri ex toto eſt ſubordinatus. Ita ars frenifactoria & ephippiaria dicuntur collocata eſſe ſub arte eqveſtri, & hæc ſub militari. Finis enim frenifactoriæ & ephippiariæ directus eſt ad finem artis eqveſtris, & hujus finis ad finem artis militaris. Ex qvo & fit, ut eqveſtris frenifactoriæ & ephippiariæ præſcribat, qvomodo frenum & ephippium ſint conficienda, ut ipſa, iis intervenientibus, finem ſuum aſſeqvatur. Eqveſtri autem arti rurſus præſcribit ars militaris, qvomodo eqvus ſit dirigendus, ne ipſa ſuo fine fruſtretur. Jam certum eſt, qvod finis Rhetoricæ omninò ſit directus ad finem Politicæ. Eſt enim finis Rhetorices perſvaſio, ſive fides, inſerenda animis eorum, qvi ad civitatem pertinent, ut eò facilius legibus præſcriptis obtemperent & juxta eas & agant & judicent, ſive id eligant omnes, qvod honeſtum ac juſtum ſit & ex uſu civitatis, ut hæc ſuâ gaudeat cum omnibus membris felicitate, Directus ergò finis Rhetoricæ totus eſt ad finem Politicæ, qvi

est salus & beatitudo reipublicæ. Unde & fit, ut Politica Rhetoricæ limites ponat & præscribat, qvousqve progredi debeat in oratione, & qvomodo eam informare, ut ipsa non excidat fine suo, sed potius, ejus adminiculo, tantò facilius eum conseqvatur. Factum qvoqve hinc, ut Româ aliqvando illa, ob abusum fortè, per Senatus consulta & decreta exire juberetur. Sanè cum *Senatus consulto C. Fannio Strabone & M. Valerio Messala Coss. tùm edicto Cn. Domitij Ænobardi & Livij Licinij Crassi Coss. damnatam prohibitamqve fuisse*, testatur Tranqvillus lib. de claris Oratoribus. Inde autem iterum introducta fuit, *latisq; legibus iis, qui eam docerent, honores ac præmia constituta fuerunt*, ut cum aliuude constat, tùm ex lege, in honoribus D. de vacat. & excusat. mun. item ex C. tit. de Professoribus & Medicis, nec non de studiis liberalibus urbis Romæ & Constantinopolitanæ. Rectè ergò Aristoteles Rhetoriam sub Politicâ ait esse collocatam. Cujus rationem dat etiam Eustratius in Commentario. Ait enim: τοῦ πολιτικοῦ γὰρ διορίσασθαι ῥήτορι πῶς καὶ μέχρι τίνος τοῖς λόγοις ἐν τε βουλαῖς καὶ δίκαις καὶ πανηγύρεσι, *Politici enim est præscribere Oratori, quomodo & quousque oratione ipsi sit utendum, tàm in deliberationibus, quàm in judiciis & demonstrationibus.*

XLV. Ulterius & Poëtices prægustum aliqvem lectio Aristotelis reqvirit. Ait hic lib. I. Metaph. cap. II. *quod Poëtæ multa falsa dicant.* Ast id plenè quis intelligere non potest, nisi finem Poëseos cognitum habeat, qvi est fides facienda infimæ plebi, cujus gratiâ & Plato agnoscit Poëticam esse inventam. Sic enim ille in Gorgiâ de Poëticis sermonibus: οὐκοῦν πρὸς πολὺν ὄχλον καὶ δῆμον οὗτοι λέγονται οἱ λόγοι, *Profectò ad turbam populumq; hi sermones habentur.* Et rursus: Δημηγορία τίς ἐστιν ἡ ποιητική, *Popularis quædam oratio est Poësis.* Jam autem vulgus, qvi ne enthymematibus qvidem, nedum aliis demonstrationibus, moveri potest, movetur tamen rythmis

mis, metris, aliisqve talibus per imitationem adhibitis: nec minus fabulis, qvàm historiis veris, imò istis nonnunqvam magis, qvàm his ipsis, qvod vulgus delectationem ut plurimum qværat & oblectamentum, qvod fabulæ præbent, si sint appositæ, qvia narrationem rerum novarum continent, non ea, qvæ sunt, sed alia quædam ab his diversa recensentes. Qvod *novum* autem & *rarum* est, id *jucundum* est, lib. I. Rhet. XI. Augetur autem voluptas, si admiranda & portentosa fabulis admisceantur. Nam & qvod *admirationem parit*, jucundum est, ut eodem loco Philosophus observat. Ex qvo & pueri nullà re magis delectantur, qvàm fabulis, qvia ex appetitu vivunt, qvi in id, qvod jucundum est naturâ, propendet. Qva occasione & à vitiis revocari possunt, si in fabulis tragici exitus iis repræsententur illorum, qvi in vitiis varii generis sese volutarunt: è contrario verò ad honestatem excitari, si audiant fabulosè res præclarè gestas referri, & tributos iis nescio qvos non honores. Jam autem qværunt Poëtæ non prodesse solùm, sed & delectare, ut sese accommodent vulgo, qvi itidem vitam affectat jucundam. Ideò & ipsi multa fingunt, ut tantò facilius id, quod sibi propositum habent, conseqvantur. Fingunt actiones rectas, easqve sub specie jucundi vulgo proponunt, ut ad virtutum actiones sub specie hàc invitent, qvod fecit Homerus in Odyssea sua, ubi gesta & prudentiam, nec non tolerantiam Ulyssis describit ad imitationem aliorum. Recensent verò & pravas actiones, ac detrimenta & ærumnas inde natas enarrant, ut terrorem vulgo incutiant, & hoc ipso ab ejusmodi actionibus illud retrahant. Quod fecit Homerus in Iliade, ubi iram Achillis describens quot mala inde suborta sint non solùm Græcis, sed & ipsi Achilli, qvi occasione hujus Patroclum amicum suum charissimum & conjunctissimum amisit. *Fieri non potest*, ait Strabo, qvi hic omninò legendus est, lib. I. Geographiæ, *ut mulierum*

ac promiscua turba multitudo Philosophica oratione excitetur, ducaturq; ad religionem, pietatem, ac fidem, sed δεισιδαιμονία in-super opus est, *terrore circa divina, qui sine fabularum portentis vix satis incuti potest vulgo. Unde fulmen, agis, tridens, faces, angues, hastaq; Deorum thyrsis præfixa, imò universa prisca Theologia nil nisi fabulæ sunt, receptæ à civitatum auctoribus, quibus veluti larvis insipientium animos terrerent. Proinde fabularum fictio cum talis res sit, ac in societatem vitaq; formam civilem & verarum rerum cognitionem desinat, veteres institutionem puerilem,* ἀγωγὴν *ἐφύλαξαν, usque ad perfectam ætatem produxerunt, Poëticam formandis ad modestiam omnis ætati moribus sufficere existimantes. Posterioribus demum temporibus historiæ scriptio &, quâ hodie utimur, Philosophia in medium prodierunt. Verum hæc ipsa ad paucos pertinet: Poëtica in publicum utilior est,* δημωφελεστέρα, *quæ etiam theatra implere valet.* Quod mox declarat exemplo poëmatis Homeri. Subdit enim: *Quod omnium maximè præstat Homeri poësis. Et primi quidem etiam historici ac naturæ rerum scriptores fabulas scripserunt. Enimverò Poëta fabulas ad morum formationem referens veritatis quidem magnâ ex parte rationem habuit, interdum tamen etiam falsa intermiscuit, veritatem quidem amplectens, figmento autem demulcens ac gubernans ducis instar multitudinem. Et, ut faber argento cum circumfunderet aurum: sic ille veris eventis fabulas adjecit, dictionem ita condiens ac ornans interim ad finem, qui vera narranti est propositus, & ipse respiciens. Hoc modo Iliacum ille bellum, rem nimirum gestam, sumsit ac fabularum commentis exornavit, itemq; Ulyssis errores. Non enim Homericum est nova fabularum portenta proferre, quæ à nullo vero pendeant. Verisimiliora nimirum videntur auditori, quæ quis ita fingit, ut vera falsis admisceat, id quod de Ulyssis erroribus disserens etiam Polybius affirmat.* Quod Homerus autem, idem & alii fecerunt Poëtæ, & quidem

dem citra reprehensionem, etiamsi multa proponerent sæpè, qvæ fidem excederent omnem. Unde & proverbium natum est, *ἀνευθύνους εἶναι ποιητάς*, *liberos esse Poëtas, non minus* ac pictores, nempe in fingendo, qvicqvid vellent, dummodo id ad finem prædictum esset directum, cujus proverbii meminit Lucianus in Dialogo qvem inscripsit, ὑπὲρ τ̃ εἰκόνων, necnon in Encomio Demosthenis. Sed & Diphilus apud Athenæum libro sexto de Poëtis:

——— ——— οἷς ἐξουσία
Ἐστὶν λέγειν ἅπαντα καὶ ποιεῖν μόνοις,
——— ——— *Quibus licet*
Et facere solis quidlibet atque dicere.

Ad quod sine dubio respexit & Horatius canens:

——— ——— *Pictoribus atq; Poëtis*
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Deniqve & Agatarchides lib. I. de mari rubro cap. V. apud Photium codice CCL. Bibliothecæ: *Non damno*, inqvit, *Homerum, quod Jovis & Neptuni dissidium asserit, cum fieri non possit, ut homo mortalis fidem hâc in parte astruat. Nec Hesiodum vitupero, Deûm generationem exponere ausum. Nec Æschylum increpo, quod in plerisq; mentitur, & multa, quæ concedi nunquam possunt, in literas refert. Nec Euripidem accuso, quod Archelao tribuit res à Temeno gestas, & Tiresiam in Theatro plusquam quinque ætates vitâ complexum introducit. Nec aliis vitio verto, quod apparatu in fabularum actione utuntur virium excedente humanarum modum.* Ὅτι πᾶς ποιητὴς ψυχαγωγίας ἢ ἀληθείας ἐστὶ στοχαστής, *quia omnis Poëta voluptatis magis, quàm veritatis, scopum sibi propositum habet.*

XLVI. Deinde lib. IIX. Politicorum cap. ult. παιδείαν & καθαρσιν distingvit, & de hâc se planius in libris de Poëticâ acturum promittit. Qvod sine dubio & præstitit, sed periit id injuriâ temporum superiorum. Possumus tamen qua-

dantenus qvid per κάθαρσιν sibi velit, vel ex iis etiam, quæ adhuc supersunt, intelligere. Definiturus enim Tragœdiam capite sexto dicti libri his utitur verbis: *Est igitur Tragœdia imitatio actionis studiosæ & perfectæ magnitudinem habentis, suavi sermone, separatim singulis formis in partibus agentibus, non enarratione, sed misericordiâ & metu inducens, τῶν τοιέτων παθημάτων κάθαρσιν, ejusmodi affectuum purgationem*, ejusmodi, inqvam, affectuum, qvorum causâ infortunia in tragœdiâ repræsentata alicui evenerunt. Cujus exemplum habemus in Ajace Sophoclis, qvi illic mediante timore & misericordia, qvos affectus ibi in auditoribus & spectatoribus movere satagit, animos horum ab iracundiâ & impietate in Deos removere laborat, qvod ob hujusmodi affectus infortunia ibi descripta Ajaci evenissent. Pertinetqve huc & locus Platonis ex IIX. de legibus, ubi docere volens, qvomodo legislator à civitate removere possit concubitus puerorum, & stupra, ac adulteria, nec non commixtiones cum sororibus, ait *terrendos esse omnes irâ & vindictâ Deorum, quæ hujusmodi flagitia excipere soleat: idque addit & in Tragœdiis fieri solere: Unum verbum*, inqvit, *atq; brevissimum omnes hujusmodi voluptates extinguit, nempe si dicatur, nullò modo illas esse licitas, sed Diis inimicas & inter turpia omnium turpissimas. Neque enim quisquam aliter de his statuit: sed mox ab ineunte ætate & joco simul & seriò dicta sæpiusq; in tragœdiis hæc eadem audiuntur, cum vel Thyestes, vel Oedipodes, vel Macareos quosdam clam cum sororibus permixtos, qui ubi detecti fuerunt, è vestigio mortem sibi consciverint, ceu debitam sceleris pœnam.* Per κάθαρσιν ergò dicto loco Philosophus nihil aliud intelligit, qvàm actionem, quâ animi affectus aut tolluntur, aut ad mediocritatem rediguntur, ut animus pacatus & tranquillus reddatur, atqve hoc ipso ad arcana scientiarum, maximè Politicæ & sapientiæ tantò facilius capienda disponatur. Requiritur enim

ad hoc animus à vitiorum ſordibus & inquinamentis repurgaus. Unde & Hierocles ad aureum Pythagoræ carmen: Καὶ πρῶτά γε τὰ τῆς πρακτικῆς ἀρετῆς παρατίθεται παραγγέλματα. Πρῶτον γὰρ δεῖ ἀποτάξασθαι τὴν ἐν ἡμῖν ἀλογίαν τε καὶ ῥαθυμίαν, ἔπειτα οὕτως ἐπιβαλεῖν τῇ τῶν θειοτέρων γνώσει. ὥσπερ γὰρ ὀφθαλμῷ λημῶντι καὶ οὐ κεκαθαρμένῳ τὰ σφόδρα φωτεινὰ ἰδεῖν οὐχ οἷόν τε, οὕτως καὶ ψυχῇ μὴ ἀρετὴν κεκτημένῃ, τὸ τῆς ἀληθείας ἐνοπτρίσασθαι κάλλος, *Primum*, inqvit, *Pythagoras præcepta quædam dat virtutis ad actionem directa. Ante omnia enim in nobis ex animo abjiciendus omnis brutalis affectus*, ſive omnes motus rationi reluctantes, *nec non ſocordia, ut hinc ad rerum divinarum cognitionem pergamus. Ut enim oculi lippientes & non purgati ea, quæ multum luminis habent, videre non poſſunt, ita & anima virtutis exors veritatis ſplendorem ſuſcipere & ferre non poteſt.* Qvanqvam Plotinus & alii κάθαρσιν adhuc latius extendunt, dicentes eâ animum non ſolum ab affectuum pravorum fæce mundari, ſed & omni terrenâ cogitatione liberari, hocqve ipſo qvàm ſimillimum reddi menti illi divinæ, ad cujus contemplationem & imitationem totus feratur. Qvod obſervavit etiam Jamblichus lib. de Animâ, apud Suidam, ita ſcribens: Πλωτῖνος δὲ καὶ οἱ πλεῖστοι τῶν Πλατωνικῶν, ἀπόθεσιν τῶν παθῶν καὶ μορφωτικῶν διαγνώσεων, δόξης τε πάσης ὑπεροψίαν τε καὶ τῶν ἐνύλων διανοήσεων ἀπόστασιν, πλήρωσίν τε ἀπὸ νοῦ καὶ τοῦ ὄντος, ἀφομοίωσίν τε τοῦ κατανοουμένου πρὸς τὸ κατανοοῦν τὴν τελειοτάτην κάθαρσιν ὑπολαμβάνουσιν. Ἔνιοι δὲ καὶ τούτων πολλάκις ἀποφαίνονται περὶ τὴν ἄλογον ψυχὴν καὶ τὸν δοξαστικὸν λόγον ἐμφύεσθαι τὴν κάθαρσιν, *Plotinus, & plerique Platonicorum, affectuum ſecretionem & formatarum notionum, omniumque opinionum neglectum & receſſum à terrenis ac rebus materiæ immerſis inhærentibus cogitationibus, repletionemque ex mente, atque eo, quod ſimpliciter eſt, & aſſimilationem intelligentis cum intelligente, abſolutiſſimam ſuis numeris eſſe purgatio-*

gationem arbitrantur. Nonnulli verò ex his passim asserunt, in ea parte, quæ rationis expers est, & circa rationem opinabilem versari purgationem. Qui volunt, Plotinum ipsum evolvere possunt Enneade I. libro secundo.

XLVII. Eodem capite ult. VIII. Politicorum hæc quoque occurrunt verba: ὁ διθύραμβος ὁμολογουμένως εἶναι δοκεῖ Φρύγιον, *Dithyrambus apertè videtur esse Phrygius.* Hic quid dithyrambus sit, ex Poëtica rursum est petendum. Nempe vocatur ita genus poëmatis, quod in laudem canitur heroum & illustrium virorum, & quidem ita, ut non introducantur personæ loquentes, neque in scenâ, ut in tragœdia & comœdiâ; neque ab ipso Poëta, ut fit in epopœia, sed continuè loquatur Poëta. Cujus forma est apud Aristophanem in Comœdia, quam ὄρνιθες inscripsit, ubi Poëtam Dithyrambicum introducens, inquit: ὦ κλεινοτάτην αἰθέρων οἰκίσας πόλιν, οὐκ οἶσθ' ὅσην τιμὴν παρ' ἀνθρώποις φέρῃ, *O gloriosissimam æthercam habitans civitatem! Non scis quantum honorem ab hominibus fers,* & quæ sequuntur. Dithyrambus autem dictum fuit hoc genus poëmatis, quia in Liberi patris, sive Bacchi, honorem initio fuit excogitatum ad prædicandum ejus ortum. Quod testatur & Plato lib. IV. de legibus. Ait enim expressè, *dithyrambum* dictum fuisse *Poema, in quo Bacchi generatio contineretur.* Hic namque inter alia & Διθύραμβος olim dicebatur à δὶς, *bis*, & θύρα, *fores*, quia δὶς θύραζε ἔβη, bis foras exiit, sive bis natus est, primùm ex utero Semelis, fulgure ictæ, cujus & Auctor Anonymus de incredibilibus, à Leone Allatio editus, cap. XVI. meminit, hinc verò è femore Iovis. Quò & Interpres Pindari alludit in verbis istis: ἀπὸ τοῦ Διονύσου, τοῦ ἐκ δύο θυρῶν ἐξελθόντος. Orpheo qvoqve hinc Βιμάτωρ dicitur, quod ab Ovidio redditur *bimater*, quando ita de illo IV. Metamorph.

Thuraq; dant, Bacchumq; vocant Bromium Lyæumq;,
Ignigenamq; satumq; iterum, solumq; bimatrem.

Respi-

Respicit quoq; huc idem lib. III. Metamorph. quum ita canit.

Imperfectus adhuc infans genitricis, ab alvo
Eripitur, patrisq;, si credere dignum est,
Insuitur femori, mater neque tempora complet.

Et rursus:

Tutaq; bis geniti sunt incunabula Bacchi.

Videri potest & Suidas. Alii tamen aliis de causis ita eũ putant nuncupatum, vel *quod ex Jove & Cerere natus, & à Titanibus discerptus à matre recoctus & in vitam sit revocatus,* ut Diodorus Siculus memorat lib. IV. Bibliot. quanquam alii hoc à *Rheâ*, Deûm matre, factum dicant, inter quos est & Phurnutus lib. de naturâ Deorum cap. xxx, qui ita scribit: Μυθολογεῖται δὲ ὅτι διασπασθεὶς ὑπὸ τῶν τιτάνων, συνετέθη πάλιν ὑπὸ τῆς ῥέας, *Perhibent eum à Titanibus membratim discerptum à Rheâ secundo compositum fuisse:* vel quia Nymphæ Jovi, dum illum femori assutum parturiret, acclamarint, λῦθι ζάμμα, λῦθι ζάμμα, *solve, solve ligaturam*, Λ in Δ mutato. Phurnutus loco citat. adhuc aliam originationis hujus causam affert. Nempe ait Bacchum Dithyrambum dictum, *quod vinum os faciat* διθυρὸν, sive *bifore*. Liberius enim haustum disertos reddit, atque & arcana recludi facit. Ex quo & temulenti cum vase comparantur rimarum pleno, atque hâc & illâc perfluente. Inde ergò, quod in hujus laudem genus istud carminis, de quo diximus, à Lyricis Poëtis furore quodam Bacchico concitatis & quasi temulentis decantaretur, & ipsum Dithyrambus vocatum fuit. Quod & Proclus observat in Chrestomathiâ apud Photium in Bibliothecâ Codice CCXXXIX, ita scribens: ὁ δὲ διθύραμβος γράφεται μὲν εἰς Διόνυσον· προσαγορεύεται δὲ ἐξ αὐτοῦ ἤτοι διὰ τὸ κατὰ τὴν Νύσσαν ἐν ἄντρῳ διθυράμβῳ τραφῆναι τὸν Διόνυσον· ἢ διὰ τὸ λυθέντων τῶν ῥαμμάτων τοῦ Διός, εὑρεθῆναι αὐτόν· ἢ διότι δὶς δοκεῖ γενέσθαι, ἅπαξ ἐκ τῆς Σεμέλης, καὶ δεύτερον ἐκ τοῦ μηροῦ, *Dithyrambus in Bacchum conscriptus, à quo nomen accepit,*

pit; vel quod apud Nisan in antro Dithyrambo, hoc est, bifori sit educatus; vel quod λυθέντων τῶν ῥαμμάτων, hoc est, apertis suturis Jovis repertus sit: vel quod bis genitus videatur, semel ex Semele, iterumq; ex femore. Atque hinc & Archilochus Dithyrambum *Liberi patris famulum* appellat. Et Suidas: *Dithyrambus*, inquit, *est* ὕμνος εἰς διόνυσον, *hymnus in Bacchum.* Hoc genus carminis Aristoteles dicit Phrygium apertè videri. Phrygius enim cantus, ut supra quoq; jam, videlicet num. XVII. notavimus, vim ac potestatem habebat animos eorum, qui audiebant, singulariter commovendi, etiam ad insaniam usque, cujus exemplum quoque occurrit apud Galenum in V. Decretorum Hippocratis & Platonis, ubi *de tibicinâ* quâdam refert, *quod Phrygiis modis adolescentes quosdam temulentos ad furorem usq; incenderit, quos Damon Milesius (hinc jusserit ad Doricas leges tonum demittere, qui, illo demulsi, quieverint.* Jam similis erat conditio etiam dithyramborum. Erat stylus ipsorum prætumidus, & concitatus, plenus numerorum & verborum sesquipedalium, ut vocant, qualia passim apud Poëtas, tàm Græcos, quàm Latinos, occurrunt, veluti apud veterem quendam Poëtam, cui Bryso dictus fuit Θερσιτημαχειοληψικερμάτων, teste Athenæo lib. II. quo ipso significabat eum Trasymachi in disputando æmulum fuisse, ac vel minutum accepisse nummulum, sordidique hinc lucelli avidum extitisse. Item apud Auctorem Epigrammatis εἰς γραμματικοὺς, ubi vox Θηρσζυγοκαμψιμέτωπος occurrit, ex quatuor dictionibus facta, quasi diceres, *feri flexijugi frontis.* Aristophanes quoqve hinc inde ejusmodi voces usurpat. Veluti in Nebulis reperitur vox βροντησικέραυνος. In Ranis vox κομποφακελορρήμων, *fastuosis & gravibus verbis utens*, nec non πομφολυγοπαφλάγματα, *bullæ aquæ cum strepitu.* Imprimis verò huc etiam pertinet Epigramma Hegesandri in Sophistas:

Ὁ φρυ-

Ὀφρυανασπασίδαι, ῥινεγκαταπυξογένειοι,
Σακκογενειοτρόφοι, καὶ λοπαδαρπαγίδαι,
Ἱματανωπερίβαλλοι, νηλιποικαι βλεπέλαιοι.
Νυκτιλαθραιοπλάγοι, νυκτιπαταιπλάγιοι,
Μειρακιεξαπάται, καὶ συλλαβοπευσιλαβῆται,
Δοξοματαιόσοφοι, ζητεαρετησιάδαι,

Quod Joſephus Scaliger Comment. in Varronem de linguâ Latinâ ita refert:

Siloniçapetones, vibriſſiaſperomenti,
Manticobarbicolæ, exterebropatinæ,
Planipedatque lucernitui, ſuffarci namicti,
Noctilatentivori, noctidoloſtudii.
Pullipremoplagii, ſutelocaptiotricæ,
Rumigeraucupidæ, nugicanoricrepi.

Apud Latinos ejusmodi vocabula itidem paſſim deprehenduntur. Utpote apud Plautum in Epidîco vox, *perenticida*, & in Curculione *halophanta*; in Pœnulo porrò vox *biſulcilingua:* in Trinummo *ipſisſimus:* in Perſâ *geminisſimus*. Apud Lucilium inſuper vox *repandiroſtrum*, item *cornipotens, hippocampelephantocamelos*. Sed & Catullus Carm. de Attide Dithyrambos imitans *cervam ſylvicultricem*, & *aprum nemorivagum* appellat, utiturq; ibidem & voce *hederigera*. Laberius denique arietem, *reciprocicornem*, *acinutem*, *veſtitrabum*, vocat. Sed & pertinet huc locus Platonis ex Cratylo: *Lunam quidem multi* σελαγαίαν *nominant. Quoniam verò lumen novum ac vetus ſemper habet, meritò* σελαεννάεια· *nunc autem conciſo vocabulo* σελαναία *vocatur.* Vocem autem illam σελαεννεάεια, *dithyrambicum nomen* eſſe dicit. Atqve hinc & Æſchilus Dithyrambum non incongruè μιξοβόαν nuncupavit, verſu iſto:

Μιξοβόαν πρέπει διθύραμβον ὁμαρτεῖν
Σύγκοινον Διονύσῳ.

Horatius autem dithyrambos audaces appellat lib. IV. Ode II. ob *fictionem novarum vocum* & *numeri licentiam* ac *mensuram pedum neglectam*, nec non *junctarum sesquipedalium verborum*. Verba hæc sunt:

Seu per audaces nova Dithyrambos,
Verba devolvit, numerisq; fertur
Lege solutis.

Ubi per nova verba nomina intelligit ex duobus vel tribus aliis composita. Ex quo & una intelligitur, quod lib. III. Rhet. Aristoteles scribit: Χρησιμωτάτη ἡ διπλῆ λέξις τοῖς Διθυραμβοποιοῖς· οὗτοι γὰρ ψοφώδεις, *verba conjuncta & quasi duplicata conveniunt dithyrambicis Poëtis. Hi enim maximè cupiunt esse sonori.* Ad hoc autem inprimis accommodati sunt Dithyrambi, quippe tumidi & toti Bacchum referentes, qui vocales homines reddit. Unde & dithyrambis veteres, cum libarent, non utebantur, nisi cùm vino jam incaluissent. Qvod Athenæus lib. XIV. confirmat testimonio Philochori: *Philocorus*, inquit, *auctor est, non semper veteres, cum libarent, usos fuisse dithyrambis, sed vino madidos ac temulentos, & cum Patrem Liberum invocarent: cum Apollinem autem, placidè & ordinatè*, μεθ' ἡσυχίας καὶ τάξεως, *cecinisse.* Atqve hinc & Archilochus apud eundem:

Διονύσου ἄνακτος καλὸν ἐξάρξαι μέλος
Διθύραμβον οἴνῳ συγκεραυνωθεὶς φρένας,
Bacchi regis canticum elegans dithyrambicũ auspicari scio,
Vini fulmine percussa mente.

Et Epicharmus in Philoctete scribit:

Οὐκ ἔστι διθύραμβος, ἂν ὕδωρ πίνῃ,
Haud dithyrambus est, si aquam potitet.

Natum qvoqve hinc est alterum illud proverbium, cujus interpres Aristophanis meminit in Avibus, Διθυραμβοποιῶν νοῦν ἔχεις ἐλάττονα, *Minus sapis scriptoribus Dithyrambicis*, qvod di-

ctum

ctum est ἐπὶ τῶν ἀδιανοήτων, *in stupidos & mente captos*. Furebant enim Poëtæ dithyrambici, Baccho afflati. Qvò & sine dubio allusit Horatius canens: *Aut insanit homo, aut versus facit.* Sed & Athenæus l. c. διθυράμβειν *pro furere* ponit. Denique & Philostratus in Sophistis hinc *immoderatam in dicendo vehementiam* aliqvoties vocat τὸ διθυραμβῶδες, eosqve, *qui magno impetu ac vi verba ebuccinant*, dicit ἐκβακχεύειν, καὶ ὑπερβακχεύειν. Rectè itaqve Philosophus in Politicis dithyrambum ad Phrygium modum refert. Unde & factum, ut cum Philoxenus Melicus aggrederetur dithyrambum facere in genere harmoniæ Dorico, propositum illud suum ad exitum perducere non valeret, paulatimq; delaberetur in Phrygios modos, ipsius naturæ impulsu, qvæ id, qvod cuique aptum est, etiam invitis extorqvere solet, id verò, qvod alienum est, repudiare.

XLVII. Vel ex eo ipso verò, qvòd num. XLI. ostendimus, Aristotelem eos, qvos ad Philosophiam præparabat, in Dialecticis quoq; velitationibus exercuisse, satis liqvet, eum & *Dialecticæ* aliqvam notitiam in genuinis disciplinarum suarum auditoribus pariter & lectoribus requisivisse. Cujus ratio & in aprico est. In eo namqve Dialectica tota occupata est, ut ostendat, qvomodo quis rectè dubitare, h. e. de quâvis re εἰς ἑκάτερον, *in utramq; partem*, debeat disputare. Quod qvidem in multis rebus necessarium est, ut veritatem asseqvamur, cujus scientia Philosophia est, II Metaphys. I. Qvemadmodum enim trabs firmiter terræ infixa inde erui non potest, nisi in hanc aut istam partem moveatur: ita nec veritas, qvæ profundè rebus immersa est, inde potest erui, nisi utrinqve de eâ fuerit ante dubitatum. Et ut judex controversiam valdè intricatam decidere non potest, nisi utramqve partem litigantium in foro prius audiverit; sic nec quæstiones in scientiis

occurrentes ſatis rectè decidi poſſunt, niſi ante ex utraque parte ſententiarum & rationum facta fuerit contentio, quo ſimili Ariſtoteles utitur I. de cœlo X. Hinc dubitatio Ammonio dicitur ἀρχὴ τῆς εὐπορίας, & Alexandro ὁδὸς πρὸς εὐπορίαν. Qvò reſpiciens ipſe Ariſtoteles, aut qvicunqve Auctor eſt libri Categoriarum, ait, *dubitare de ſingulis non eſſe inutile* cap. VII. ſub fin. nempe quia dubitatio facit, ut veritatem inveniamus. Quod pleniùs explicatur atqve confirmatur lib. III. Met. I. cui jungendus eſt Philoponus in I. Meteorol. Atqve hæc ipſa etiam cauſa eſt, ob qvam Alexander Dialecticam προπαρασκευὴν dicit eſſe ad Philoſophiam, perinde, ut Gymnaſtica προπαρασκευὴ eſt ad artem militarem. Nec aliâ de causâ Ariſtoteles ipſe paſſim in ſcriptis ſuis acroaticis priùs de propoſitis rebus agit λογικῶς, h. e. ita, ut dubitationibus lectorem implicet, poſtea demum ἀκριβῶς & ἀκροαματικῶς cuncta pertractet, veluti I. Poſt. XXII. & XXIV. III. Phyſ. IV. IV, VIII. lib. VII. Metaph. IV. & ſeqq. qvàm quod tum demum, cum in utramqve partem dubitare poſſumus, idonei ſumus, qui tantò facilius in ſingulis perſpiciamus verum & falſum, qvâ de causâ Dialectiam qvoqve utilem eſſe ait ad Philoſophicas ſcientias, I. Topic. c. II. §. 5. Neqve dubium eſt, alios qvoqve inter veteres Philoſophos, etiam Græcos, in Dialecticis primùm auditores ſuos exercuiſſe, anteqvam ad ulteriora eos admitterent; etiamſi fortè diſputandi copiam non fecerint, niſi iis, qvos in cæteris jam verſatos eſſe cognoviſſent & idoneos judicaſſent, qvi in numerum auditorum domeſticorum cooptarentur. Ut apud Romanos, qvi militiæ primùm nomina dabant, non prius ducebantur in aciem, qvàm inſtructi quotidiè eſſent ad militiam, armisqve pugnaſſent ligneis, qvod balluere dicebant, poſtqvam verò ſatis crebrò ſe exercuiſſent, tum demum militiæ ſacramentum dicebant & in hoſtem jus pugnandi accipiebant: ſic veriſimile eſt apud

quos-

qvosvis verè ſcientes eos, qvi ſacris Philoſophicæ militiæ, qvæ exquiſitis demonſtrationum armis exercetur, initiari voluerunt, tantiſper ad pugnam decretoriam (ut Seneca vocat,) cujus ratio in ſcientiis habetur, prodire fuiſſe prohibitos, donec ludicris velitationibus εἰς ἑκάτερον exercitati intrepidè illam adire potuêre. Nam & alii agnoverunt, difficilem admodum eſſe veritatis, qvæ in ſcientiis proponitur, cognitionem, niſi Dialectica ante exercitatio antegreſſa fuiſſet. Inde Socrates ad adoleſcentem Parmenidem apud Platonem: Ἕλκυσον, inquit, σ' αὐτὸν καὶ γύμνασον μᾶλλον διὰ τῆς δοκούσας ἀχρήστου εἶναι καὶ καλουμένης ὑπὸ τῶν πολλῶν ἀδολεχίας, νέος ἔτι εἰ ἐὰν δὲ μὴ διαφεύξεταί σε ἡ ἀλήθεια, *Collige teipſum & diligentius te exerce in eâ arte, quæ inutilis & nugatoria multis hodiè videtur* (Dialecticam indigitans) *dum adhuc juvenis es. Si enim ſtudioſè id feceris, te veritas etiam ſenem fugiet.* Jamblichus quoqve hâc de causâ in Epiſtola ad Sopatrum Dialecticam ait προγυμνασίαν πρὸς τὰς κατὰ φιλοσοφίαν ἐπιστήμας θαυλασίας παρέχειν, *præexercitamentum exhibere ad ſcientias in Philoſophiâ admirabiles*, apud Stobæum Serm. I. de literis, qui in editione Græco-Latinâ Conradi Geſneri, in quâ ſimul ſententiæ per duos illos veteres in Græciâ monachos Antonium & Maximum collectæ continentur, eſt CCXI. in aliis autem Sermo LXXXI.

III. Sed quid ad hoc dicemus, quod Dialecticam, Rhetoricam, qvin & Poëticam, ipſimet in Prodromo, ad Acromatica Philoſophi ſcripta retulimus? Quo accedit, quod & alii Dialecticam à diſciplinâ encycliâ diſtinxiſſe videntur. Quos fortè ſeqvutus & Sextus Empiricus, qui de Logicâ demum diſſerit lib. VII. adverſus Dogmaticos, ubi adverſus Philoſophiam diſputare incipit, cum ante περὶ τὰ μαθήματα, hoc eſt, diſciplinas ἐγκυκλίους in ſex prioribus libris egiſſet. Non enim inuſitatum eſt veteribus per μαθήματα intelligere diſciplinas omnes ἐγκυκλίους, ſicut & Vitruvius Encyclopædiam

vocat

vocat encyclion doctrinarum omnium diſciplinam, Præfat. lib. VI. de Architecturâ. Semovet verò etiam Rhetoricam ab encycliâ diſciplinâ Dionyſius Halicarnaſſæus in Epiſtolâ ad Tuberonem de Thucydidis dotibus. Sic enim ille: οὐ γὰρ ἀγοραίοις ἀνθρώποις, οὐδὲ ἐπιδιφρίοις ἢ χειροτέχναις, ἀλλὰ ἀνδράσι διὰ τῶν ἐγκυκλίων μαθημάτων ἐπὶ ῥητορικήν τε καὶ φιλοσοφίαν ἐληλυθόσιν, *Non hæc forenſibus, aut ejus modi hominibus, qui ſedentarias* (ut vocant) *& manuarias artes exercent, aut aliis, qui nulla liberali doctrina ſunt exculti; ſed viris in omni diſciplinarum genere, tùm in Rhetorica ac Philoſophiâ exercitatis, quibus nihil novum, nihil peregrinum videri poteſt, ſcripta eſſe affirmant.* Theon quoque Sophiſta in ipſo exordio Progymnaſmatum ſuorum, poſtquam dixiſſet, priſcorum eloqventiæ Doctorum, hanc fermè fuiſſe ſententiam, quod non niſi poſt Philoſophiæ demum ſtudia Rhetorica eſſet addiſcenda, ſubdit: Νῦν δὲ οἱ πλείους τοσούτου δέουσι τῶν τοιούτων ἐπαΐειν, ὥστε οὐδὲ τῶν ἐγκυκλίων καλουμένων μαθημάτων ὁτιοῦν μεταλαμβάνοντες, ἄττουσιν ἐπὶ τὸ λέγειν, *Nunc autem magna pars tantum abeſt, ut hanc cognoſcere velint, ut ne illis quidem communibus ſ. vulgaribus diſciplinis inſtructi, ſtatim ad dicendum deferantur.* Verùm non eſt difficile ad hoc reſponſum. Ariſtoteles enim ab auditore genuino Acromaticarum diſciplinarum non exquiſitam illam rerum Dialecticarum & Rhetoricarum, quin & Poëticarum, quæ ex Dialectica, Rhetoricâ & Poëticâ ipſius hauriri poſſit, notitiam flagitare, ſed ſolùm qvalemcunqve aliam, quantum ſcil. de illis noſſe ſatis erat ad cætera penetranda, quæ ad ſecretiora Philoſophiæ μυστήρια ſpectarit. Quod & cæteris uſu venit. Neqve enim tanti ab eo, qui ad Philoſophiam inſtruitur, in Mathematicis v. g. profectus poſtulandi ſunt, ut cum Euclide aut Archimede de illis contendere audeat; nec in Oratoriâ tanti, ut Demoſthenem exæqvet, & ſic deinceps, ſed ſufficit illi, ſi tantum

ex

ex illis artibus didicerit, quantum ſatis eſt ad Philoſophiam percipiendam. Nec enm temerè eos imitari oportet, qui in iſtiusmodi artibus, amœnitate earum illecti, conſeneſcunt; qualis fuiſſe videtur Longinus, qui licet tantus alicqui haberetur, ut audiret βιβλιοθήκα ἔμψυχος, *vivens Bibliotheca*, Plotinus tamen, cum legiſſet libros ejus, dicere non dubitavit: φιλόλογος μὲν ὁ Λογγῖνος, φιλόσοφος δὲ οὐδαμῶς, *Philologiæ quidem peritus Longinus, Philoſophiæ non item.* Reipublicæ quidem, non diffitemur, utile eſſe, ſi ſint aliqui, qui vix aliud per omnem vitam agant, quàm, ut certæ alicui diſciplinæ, etiam τῶν ἐγκυκλίων παιδευμάτων, ſe totos dedant, ne deſint fortè, qui de minutiis etiam ſingulis, ſi opus fuerit, conſulantur: at ſolidæ ſapientiæ amatores, ubi didicerint, quantum ad animum iis præparandum ſufficit, detinere illa diutius non debent. Hoc fine Mathematicam ſpeculationem ſuſcipi vult Plato, ut *ingenium acuamus, & ad rerum divinarum intuitum mentem præparemus*, ut juxta alios memoriæ prodidit etiam Alcinous, libro de doctrinâ Platonis cap. VII. Egregiè *Seneca* Epiſt. LXXXIIX: *Tam diu*, inquit, *iſtis* (artibus liberalibus ſ. encycliis) *immorandum eſt, quamdiu nihil animus agere majus poteſt. Rudimenta ſunt noſtra, non opera.* Et poſtea: *Quare*, ait, *liberalibus ſtudiis filios erudimus? Non, quia virtutem dare poſſunt, ſed quia animum ad accipiendam virtutem præparant. Quemadmodum prima illa, ut antiqui vocabant, litteratura, per quam pueris elementa traduntur, non docet liberales artes, ſed mox percipiendis locum parat: ſic liberales artes non perducunt animum ad virtutem, ſed expediunt.* Ex quibus unà intelligitur, cur Xenocrates artes liberales dixerit λαβὰς φιλοσοφίας, *anſas Philoſophiæ* teſte Plutarcho lib. de virtute morali in fine, & Diogene Laërtio in vitâ ejus. Ut enim anſæ humorem non continent, vaſi tamen

 neceſ-

necessariæ sunt, ad usum: sic artes illæ sapientiam non habent, sed tamen conferunt ad habendam, *Philo* autem hac ipsâ de causa vestibulis eas comparat, quæ sunt ante ædes, & in prourbiis oppidorum: Ὥσπερ, inquit, ἐν οἰκίαις αὔλειοι πρόκεινται κλισιάδων, ἐν δὲ πόλεσι τὰ προάστεια, δι' ὧν εἴσω βαδίζειν ἔνεστιν. οὕτως καὶ ἀρετῆς πρόκειται τὰ ἐγκύκλια, ταῦτα γὰρ ὁδός ἐστιν, εἰς ἐκείνην φέρουσα, *Ut in ædibus vestibula sunt ante fores, in oppidis proürbia, per quæ in ipsa itur: sic virtuti præjacent liberales artes. Hæc enim via est, quæ fert ad illam.* Eximia quoqve sunt, quæ in eandem sententiam habet *Plutarchus* in libro aureo de educandis liberis. Sic enim ibi scribit. c.xx: *Oportet puerum ingenium ne eas quidem disciplinas, quæ ob vulgarem usum encyclia*, ἐγκύκλια παιδεύματα, *dicuntur, inauditas incognitasq́ præterire: verum eas in transcursu, veluti gustus percipiendi causa, discere (nam in omnibus perfectionem consequi nemo potest:) Philosophiam verò seriò colere.* Hoc simili porrò explicat: *Sicut pulchrum*, inquit, *quidem est circa multas urbes navigare, utile autem præstantissimam inhabitare. Et urbanum quoq́ Bionis Philosophi dictum, qui ajebat: Sicut Penelopes proci cum non possent cum Penelope concumbere, rem cum ejus ancillis habuerunt: ita qui Philosophiam nequeunt apprehendere, eos in aliis nullius pretii disciplinis se conterunt.* Eodem simili usus est *Aristippus*, de quo sic *Laertius* lib. II: *Eos, qui orbe disciplinarum exculti*, ἐγκυκλίων παιδευμάτων μετέχοντες, *Philosophiam neglexerunt, similes esse ajebat procis Penelopes. Illos* enim *Melantho & Polydoram, aliasq́ famulas habuisse, ac cuivis potius, quàm Dominæ, potuisse nubere.* Addit, simile quid & *Aristonem* dixisse. Τὸν γὰρ Ὀδυσσέα, καταβάντα εἰς ᾅδου, τοὺς μὲν νεκροὺς πάντα σχεδὸν ἑωρακέναι, καὶ συντετυχηκέναι, τὴν δὲ βασίλισσαν αὐτὴν μὴ τεθεᾶσθαι, *Ulyssem quippe ajebat, cum ad inferos descendisset, omnes prope mortuos vidisse, & allocutum esse, reginam verò ipsam ne videre quidem potu-*

potuisse. Idem de *Aristone* refert & *Stobæus in Eclogis.* nec non serm. XXXII. Nec alio, ut Clementis & Philonis nunc mentionem non faciamus, quorum verba huc facientia jam in Prodromo citavimus, tendit istud *Philonidis, Comici* veteris: Γράμματα μαθεῖν δεῖ, καὶ μαθόντα νοῦν ἔχειν, *Et literas & deinde mentem jungere oportet.* Ut enim personæ histrionum, etsi pulchræ, usum non habent, nisi faciei applices: sic & literæ per se sunt inanes, nisi sapientiæ admoveantur. Ad Sapientiam itaq; ire oportet per προπαιδεύματα, iisq; uti quidem, sed non immori, non aliter, quàm qui in patriam tendit, & viâ utitur, & diversoriis: at mansiones ibi non habet: ne audiamus illud *Epicteti,* apud *Arrianum* Diss. II. c. XXIII. Ἄνθρωπε, ἐπελάθου σὺ τῆς προαιρέσεως; οὐκ εἰς τοῦτο ὥδευες, ἀλλὰ διὰ τούτου. ἀλλὰ κομψὸν τοῦτο. πόσα δὲ ἄλλα πανδοκεῖα κομψὰ; πόσοι δὲ λειμῶνες; ἀλλ' ἁπλῶς ὡς διόδου. *Homo, oblivio Te cœpit instituti Tui? non huc ibas, sed hàc. Atqui elegans hoc diversorium? Quàm multa autem alia? Quot etiam horti, aut prata? sed nonnisi, ut transitus sint.*

I L. Non igitur hoc, quod *Aristoteles* Rhetoricæ notitiam præposuit in ἀκροατικῶν auditore, impedit, quo minus in Rhetorica sua de rebus ei subjectis ἀκροατικῶς egerit, quoniam non exquisitam & omnibus numeris accuratam notitiam illam esse voluit, sed aliqualem solùm prægustum, & ad superiora percipienda conducentem, sicut & id, quod in Gymnasticâ olim fuere instituti Græcorum pueri, non officit, quò minus κατ' ἀκρίβειαν, adeoqve ἀκροαματικῶς, in disciplinâ aliqua de rebus Gymnasticæ substratis, tùm à quibusdam & tractatum sit, & adhuc tractari possit, qualem tamen illarum rerum notitiam nemo dixerit in pueris istis fuisse requisitam. Neq; verò Aristoteles in Rhetoricis de rebus ad Oratoriã & Poëticam pertinentibus disseruit habito respectu ad Philosophiam, aut quatenus eæ ad Philosophiam conducerent, sed

respectu finis, quem Rhetorica sibi habet propositum, persuasionis scil. eorum, qui ad rempublicam pertinent, aut hominum vulgus. Eò ibi omnia dixerit, deque cunctis ad hos fines obtinendos conducentibus, non ἐξωτερικῶς, sed ἀκριβῶς & ἀκροαματικῶς egit: quæ omnia minutatim persequi ejus, qui Philosophiæ secretioribus cognoscendis operam navat, nihil interest. Quâ de causâ & nonnulli severiores magistri reperti, qui totum literarium seu liberalium artium studium, quod jam olim quidam nonnulli nimis illud æstimarent, eique plus quam decebat, inhærerent, rejicerent atque damnarent. Tales erant Cynici, de quibus Laërtius lib. VI. in vitâ Menedemi sic scribit: παραιτοῦνται τὰ ἐγκύκλια μαθήματα, *Aspernantur liberales omnes artes.* Sed & Lucianus Diogenem, sectæ hujus parentem, ita loquentem introducit: Οὐ γὰρ σοι δεήσει παιδείας, καὶ λόγων, καὶ λήρων, ἀλλ' ἐπίτομος αὕτη σοι πρὸς δόξαν ἡ ὁδός. *Neq; enim ad gloriam consequendam opus erit eruditione, orationibus atq; his nugis: verum compendiaria ad illam est via.* Hæc ille in Dialogo, qvem Vitarum auctionem inscribit. Zeno quoque, caput Stoæ, initio librorum de Rep. ubi cá τὴν ἐγκύκλιον παιδείαν, *liberalem doctrinam*, ἄχρηστον, sive *inutilem*, profitetur. Sed hi media, eâq; regia viâ, relictâ, ab extremo ad extremum, uti fieri solet, fuêre prolapsi. Non enim *obstant hæ disciplinæ per illas euntibus, sed circa illas hærentibus*, sicut & Fabius ait lib. I. cap. XIII.

L. Hæc sunt, quæ Aristoteles in genuino lectore Acromaticorum suorum scriptorum requirit. At sunt, qui his adminiculis satis benè instructi, de obscuritate tamen hujus Philosophi conqveri nondum desistunt. Sanè ipsimet Græci ejus Interpretes illum sphyngá non dubitant nominare. *Themistius* autem ita eum scriptis suis obscuritatem inspersisse affirmat, ut sepia, cum sese piscatoribus occultare vult,

atramentum aspergit. *Simplicii & Philoponi* verba, simile quid continentia, adduximus in Prodromo num. XL. ubi & causam hujus propositi ex iisdem indicavimus, quam & Ammonius proponit præf. in Categ. scribens: ἐπετήδευσε τὴν ἀσάφειαν, διὰ τοὺς ἀναγινώσκοντας, ἵνα εὐφυεστέρους ἀποτελέσῃ, εἰς τὸ συντεταγμένως τῶν λεγομένων ἀκούειν, καὶ ἵνα τοὺς ῥαθύμους ἀκροατὰς ἀποστρέψῃ ἐκ προοιμίων. οἱ γὰρ γνήσιοι ἀκροαταὶ, ὅσῳ ἀσαφῆ εἰσι τὰ λεγόμενα, τοσούτῳ σπουδάζουσι μᾶλλον καταγωνίσασθαι, καὶ τὸ βάθους ἐφικέσθαι· ὥσπερ οὖν παραπετάσματι τῇ ἀσαφείᾳ ἐχρήσατο, διὰ τοὺς βεβήλους, ἀμφιεννὺς τῶν πραγμάτων τὸ σεμνὸν τῇ ἀσαφείᾳ. *Studio obscuritatis ducebatur* (Aristoteles) *ut legentes red..eret ingeniosiores, ut quæ dicerentur, diligenter, studiosé-que audirent, & ut ignavos auditores ipsis exordiis rejiceret atque averteret. Veri enim auditores quò obscuriora sunt, quæ dicuntur, eò studiosius advertunt, at majore conatu ad intima pe..ni..e contendunt, quamobrem ipse propter profanos homines, obscuritate, tanquam velamine, quodam usus est, rerum dignitatem obscuritate subtexens.* Operæ itaque pretium fuerit, inquirere in causas istius obscuritatis, & simul scrutari, liceatne remedium aliquod huic malo invenire. Ut ergò hinc disquisitio illa procedat, observandum ante omnia est, quod quatuor ferè de causis fieri soleat, ut oratio aliqua sit obscura. Vel enim *verba*, quibus res significantur, ejus rei causa sunt: vel *res*, quæ verbis significantur: vel *ipsa tractatio*, eâque rursus partim *verborum*, partim *rerum*. De singulis videamus, num in Aristotele obtineant. Principiò, quod ad *verba* attinet, dubium planè nullum est, quin in iis apud Philosophum hunc non parum sæpè lateat obscuritatis. Provenit autem ea initiò ex *textus Græci varietate*, quæ hinc nata est. Aristoteles, postquam ex vivis discesserat, bibliothecam, quam sibi comparaverat insignem, reliquit discipulo suo *Theophrasto*, quem successorem Diatribæ suæ elegerat, teste A. Gellio lib.

XIII. c. V. hic autem *Neleo Scepſio*, qui & ipſe fuerat Ariſtotelis diſcipulus, ut refert *Laertius*. A *Neleo* porrò eam, auctore *Athenæo* libro primo, mercatus *Ptolemæus Philadelphus* in Alexandriam tranſtulit. Reſervaverat tamen & ſibi Neleus ille ſaltem exemplar aliquod iſtorum librorum, qui Ariſtotelem habebant auctorem, eosdemqve & poſteris transmiſit, hominibus indoctis, qui eos ſub clavibus ſine ullo uſu habuerunt, imò metuentes, ne Attalici Reges, ſub quibus erant, eos ſibi vendicarent, quippe qui magno ardebant ſtudio conquirendorum librorum, ad inſtruendam eam, quæ Pergami erat, Bibliothecam, eos in foſſa quadam ſub terram occuluerunt, ubi ſqualore ſituqve obducti, à blattis etiam ac tineis corroſi fuerunt. Tandem tamen ex foſſâ rurſus extractos, qui ex eo genere erant, grandi pecuniæ ſummâ vendiderunt Apelliconi Tejo, homini φιλοβιβλίῳ magis, quàm φιλοσόφῳ, h.e. magis *librorum*, quam *Sapientiæ ſtudioſo*. Hic eroſos laceroſque deſcribi quidem & vulgari curavit, ſed quod Philoſophiæ, ut diximus, minus gnarus eſſet, mutilos & multis locis mendis plenos edidit. Eo defuncto Sylla, expugnatis Athenis, annis circiter ducentis quinquaginta poſt Ariſtotelis exceſſum, illos Romam tranſtulit, ubi uſum eorum à bibliothecæ præfecto impetravit Tyrannio Grammaticus, Ariſtotelis ſtudioſiſſimus; Bibliopolæ autem eos deſcribi curarunt, verum ab ineptis librariis, & qui ne quidem cum exemplari conferrent, quæ deſcripſiſſent. Tandem nactus eſt eos Andronicus Rhodius, qui primus libros hos in multa exemplaria transfundi & publicari curavit. Atque ex eò tempore ex Acromaticis etiam cœperunt diſputare, & magis Ἀριστοτελίζειν, cum intermedio tempore, ſtatim ab exceſſu Theophraſti, librorum potiſſimum defectu, nonniſi ex exotericis Dialecticè & probabiliter diſputare poſſent. Hæc Strabo XIII. Geographiæ & Plutarchus in L. Syllâ. Hinc ergò ortum

traxit

traxit ista exemplarium varietas, quæ magnam non rarò interpretibus attulit perturbationem.

L I. Quæ res, ut clarior fiat, exemplis aliquot est illustranda. Et initio quidem Aristotelis doctrinæ est consentanea definitio illa homonymorum, quæ occurrit in principio libri Categoriarum, sive hic Aristotelis sit, sive alius, sive exotericus, (ut nos putamus,) sive acroamaticus. Sic autem illa sonat: Ὁμώνυμα *dicuntur, quorum nomen solùm est comune,* λόγος autem τῆς οὐσίας ἕτερος. At illud, τῆς οὐσίας, olim in omnibus exemplaribus non fuit repertum, vel Andronici quoq; jam ætate, sicut testatur Dexippus lib. I. in Categor. ita scribens: *Primum quidem non in omnibus exemplaribus particula hæc*, λόγος τῆς οὐσίας, *ratio substantiæ, adjecta reperitur, ut Boëthus & Andronicus testantur.* Sed hæc discrepantia fortè est exigua. Perinde enim est, sive simpliciter λόγος, sive λόγος τῆς οὐσίας legatur, cum notissimum sit Aristoteli λόγον, etiam simpliciter positum, non rarò definitionem significare, ut cum materiam & privationem dicit ὑποκείμενον idem esse, differre autem τῷ λόγῳ. Idem dicendum est de illo loco ex I. Post. c. I. §. II. ubi hæc habentur verba: αἵτε γὰρ μαθηματικαὶ τῶν ἐπιστημῶν, διὰ τούτου τοῦ τρόπου παραγίνονται. Sic enim legit Themistius, qui illud, παραγίνονται, exponit per περιποιοῦνται, i. e. *acquiruntur seu comparantur.* At Philoponus legit περαίνονται, quod interpretatur ποιοῦνται & κατορθοῦνται, *afficiuntur & diriguntur.* Hoc, inquam, itidem leve est. Perinde enim est, quam lectionem sequamur. Sed sunt alia loca majoris momenti, in quibus diversitas lectionum non exiguam parit difficultatem. Talis est, qui invenitur l. II. Topic. cap. V. §. 1. ubi vulgò sic legimus: Ὁμοίως δὲ, ὅταν ἐπαγωγὴν πρός τι διὰ τοῦ κειμένου ποιησαμένου ἀναιρεῖν ἐπιχειρῇ, &c. At Alexander pro, κειμένου, legit προκειμένου, qui & innuit in antiquis quibusdam codicibus pro, ποιησαμένου haberi, ποιησάμενος. Gruchius autem addit, pro,

ἐπα-

ἐπαγωγὴν, legendum esse ἀπαγωγήν; & quidem optimè. Sic enim sensus loci, aliàs obscurissimi, in quô exponendo ipse Alexander admodùm se torquet, redditur planissimus, quà de re videatur Muretus VII. Variar. Lect. X. Porrò lib. *I.* Post. c. I. §. V. vulgò sic legimus: Ἔστι δὲ γνωρίζειν τὰ μὲν πρότερον γνωρίζοντα, τῶν δὲ καὶ ἅμα, quæ lectio obscurissima est. At in aliis vetustissimis exemplaribus, ut ex *Philopono* cognoscere licet, lectum fuit: τὰ μὲν, τὰ δὲ, quæ lectio plana est, & hunc ingerit sensum: *Fieri potest, ut aliquis cognoscat id, quod partim prius cognovit* (videl. confusè) *partim ejus eo ipso tempore adipiscitur cognitionem* (distinctam.) Quæ facilè quivis intelliget, si con erat cum exemplo, quod subnectit Philosophus, & præterea jungat cum paragrapho hoc libri II. Prior. capud XXI. Quod autem ista, τά μὲν, τὰ δὲ, hunc aliquando habeant sensum, liquet ex I. Rhet. cap. II. ubi hæc leguntur: τὰ μὲν δι᾽ ἀπαιδευσίαν, τὰ δὲ δι᾽ ἀλαζονείαν, τὰ δὲ δι᾽ ἄλλας αἰτίας ἀνθρωπίνας, *Et Rhetoricæ Professores se pro Politicis venditare conantur, partim per ignorantiam, partim per arrogantiam, partim per alias causas, quibus interdum animi hominum moveri solent.* Eodem I. Post. XIV. §. III. legimus vulgò, κυριώτατον γὰρ τοῦ εἰδέναι τὸ διότι θεωρεῖν, atque legit ita etiam Philoponus, qui locum hunc ita interpretatur: κυριώτατον καὶ μάλιστα οἰκεῖον πρὸς ἐπιστήμην ἐστι, τὸ διότι θεωρεῖν, *Maximè proprium & familiare scientiæ est, cur res sit contemplari.* At Themistius legisse videtur τὸ εἰδέναι. Habet enim Aristotelic. istorum verborum loco sequentia, ὥστε κυριωτάτης γνώσεως, quam lectionem etiam Argyropilus secutus est: neq; incommoda est. Cum enim scire sit quadruplex (scimus enim *quod sit, cur sit, an sit*, & *quid sit*, II. Post. I. §. I.) maximè scire dicitur is, qui causam, cur sit res, cognitam habet, quod vel ex iis etiam, quæ lib. I. Post. II. & XIII. docentur, satis liquet.

LII. Sed

LII. Sed & ex Rhetoricis producere possumus aliqua loca. Veluti lib. I. cap. I. enthymema dicitur σῶμα τῆς πίστεως, ut communiter legunt. At in veteri aliqvo exemplari legitur ῥῶμα, id est, *nervus*, quæ lectio sine dubio alteri est præferenda. Quam facile autem fuit, ut ρ in σ mutaretur? sicut & apud Plutarchum in Pelopida in extremo idem factum esse videmus, ubi itidem vulgo, sed malè, σῶμα, legitur, pro ῥῶμα. Deinde capite II. ejusdem libri hæc leguntur: οὐ γὰρ ὥσπερ ἔνιοι τῶν τεχνολογούντων τιθέασιν ἐν τῇ τέχνῃ καὶ τὴν ἐπιείκειαν τοῦ λέγοντος, ὡς οὐδὲν συμβαλλομένης πρὸς τὸ πιθανόν. Quæ lectio parùm est commoda. At in aliis vetustissimis exemplaribus, teste Accorambono Annot. in Rhet. aliisqve, καὶ omissum est & pro συμβαλλομένης, reperitur, συμβαλλομένην, ut hic sit sensus: *Neq; enim ita se res habet, ut quidam in libris de arte posuerunt, qui ita de probitate dicentis loqvuti sunt, ut de re, quæ nihil conferat ad persuadendum.* Qvod statim refutat, subjiciens: ἀλλὰ σχεδὸν, ὡς εἰπεῖν, κυριωτάτην ἔχει πίστιν τὸ ἦθος, *Nihil enim ferè ad faciendam fidem potentius est, quam mores dicentis*, quoniam scilicet, ut paulo ante dixerat, *bonis viris magis & facilius credimus, universè quidem omnibus in rebus, in iis autem, quæ exquisitè cognosci non possunt, sed tales sunt, ut in utramque partem animus queat inclinari, omninò & sine ulla exceptione.* Neqve verò lectioni huic obsunt, quæ interposita sunt, δεῖ δὲ καὶ τοῦτο συμβαίνειν διὰ τὸν λόγον &c. hæc enim velut per parenthesin sunt interjecta. Ibidem cap. V. definit εὐδοξίαν, quod sit τὸ ὑπὸ πάντων σπουδαίων, (sic enim habent nonnulla exemplaria) ὑπολαμβάνεσθαι ἢ τοιοῦτόν τι ἔχειν οὗ πάντες ἐφίενται. At si sic legatur, sententia imperfecta est, ut quivis videt. Qvid enim hoc est dicere, *gloria*, sive *bona fama* est *judicari ab omnibus bonis?* cum non exprimatur, qualis esse judicetur aut existimetur. Rectius ergò alii legunt pro σπουδαίων, σπουδαῖον. Eodem capite loquens de iis, qui certaminibus olim usitatis

assveti erant, eum, qui *crura velociter movere* poterat, vocat δρομικόν: qui *stringere & tenere*, παλαιστικόν: qui *ictu depellere*, πυκτικόν: qui *in utrisque his excellebat*, παγκρατιαστικόν. Et subdit: ὁ δὲ πᾶσι τούτοις, πένταθλος. Sic enim vulgati codices habent. At enumeraverat tantùm quatuor certaminum genera, præter quæ & alia veteribus erant usitata, veluti præter *luctationem* etiam *jaculatio*, *saltus* item, *cursus & jactus disci*, ut vidimus supra c. XIII. Videtur ergò omninò legendum esse non τούτοις, sed τοιούτοις. Eodem libro c. XV. ostendit Philosopus, quid Oratori faciendum sit, cum lex scripta causæ, quàm sustinet, adversatur. Nempe ait, utendum ei tùm esse *communi lege*, i. e. jure naturali, vel gentium (hoc enim intelligit per κοινὸν νόμον, sicut per γεγραμμένον jus cujusq; populi proprium) *& iis, quæ æquitati consentanea sunt, tanquam justioribus.* Et hinc addit aliqua, quæ rursus variè leguntur: Καὶ ὅτι, ait, τῇ (ita legitur vulgò, at melius alii τὸ legunt) γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ (in nonnullis exemplaribus additur χρωμένους, in aliis χρώμενον κρίνειν) τοῦτ' ἐστι, τὸ μὴ παντελῶς, (in quibusdam πάντως, in aliis πάντῃ) χρῆσθαι τοῖς γεγραμμένοις. Porrò lib. II. Rhet. c. I. *cupienti & benè speranti, ut persuadeatur quidpiam*, ait *utile esse, si ostendatur suave esse, quod futurum proponitur*, τῷ ἀπαθεῖ *autem & dubitanti contrarium evenire.* At alii legunt, ἀπειθεῖ, h.e. ei, *qui difficulter credit*, quales sunt senes, qui non facilè credunt ob experientiam. Cap. V. ostendit, quinam sint *metuendi*, nempe inter cæteros & οἱ τοῖς ἥττοσιν αὐτῶν ἐπιτιθέμενοι, *qui in inferiores ipsis impetum fecerunt*, cùm légendum sit κρείττοσιν, *in potentiores*, sicut & Vetus interpres legit. Eodem libro c. XIX. ait Philosophus: Ἡ αὐτὴ δύναμις τῶν ἐναντίων, ᾗ ἐναντία, *Eadem facultas est contrariorum, quatenus sunt contraria.* At in nonnullis libris legitur ἡ ἐναντία, quia efficiens causa contrariorum est quodammodò eadem, quodammodo contraria,

traria, quod placuit Mureto IIX. Var. Lect. c. VII. Tandem c. XXII. hæc leguntur: εἷς μὲν ἦν τόπος τῆς ἐκλογῆς καὶ πρῶτος οὗτος ὁ τοπικός. At in aliis exemplis cum Basiliensibus, tum Parisiensibus, pro τόπος, legitur, τρόπος, & quidem rectius procul dubio, ut ita se habeat genuina lectio, εἷς μὲν ἦν τ' ἐκλογῆς καὶ πρῶτος οὗτος ὁ τρόπος, *Unus igitur & primus hic seligendi modus est.*

L I I I. Sed & lib. de Poëticâ passim variantes lectiones occurrunt. Ut cap. II. ubi nonnulli sic legunt: ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τοὺς διθυράμβους καὶ τοὺς μίμους, ὡς πέργας καὶ κύκλωπας τιμόθεος καὶ φιλόξενος μιμήσαιτ' ἄν. Sed alii codices pro, μίμους, νόμους, habent; pro, πέργας, autem, πέρσας. Quæ lectio sine dubio est genuina. πέργας enim nihil est. Μίμους autem parùm quadrat. Si νόμους autem legas, & per eos cantilenas intelligas, νόμους dictas, de quibus nobis supra dictum est, omnia congruunt apprimè. Sensus enim inde hic emergit: *Timotheus ac Philoxenus, qui dithyrambis ac cantilenis, quas leges vocant, ad res eximias decantandas usi meliores imitari consueverunt, iisdem ad viliora quoque imitanda, veluti Persarum & Cyclopum mores, uti possent.* Deinde cap. IV. in editione Antonii Riccoboni hæc occurrunt verba: Εἰκὸς δ' εἶναι πολλοῦς. Sed quæ præcedunt, satis declarant, πολλὰ esse legendum, sicut & Paccius legit. De ποιήμασι enim sermo est. Eodem cap. IV. hæc in vulgatis editionibus leguntur: Ἐν τοῖς καὶ τὸ ἁρμόττον ἰαμβεῖον ἦλθε μέτρον, quæ Paccius ita transtulit: *Quibus insuper quod maximè congrueret, jambicum metrum accessit.* Ast alii magis appositè legunt: Ἐν οἷς κατὰ τὸ ἁρμόττον ἰαμβεῖον ἦλθε μέτρον, *in quibus maximè conveniens est jambicum carmen.* Nempe id præ aliis congruit convitiis, quod pes illi sit citus. Non multò post legisse videtur Paccius: Ἐγένοντο τῶν παλαιῶν οἱ μὲν ἡρωικῶν, οἱ δὲ ἰάμβων ποιηταί. Ita enim ille reddidit: *E veteribus aliqui heroici, aliqui Jambici Poëtæ extiterunt.* Sed

in reliquis codicibus additur conjunctio, καὶ, quam & Riccobonus aliiqve agnoverunt. Eodem capite cum porrò dicitur: οἱ δ' ἐφ' ἑκατέραν τὴν ποίησιν ὁρμῶντες, -- οἱ μὲν ἀντὶ τῶν ἰάμβων, -- οἱ δὲ ἀντὶ τῶν ἐπῶν, alii codices habent, ἰαμβικῶν & ἐποποιῶν, quòd apertius videtur. In iis autem, quæ non multò post vulgò sic leguntur: Γενομένης οὖν ἀπ' ἀρχῆς αὐτοσχεδιαστικῆς, καὶ αὐτή, καὶ ἡ κωμῳδία· καὶ ἡ μὲν ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὸν διθύραμβον· ἡ δὲ ἀπὸ τῶν τὰ φαλλικά, ἃ ἔτι καὶ νῦν ἐν πολλαῖς τῶν πόλεων διαμένει νομιζόμενα, κατὰ μικρὸν ηὐξήθη προαγόντων, ὅσον ἐγίγνετο φανερὸν αὐτῆς, plures occurrunt mendæ. Pro γενομένης enim ex aliis codicibus legendum est, γενομένη: pro, αὐτοσχεδιαστικῆς, αὐτοσχεδιαστική: pro ἐξαρχόντων, ἐξαρχόντων: pro φαλλικά, φαυλικά: pro νομιζόμενα, νομιζόμενον, ut hîc sit sensus: *Cùm à principio rudis esset atque illaborata tàm ipsa* (Tragœdia) *quàm comœdia, illa quidem ab iis, qui dithyrambum excolebant, hæc verò ab iis, qui poëmatibus de rebus vilibus & abjectis vacabant, cujusmodi multis adhuc in civitatibus extare arbitramur, paulatim augeri cœpit, producendo videlicet quicquid ipsarum erat manifestum.* Comœdiam enim pejorum imitationem esse & subsequente cap. V. docet. In sequ. cap. VI. Philosophus agens de eo, quod tertiũ in Tragœdiâ occupat locum, ita scribit: Τρίτον δὲ ἡ διάνοια· τοῦτο δέ ἐστι τὸ λέγειν δύνασθαι τὰ ἐνόντα, καὶ τὰ ἁρμόττοντα, sed rectè corrigunt hoc, qui pro, τὸ, legendum esse putant τῷ: pro δύνασθαι autem, δεικνύναι, ut hic sit sensus, διάνοιαν esse, cum oratione ea, quæ insunt, aut congrua sunt, ostenduntur. Quod enim hæc mens sit Aristotelis, colligere est ex iis, quæ, paucis interjectis, sequuntur, atque ita sonant: διάνοια δὲ, ἐν οἷς ἀποδεικνύουσί τι ὡς ἔστιν, ἢ ὡς οὐκ ἔστιν, ἢ καθόλου τι ἀποφαίνονται, *Sententia in his versatur, quæ quomodo aliquid est, vel non est, ostendunt, vel, ut uno dicam verbo, quid enuntiant.* Confirmat quoqve idem, quod postea cap. XIX. legitur, ubi ad διάνοιαν pertinere dicit τὸ ἀποδεικνύειν, καὶ λύειν,

καὶ

καὶ τὸ πάθη παρασκευάζειν, *oſtendere, ſolvere, affectui præparare.* Sed & in iis, quæ non multo poſt ſeqvuntur, videtur ſubeſſe mendum. Nempe in iis, quæ ita incipiunt: Ἦθος μὲν τὸ τοιοῦτον, &c. Uti enim vulgò leguntur, difficilem habent ſenſum. Genüina autem lectio videtur hæc eſſe: Ἦθος μὲν τὸ τοιοῦτον, ὃ δηλοῖ τὴν προαίρεσιν ὁποία τις. διόπερ οὐκ ἔχουσιν ἦθος ἔνιοι τῶν λόγων ἐν οἷς μηδόλως ἐστὶν ὃ τις ἢ προαιρεῖται, ἢ φεύγει ὁ λέγων, *Mos verò hujusmodi eſt, qui declarat electionem, qualis ſit. Quocirca non habent mores aliqui ſermones, nempe illi, in quibus nihil eſt, quod eligat aut fugiat is, qui ſermonem habet.* Quales verbi causâ ſunt exclamationes, ſimplices narrationes, & quæ ſunt alia id genus. Denique in iis, quæ cap. IX. vulgò ita exprimuntur: τὰ δὲ καθ' ἕκαστον, τί Ἀλκιβιάδης ἔπραξεν, dubium non eſt, quin legendum ſit, τὸ καθ' ἕκαστον. Plura hîc nolumus congerere, quæ apud alios legi poſſunt.

L I V. Nos interea progredimur ad libros *Ethicos & Politicos.* Nam & in illis variæ deprehenduntur lectiones, quæ obſcuritatem pariunt nõ parvam. E.g. lib.I.Ethic.c.I.(II.) poſtquam Philoſophus oſtendiſſet, dari quendam actionum humanarum finem, qui ſit ultimum inter ea, quæ ſunt homini, bona, duas porro quæſtiones proponit, nempe quid ſit ultimum illud bonorum, & cui ſcientiæ ſive facultati illud conſiderare propoſitum ſit immediatè. Et poſterius quidem hoc efferi his verbis, καὶ τίνος τῶν ἐπιστημῶν, ἢ δυνάμεων. Sic enim Euſtratius legit. At vetus interpres legit, ἢ ἀρετῶν, quæ lectio ad mentem Ariſtotelis non quadrat. Quanquam n. prudentia juxta Philoſophum ſit virtus quædam intellectus, nempe deliberativi, cum ſit optimus ejus habitus, ſcientia tamen, quæ eſt de prudentia, cujus eſt conſiderare ultimum iſtud bonorum, quæque ad intellectum ἐπιστημονικὸν pertinet, virtus propriè non eſt, cum ipſa non ſit optimus iſtius intellectus habitus, ſed ſapientia. Cap. II. (IV.) ait, eum, qui ge-

nuinus auditor eſſe vult diſciplinæ civilis, quæ eſt de rebus juſtis & honeſtis, oportere bonis moribus eſſe inſtructum. Rationem addit: ἀρχὴ γὰρ ὅτι, *principium* enim *in hâc diſciplinâ eſt*, *rem ita ſe habere*, v. gr. amandam eſſe mediocritatem, fugienda extrema. *Hæc autem benè educatus aut jam tum novit, aut ſine tergiverſatione monitus lubens amplectitur.* At in quibusdam libris veteribus non ἀρχὴ, ſed ἀρκεῖ, *ſatis eſt*, legitur, quod & Lambino magis placet, cui tamen vix aſſenſum præbere poſſumus, quod ſic Ariſtoteles videretur ταυτολογεῖν, cum mox addat, καὶ εἰ τοῦτο φαίνοιτο ἀρκούντως, οὐδὲν προσδεήσει τοῦ διότι. *Quod ſi hoc*, nempe quod ſit, *ſatis ſit perſpicuum, cur ſit non magnoperè deſiderabitur.* Cap. ult. ait, & *continentis* & *incontinentis* rationem laudari, licet in hoc pars aliqua animæ, appetitus ſcilicet, à ratione natura averſa ei repugnet ac reluctetur. Cauſam ſubjungit hanc: ὀρθῶς γὰρ, ſubintellige λόγος, καὶ ἐπὶ τὰ βέλτιστα παρακαλεῖ. Hanc enim ſcripturam contineri tùm in aliis codicibus manuſcriptis, tum verò in Colonenſi, teſtatur Lambinus, neq; dubium eſt eam eſſe optimam. Hoc enim vult ſignificare Philoſophus, & continentis & incontinentis rationem eſſe rectam, & ad optima facta hortari atqve excitare, quod veriſſimum eſſe non ſolùm de continente, ſed & incontinente, docet fuſius VII. Ethic. ubi oſtendit, quid interſit inter *intemperantem* & *incontinentem*, nempe *illius etiam intentionem ac mentem eſſe corruptam*, utpote cui perſvaſum ſit, turpes & immoderatas voluptates omni ſtudio eſſe perſequendas: at hujus rationem eſſe rectam, affectibus autem adeò turbari & ſuperari, ut ſecus agat atqve ratio monet ac præſcribit. Nihilominùs ſunt, qui aliter legant, & alii quidem ὀρθοὺς; alii, inter quos eſt Perionius, ὀρθῶς. Ita enim hic reddidit: *Invitat ratio benè ſanos ad juſtitiam.* Perperam omninò. Porrò II. Ethic. c. II. non multum ab initio hæc leguntur verba: Πρὸς τὰς ἄλλας ἀρετάς. At multi veteres codices ſimpli-

ſimpliciter habent, πρὸς τὰς ἀρετὰς, quod non ambigimus melius eſſe. Nomine τῶν ἀρετῶν enim hîc tantùm ἠθικαὶ intelliguntur. Rurſus paulò ante ὑπερκείσθω in nonnullis libris ponitur pro, ὑποκείσθω, quomodo & Græcus Scholiaſtes legit. Eodem capite dicit Ariſtoteles, *propter voluptates ac dolores vitioſos* in nobis naſci habitus, quod ut illas ſectamur, ita hos fugimus, ἀλλ᾽ οὐχ ὡς οὐ δεῖ, καὶ ὡς οὐδεῖ, καὶ ὅτι, ut legitur vulgò. At vetus interpres legit, ἀλλ᾽ οὐχ ὡς οὐ δεῖ, καὶ ὅτε οὐ δεῖ, & quidem rectius judicio noſtro. Sub finem ejusdem capitis ait, *omne ſtudium virtutis & Politicæ* verſari *in voluptatibus ac doloribus moderandis*, idq́; his exprimit verbis: περὶ ἡδονὰς καὶ λύπας πᾶσα πραγματεία· καὶ τῇ ἀρετῇ καὶ τῇ πολιτικῇ. Sic enim vetus translatio & emendatiores libri omnes habent. At alii legunt καὶ τῇ ἠθικῇ καὶ τῇ πολιτικῇ: minus benè. Ἠθικὴν enim πραγματείαν Ariſtoteles à Politicâ diſtinguere non ſolet, ſed pro parte Politices habet. Undè & ſæpius eam πολιτικὴν πραγματείαν appellat, velut lib. I. M.M. cap. I. Ulterius cap. VI. inter cætera ſcribit, quod in *affectibus ex ſe malis*, velut ſunt impudentia, invidia, &c. atque *in actionibus iſtiusmodi*, quales ſunt furtum, adulterium, &c. nunquam *rectè* quid fiat, ſed *ſemper peccetur*, indeqve in talibus *vis rectè* aut *non rectè faciendi*, non ſit poſita ἐν τῷ ᾗ δεῖ, καὶ ὅτε, καὶ ὡς μοιχεύειν, *quatenus, & quando, & quo tempore adulterium facere oporteat*, ut habetur in quibusdam exemplaribus. At in aliis pro ᾗ legitur ἣν, quam adulterare oporteat, quod ſine controverſiâ eſt melius. Ibidem medium, inqvit, εἶναί πως ἄκρον, *eſſe quodammodo extremum*. Si enim natura ejus ſpectetur, eſt medium ſive mediocritas, ſi præſtantiam & perfectionem, & ſummum, ut paulò antè explicaverat. At alii ſic vertunt: *Medium eſt quodammodo extremorum*, ſecuti codicem depravatum, in quo ſcriptum fuerat, ἄκρων. Lib. III. Ethic. c. I. differit de difficultatibus, quæ ſæpenumero occurrunt in *actionibus mixtis*,

εῖ, atqve inde naſcuntur, quod non appareat, quænam ſint ſubeunda aut eligenda, cùm aliò vocet honeſtas, aliò utilitas, alio turpitudo, aliò damna. Ea enim ferè, quæ exſpectantur, eſſe moleſta, ea autem, ad quæ vi impelluntur homines, eſſe turpia. Et poſterius quidem hoc hiſce proponit verbis: ὡς γὰρ ἐπὶ τὸ πολὺ ἐστὶ τὰ μὲν προσδοκώμενα, λυπηρά, τὰ δὲ ἀναγκαζόμενα, αἰσχρά, ſic enim habent codices manuſcripti, ad quos provocat Adrianus Turnebus. Vetus Interpres autem videtur legiſſe, ἃ δὲ ἀναγκάζονται, Argyropylus deniqve εἰς ἃ ἀναγκάζονται, *ad quæ impelluntur*: quarum lectionum una eademque mens eſt, & quidem ſententiæ Ariſtotelis ſatis congruens. At vulgata lectio eſt, τὰ ἀναγκάζοντα, qvam mendoſam eſſe qvivis facilè videt. Duo enim hic ſub conſiderationem veniunt, videlicet ea, quæ facere cogimur à potentiore, & per quæ cogimur. Quæ cogimur, ſunt ἀναγκαζόμενα, eaqve ferè turpitudinem continent, ut ſi quis tyrannus jubeat amicum, aut parentes, vel patriam, aut fidem prodere, aut ſaltem in foro morionem agere. Per quæ autem cogimur, ea ſunt moleſta & aſpera, velut ſi non facienti, quod mandatum eſt, à tyranno præſcriptio bonorum, ſervitus, cruciatus, mors denique ipſa intentetur. Et hæc dicuntur προσδοκώμενα. Poſſunt vero eadem & τὰ ἀναγκάζοντα dici: cogunt namqve nos ad turpitudinem. Sunt ergò idem τὰ προσδοκώμενα & τὰ ἀναγκάζοντα, quæ tamen duo eſſe oporteret, ſi vulgata lectio eſſet genuina. Adhæc lib VI. cap. V. (II.) docet, quod *ſumptus, quem facit magnanimus, magnus dicatur habitâ ratione ejus, à quo fit, & rei, in quâ fit. Major enim ſumptus faciendus eſt trierarcho & Archiatro*, nempe talis, qui ſit decorus πρὸς αὐτὸν καὶ ἐν ᾧ, καὶ ἅ, & *ratione perſonæ, & loci, ac temporis, & rerum*, ſicut Perionius, Gruchius & Lambinus reddunt, ſub iſtis ἐν ᾧ, rationem loci & temporis intelligentes. At Græcus Scholiaſtes, Aſpaſius, legit περὶ ὅ, & hæc

duo

duo ἐν ᾧ καὶ περὶ ὃ ἐπ' ἀλλήλων, id est *pro eadem re dicta esse* ait, quod non displicet. Nam & paulò post hæc duo περὶ ὃ & ἐν οἷς permutantur, sive pro iisdem ponuntur. lib.v.c.IIX.(v.) hæc habentur: Διὸ πάντα σύμβολα τὰ δεῖ πως εἶναι, ὧν ἐστιν ἀλλαγή, ἐφ' ὃ τὸ νόμισμ' ἐλήλυθε. καὶ γίνεταί πως μέσον. At in aliis libris pro, ἐφ' ὃ, legitur ἐφ' ᾧ, & pro μέσον, μέτρον, ut hic sit sensus loci: *Quamobrem oportet omnia, quorũ permutatio est, quodammodo esse comparabilia, cujus rei causâ nummus in usum venit, qui quodammodo mensura efficitur omnium rerum.* lib.VI.c.III.dicit, *omnem doctrinã aut inductione, aut syllogismo comparari,* & addit, ἡ μὲν δὴ ἐπαγωγὴ ἀρχή ἐστι, καὶ τοῦ καθόλου. Sic enim vulgata lectio habet. Argiropylus autem conjunctionem καὶ omitit. Alii verò pro, ἀρχή, legunt, ἀρχῆς. Porrò cum c.V. *prudentiam* docet, *non esse artem*, addit rationem, ὅτι ἄλλο τὸ γένος πράξεως καὶ ποιήσεως. Sic enim legendum est ex veteribus libris. At alii habent pro, γένος, τὸ τέλος. Ibidem ostendens, quale discrimen intercedat actioni & effectioni, id his verbis exprimit: Τῆς μὲν γὰρ ποιήσεως ἕτερον τὸ τέλος, τῆς δὲ πράξεως οὐκ ἀεί, ut habent plurimi codices; at nonnulli, quos secuti sunt Aretinus & Perionius, aliter habent, nempe, οὐκ ἂν εἴη, quod melius est: effectionis enim semper alius est finis. Lib.V.cap.VII.(VIII) Aretinus verba aliqua Aristotelis ita transtulit: *Non enim si quis vehementibus excessivisq; voluptatibus aut doloribus superatur, mirandum est, sed venia danda est, si contra nitens ceu Theodecti Philoctetes à serpente percussus, vel Carini malo Cercion.* Ubi librarii vitio *carini* positum videtur pro *carcini*. Καρκῖνος autem Græcis dicitur cancer morbus, teste Suidâ & Hesychio. Inveniturq; hoc sensu vox apud Alexandrum Aphrodisæum quoq; I. Probl. quæst. CXII. & Galenum lib. de tumoribus præter naturam. Sed tamen & hoc malè. *Cercyon* enim cancri malo haud legitur infestatus. Et constans est reliquorum interpretum sententia,

tia, Καρκίνῳ hoc loco non appellativum esse, sed proprium, um, eoque designari quendam hujus nominis Poëtam. Sic enim Andronicus Rhodius in Paraphrasi sua: Ἢ ὃν εἰσάγει Καρκῖνος ὁ Ποιητὴς Κερκύονα ἐπὶ τῇ ὕβρει τῆς θυγατρὸς Ἀλόπης καρτεροῦντα μέχρι τινὸς, εἶτα ἡττηθέντα τῆς ἀλγηδόνος, *Aut ille, qui à Carcyno Poëta introducitur Cercyon, qui in filiæ suæ Alopes aliquandiu tacet contumeliâ, post tantum à dolore superatur.* Scilicet erat hic notorius latro apud Eleusinem, Atticæ civitatem, & filiam habebat, nomine Alopen, quæ à Neptuno fuerat vitiata. Quod cum Pater audivisset, tanto dolore fuit correptus, ut vitam sibi acerbissimam putaret, eamque protinus cuperet abruptam, quemadmodum refert Aspasius in comm.

LV. In *Politicis*, ne plura ex Ethicis comportemus, nobis primum occurrit locus ex lib. I. cap. III. ubi statim in principio *de domo* sibi agendum esse dicit, περὶ οἰκίας, pro quo alii legunt, περὶ οἰκονομίας. Sed hoc iterum leve est. Cap. V. dicit, *in iis omnibus, quæ ex pluribus constant, & unum quiddam commune fiunt, sive ex continuis, sive disjunctis, aliqvid apparere, qvod imperet; aliquid, quod imperio sit subjectum, atq; hoc ex omni naturâ maximè inesse* τοῖς ἐμψύχοις. Sic enim legendum esse ex serie totius textus manifestum est. At in aliis codicibus malè legitur τοῖς ἀψύχοις. Cap. VI. eruditè ac copiosè disputat de origine servitutis, & ostendit veræ servitutis causam in natura esse positam, eosque propriè servos esse, *qui cum ingenio planè hebeti ac stolido sint, valido tamen ac robusto corpore præditi sunt*, ut licet ipsi quid agendum sit, perspicere non possint, apti tamen sint, qui imperio pareant aliorum. Eos autem, qui *bello capti*, aut *alio modo in servitutem redacti sunt, si liberali sint ingenio, fortunâ* quidem & *conditione* servos esse, ast liberos *naturâ*. Hæc cum prolixius disputasset, tandem concludit: ὅτι μὲν οὖν ἔχει τινὰ λόγον ἡ ἀμφισβήτησις καὶ οὐκ εἰσὶν οἱ μὲν φύσει δοῦλοι, οἱ δὲ ἐλεύθεροι, δῆλον, quæ verba

sic

ſic reddit Petrus Victorius: *Continere igitur in ſe rationem quandam hanc controverſiam, & non eſſe hos quidem naturâ ſervos, hos autem liberos, planum eſt.* Qui verborum ſenſus nullo modo probari poteſt. Ariſtoteles enim in antecedentibus ex profeſſo contrarium docere fuerat conatus, nempe eſſe quosdam naturâ ſervos, quosdam naturâ liberos. In aliis itaque ſic legitur: Καὶ εἰσὶν οἱ μὲν φύσει δοῦλοι, οἱ δὲ ἐλεύθεροι, *Sunt alii naturâ ſervi, alii liberi.* Sed ne hoc quidem ad mentem Ariſtotelis quadrat. Utrumque enim docuerat, quosdam naturâ, quosdam præter naturam, & ſervos & liberos eſſe. Alii ergò ita ſcriptum habent: καὶ εἰσὶ καὶ οὐκ εἰσὶν οἱ μὲν φύσει δοῦλοι, οἱ δ' ἐλεύθεροι, *Et ſunt, & non ſunt alii quidem naturâ ſervi, alii autem liberi.* Quæ lectio ſine dubio optima eſt, quam nobis ex aliquibus codicibus reſtituit Muretus XIV. var. Lect. c. XII. Porrò lib. II. Polit. c. ult. pro, ναυαρχίας, quidam legunt ναυμαχίας, quarum vocum illa ſignificat *præfecturam in re navali*; hæc *prælium navale*, quod ſic ad Salamina commiſſum erat ab Athenienſibus, ut virtus populi eluceret. Eodem capite mentionem facit legis *Pittaci*, quâ ſtatuerat duplici pœnâ afficiendum eſſe, qui per *ebrietatem* deliquiſſet. Id autem facit his verbis: Ἐγένετο δὲ καὶ Πίτακος νόμων δημιουργὸς, ἀλλ' οὐ πολιτείας· νόμος δ' ἴδιος αὐτοῦ τὸ τοὺς μεθύοντας ἄν ΤΥΠΤΗ΄ΣΩΣΙ, πλείω ζημίαν ἀποτίνειν τῶν νηφόντων, *Fuit & Pittacus legum quidem opifex, ſed non Reip. adminiſtrandæ. Lex verò ejus propria eſt, ut ſi quem ebrii pulſarint, graviores pœnas dent, quàm ſi ſicci pulſarint.* At non in hoc ſolùm delicti genere hanc pœnam conſtituerat *Pittacus*, ſed & in aliis quoqve peccatis, ſicuti & Ariſtoteles ipſe alibi, nempe in II. Rhet. univerſaliter refert majores pœnas ſtatui ſſe, ἐάν τις μεθύων ἁμαρτάνοι. Nec aliter *Plutarchus* in Convivio ſeptem ſapientum, legem iſtam Pittaci ita referens: Ἐάν τις ὁτιοῦν μεθύων ἁμάρτῃ, διπλασίαν ἢ τῷ νήφοντι τὴν ζημίαν, *Si quis, ebrius, deliquerit, altera tanta, ac ſi ſolus deliquiſſet, pœna eſto.* Laertius

tius quoqve in vitâ Pittaci, quod insula Lesbos esset vini ferax, Pittacum legem scripsisse ait, τῷ μεθύοντι, ἐὰν ἁμάρτῃ, διπλῆν εἶναι τὴν ζημίαν, *eum, qui per ebrietatem deliquisset, duplici pœnâ affici debere.* Ideò dubium non est, quin locus ille ex II. Polit: sit depravatus, atq; ibi, ubi legitur ἂν τυπήσωσι, legendum sit, ἂν πταίσωσι, *si quid deliquissent*, sicut & in scripto aliquo codice legi testatur Camerarius in explic. ad istum locum. Deniq; lib. VII. Polit. perstringens errorem quorundam, *felicitatis* causam non in *virtute*, sed *opibus*, aliisque bonis *externis*, qværendam esse censentiū, ridicule eos facere dicit, non secꝰ, ac si quis causam ejus, quod Musicus benè canit, non in artem, sed lyram referret. Effert autem id his verbis: Διὸ καὶ νομίζουσιν ἄνθρωποι τῆς εὐδαιμονίας αἴτια τὰ ἐκτὸς εἶναι τῶν ἀγαθῶν· ὥσπερ εἰ τοῦ κιθαρίζειν λαμπρὸν καὶ καλῶς αἴτιον τὴν λύραν μᾶλλον τῆς τέχνης, ubi omninò legendum videtur, εἴ τις τοῦ κιθαρίζειν, adeoqve, τις, esse omissum: neq; λαμπρὸν καὶ καλῶς, sed λάμπρον καλῶς, ut sensus sit, si Lamprus benè canat, quasi diceret, si Lamprus bene caneret, ridiculum fore, si quis id non artificio ipsius, sed lyræ tribuere vellet. Fuit enim aliqvis hujus nominis Musicus, cujus mentio etiam apud Platonem est in Menexeno, ubi Socrates facilè esse dicit *Athenis Athenienses laudare, non ei solùm, qui præstantes magistros nactus sit, quales ipse habuerat, in Rhetoricis quidem Aspasiam, celeberrimam illam fœminam: in Musicis verò Connum, Metrobii filium: sed ei etiam, qui minus bonos, ut Musices Lamprum, Rhetorices Antiphontem.* Meminit qvoqve ejus Athenæus lib. II: *Fuit*, inquit, *& abstemius Lamprus Musicus, de quo Phrynichus ait, eo mortuo Gavias, garrulas & clamosas aves, in aquis semper degentes luxisse: vir aqua potor, excellens artifex lugubris & queruli cantus, Musarum sceletos* (aridum cadaver) *lusciniarum febris occulta, & lento calore absumens*, ἠπίαλος, *& Plutonis sive inferorum hymnus.* Plura ex Politicis non addimus, ne liber nimis excrescat.

LVI. Non

LVI. Non minor verò lectionum varietas etiam in *Physicis* deprehenditur, ex quibus unum atq; alterum locum iis, quæ ex aliis scriptis hactenus adducta sunt, adnectere placet. Initio II. Phys. II. t. XIII. ita legitur juxta veterem translationem Latinam, εἰ δ' ἄρα τοῦτο τέχνη. At *Philoponus* & alii veteres interpretes vocem τέχνη non agnoscunt. cap. II. text. XXVI. in nonnullis codicibus hæc habentur: ἄνθρωπος γὰρ γεννᾷ καὶ ἥλιος, *Sol & homo generant hominem.* At in aliis additur, ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ ἐξ ὕλης καὶ ὕλεος. *Accorambonus* in annot. ad ist. loc. ait, in antiquissimo aliquo codice se reperisse scriptum non ἥλιος, sed ἐν ὕλῃ εἶδος, *homo generat hominem, formam in materia.* Quam lectionem sententiæ *Aristotelis* esse accommodatissimam, dubitari non potest. Intendit namq; isto loco ostendere, quod Physica consideret formam in materiâ, qvod generationes naturales proveniant à formâ materiæ, immersâ, non à formâ abstracta, quæ erat sententia Platonis. *Homo namq;,* ait, *hominem generat, cum sit forma in materia, non abstracta, seu idealis.* Utitur autem & aliàs hoc loquendi genere passim, velut in I. de gen. & corr. II. dicens: Νῦν δὲ τὴν ὡς ἐν ὕλης εἴδη τιθέμενοι αἰτίαν εἴπωμεν. Et rursus ibidem: *Unaquaque talium partium est duplex, ut aliorum τῶν ἐν ὕλῃ εἶδος ἐχόντων.* Deniq; & lib. I. Met. IV. ubi *plurimos antiquorum* ait arbitratos esse, τὰ ἐν ὕλῃ εἴδη *solùm esse principia.* lib. III. Phys. c. I. text. III. *Porphyrius* sic legit: Ἔστι δὲ τι τὸ μὲν ἐντελέχεια μόνον, τὸ δὲ δυνάμει καὶ ἐντελεχείᾳ. At alii ita: τὸ δὲ δυνάμει, καὶ ἐντελεχείᾳ. *Themistius* adhuc aliter, nempe hoc modo: τὸ δὲ δυνάμει καὶ ἐντελεχείᾳ καὶ τῶν ἐντελεχείᾳ τὸ μὲν, τόδε τι. τὸ δὲ ποσόν τι, &c. Eodem capite t. VI. vulgò ita legitur: ἡ τοῦ δυνάμει ὄντος ἐντελέχεια, ᾗ τοιοῦτον, κίνησίς ἐστιν. Ast *Aspasius* & *Themistius* sic legunt: ἡ δὲ τοῦ δυνάμει ὄντος, ὅταν ἐντελεχείᾳ ὂν, ἐνεργῇ, οὐχ ᾗ αὐτὸ, ἀλλ' ᾗ κινητὸν, κίνησις, *potentia verò existentis, cum actu existens operatur, non quatenus ipsum,*

sed quatenus mobile, est motus. lib.IV.cap.xiv.t.89. vulgò sic legitur: τὸ δὲ νῦν ἐ μέρ☉. μετρεῖ τι (*Alexander* legit μετρεῖ), ut est apud *Simplicium.*) γὸ τ' μέρ☉, καὶ συγκεῖαζ δεῖ τ' ὅλον ἐκ τ̃ μερῶν. ὁ δὲ χρόν☉ ἐ δοκεῖ συγκεῖαζ ἐκ τ̃ νῦν. At alii sic: μετρεῖ τι γὰρ τ' μέρ☉, ὁ δὲ νῦν ἐ μετρεῖ, καὶ συγκεῖαζ δεῖ τὸ ὅλον ἐκ τῶν μερῶν, *metitur enim pars, nunc vero non metitur, & debet constare totum ex partibus*, quæ lectio & Accorambono placet. Cap. XVII. t. 107. itidem duplex invenitur lectio, & altera quidem ita habet: ἡ μὲν ἐν πέρας τ' νῦν ἐ χρόν☉, ἀλλὰ συμβέβηκεν. Altera autem pro, ἐ χρόν☉, habet, ἐχ ἀριθμός. Lib. II. Histor. anim. cap. XXII. *omnia, quæ canes rabiosi momorderint, animalia rabie & ipsa corripi dicit, rabieq, interire, homine* excepto. Qvod tamen, si absolutè intelligatur, falsum esse docet experientia quotidiana. Quin Aretæus lib. I. Med. rerum cap. VII. observat, etiam *spiritum à rabido cane in faciem adductum & inspiratum hominem in rabiem agere, etiamsi haud momorderit.* Jam quidem apud Aristotelem in Græco textu est, πλὼ ἀνθρώπε, quod Gaza eo, ut dixi, modo reddidit, videlicet homine excepto. Ast videtur omninò pro, πλωὶ ἀνθρώπε legendum esse πρὶν ἀνθρώπε, prius quàm homo; aut πλεῖν ἀνθρώπε, plus quam homo. Vox enim πλεῖν Atticè pro, πλέον, interdum usurpatur. Veluti apud Aristophanem in Nubibus in his verbis: τὸτο πλεῖν ἢ μυρίων ἐς' ἄξιον ςατήρων, *plus mille stateribus est dignum.* Item in Pluto, ubi hæc occurrunt: ἀπὸ πατήσομεν πλεῖν ἢ μύριοι, *calcaturi plus decies mille.* Porrò & in Avibus. Ita enim illic Aristophanes: *Hoc me cornici persvasum miserum*, ὁδὲ ἐξελθεῖν ςάδια πλεῖν ἢ χίλια, *viam transire stadia, plus quàm mille:* Ad quæ verba ita vetus Scholiastes Græcus: Ἀττικῇ ἡ κρᾶσις Ẽ πλέον, πλεῖν. Unde hic sensus esset verborum Aristotelis, *cuncta reliqua animalia morsu à rabido cane petita facilius rabie inflammari, ac perire, quàm hominem.* Quod quidem hacte-

hactenus verissimum est. Canum enim temperamentum siccius, quod & Aëtius advertit. Homo autem cæteris animalibus humidior est, quod & in Problematibus observavit ipse Philosophus, videlicet sect. IV. problem. VI. Porrò lib. IX. c. III. postquam de *ovibus & stoliditate* earum verba fecisset, easque *hyeme ingruente non procedere* dixisset, *nisi Pastores arietes procedere cogerent*, subdit de capris seqventia: Τῶν δὲ αἰγῶν ὅταν τις μιᾶς λάβηται τὸ μάκρον τοῦ ἠρύγγου (ἔστι δὲ οἷον θρὶξ) αἱ ἄλλαι ἑστᾶσιν ὥσπερ μεμωραμέναι καὶ βλέπουσιν εἰς ἐκείνην. *Caprarum verò si quis unam apprehenderit eryngo sive arunco (est autem tanquam capillus) cæterâ stant velut stupefacta suos in unam illam oculos injicientes.* Ast aliqui hic pro ἠρύγγου legerunt ἠρηγγίου, quæ vox *cardui* quandam speciem designat. Unde nata est fabula illa, cujus & Plutarchus meminit libro, quod cum principibus viris, maximè Philosopho, sit disputandum, sic eam describens: *Eryngium herbam ajunt si una capella in os sumat, ipsam primùm, mox totum gregem subsistere, donec accedens Pastor ovi eam eximat.* Quibus gemina habet Nicandri Scholiastes, cujus verba, alioqui manca, ex restitutione quorundam, ita habent: Ἐὰν ἀγέλη τῶν αἰγῶν διαπορευομένων, ἠρύγγιον εἷς λάβῃ καὶ αὐτὸς ἵσταται καὶ οἱ ἐπακολουθοῦντες, *Si ex caprarum grege una campo, in quo eryngium nascitur, transeunte, degustavit, ipsa totusq; grex subsistit.* Porrò eodem libro nono Historiæ c. XL. in impressis nonnullis codicibus hæc occurrunt: Αἱ δὲ μικραὶ τά τε κηρία ποιοῦσιν ἀνώμαλα. Ast alii habent μακραὶ, ut sensus sit: *Longiores apes favos efficiunt inæquales.* Quæ lectio sine dubio genuina est. Dixerat enim ipse in præcedentibus disertè, quod optimæ apes sint parvæ, rotundæ & variæ: aliæ verò longæ, crabronibus similes. Et hæ ipsæ sunt, quæ *favos* efficiunt *inæquales*, pro quo in sequentibus, de hoc ipso apum genere loquens, ait, quod fingat τραχέα τὰ κηρία, *asperos favos.* De frugi autem apum

gene-

genere contra memorat, quod τὰ κηρία ὁμαλά, *aequabiles* conficiat *favos*. Denique I. de Gen. Anim. c. XIIX. semen *Philosophus* dicit esse χρησίμου περίττωμα καὶ μέρος, *residuum adeoque partem utilis alimenti*. Sic enim habent emendatiores codices. At Galenus & Gaza legerunt περιττώματος, quasi semen sit pars aliqua residui utilis. Cap. ult. vulgò ita legitur: *τὸ μὲν κύημά ἐστι, καὶ ἐκ τινος αὐτοῦ γίγνεται τὸ ζῶον, τὸ δὲ λοιπὸν, τροφὴ τοῦ σπέρματος, καὶ ἐκ μέρους γίγνεται τὸ φυόμενον*, At antiquus codex sic habet: *καὶ ἐκ τινος αὐτοῦ γίγνεται τὸ ζῶον καὶ ἐκ μέρους τοῦ σπέρματος γίγνεται τὸ φυόμενον*, *ovum enim foetus est. & ex aliquo ipsius fit animal, & ex parte seminis fit planta*. Sed satis hâc de re.

LVII. Id interim hic omittendum non est, occurrere aliquando lectiones in *Aristotele* è diametro sibi adversas, veluti lib. de Interpret. cap. ult. Cum enim quartum explicat argumentum, quo probare nititur, contrarias esse opiniones, quae idem de eodem affirmant & negant, de hac enunciatione: *Non bonum non est malum*, dicit, ἀληθὴς γὰρ αὕτη, siquidem haec vera est, ut in Vulgato codice legitur. At *Alexander* legit οὐκ ἀληθὴς γὰρ αὕτη, non enim haec vera est, teste *Ammonio* in *Comm.* Similis reperitur locus l. I. *Rhet.* cap. I, ubi Philosophus dicit enthymematum alia esse *Rhetoricae convenientia*, alia *artium caeterarum*, partim extantium, partim nondum inventarum, quae cum propiùs, quam par est, Oratores attingunt, dicit imprudentes discedere ab officio suo. Ibi enim aliqva exempla habent λεληθότως μεταβαίνουσιν: quaedam autem ex adverso, οὐ λεληθότως, sicut observat *Antonius Riccobonus* in Comm. Praeterea II. Rhet. cap. IX. *Philosophus* docens, qui ad indignationem sint propensi, secundo loco inter illos numerat, qui cum boni gravesque viri sint, ea non conseqvuntur, quibus digni sunt. Legendum enim est οὐ τυγχάνουσι: at in vulgato codice habetur, τυγχάνουσιν. Et subseq. cap. X. cum in nonnullis libris legatur:

gatur: ὡς χῶμη ἔχοντες λυπῶν) ; at alii legunt ἔχοντες hoc sensu, quomodo affecti dolent alienis bonis, eodem modo affecti gaudebunt contrariis. His addatur locus ex V. *Ethic.* VIII, ubi vulgo sic legitur: εἰς σχῆμα ἢ ἀναλογίας, ἐ δεῖ ἄγειν, ὅταν ἀλλάξων). At in aliis emendatioribus libris legitur absque negatione, εἰς σχῆμα δὲ ἀναλογίας δεῖ ἄγειν, *Oportet* autem *in signum analogias ducere*, hoc est, comparare inter se artifices & eorum opera, *antequam permutant*, quam lectionem seqvitur & Græcus Scholiastes, estq; sine dubio legitima. Nec reticendus est & alius ex VI. *Ethic.* locus & quidem ex cap. V. ubi hæc reperiuntur: ἀλλὰ μλὼ τέχνης μὲν ἔστιν ἀρετή· Φρονήσεως ἢ οὐκ ἔστι. Alii verò malunt sic legere: τέχνης μὲν οὐκ ἔστιν ἀρετή. Φρονήσεως δὲ, prorsus contra mentem *Aristotelis*, qui passim arti tribuit virtutem, per eam nihil aliud, quàm excellentiam artis intelligens, prudentiæ autem non esse virtutem ait, cum ipsa sit virtus, quod & Auctor habet *libb. Magn. Mor.* lib. I. scilicet cap. xxxx. Ad extremũ sequente cap. *VII.* de sapientia disputans ait, quod sit νοῦς ἢ ἐπιστήμη, καὶ ὥσπερ κεφαλὴν ἔχουσα ἐπιστήμη, ut legit Victorius, quasi sapientia mentem habeat, tanquam caput. At Eustratius, & quidem rectius nostro judicio, ὥσπερ κεφαλὴ ἔχουσα, *capitis locum habens*, i.e. caput ac princeps omnium scientiarum, quale quid de Sapiẽtia dicitur & alibi videl. I. Post. c. IX. & 1. Met. c. II.

LIIX. Hæc una est obscuritatis causa, cui ut remedium paretur, oportet universa exemplaria Græca inter se comparare, & ex iis varias lectiones annotare, & quæ lectio magis sit genuina, discutere; quà in re laudabilem præstitit operam Fridericus Sylburgius, nec non Isaacus Casaubonus, qui in sua, quam curavit, *Aristotelis* editione passim varias lectiões in margine apposuit, quod in sua editione fecit & Guilielmus du-Vallio, sed posset accessio fieri non pœnitenda. Inprimis si in subsidium vocarentur antiqviores Aristotelis interpretes, *Alexander, Themistius, Ammonius, Philoponus, Simplicius*, alii-

que, qui varias lectiones in ſuis, quos in Ariſtotelem edide-
runt, commentariis & ſtudiosè annotarunt, & aliquot pro-
poſitis argumentis ac conjecturis, quæ lectio verior & genui-
na magis appareret, oſtenderunt. Utinam verò usque ad il-
lorum tempora Bibliotheca *Ariſtotelis*, quam à Neleo Scepſeo
mercatam *Ptolemæum* Philadelphum in Alexandriam trans-
tuliſſe diximus ſupra, perveniſſet. Quanquam enim multi exi-
ſtiment, à Bibliotheca iſtâ ſeparatos fuiſſe illos libros, qui *Ari-
ſtotelem* ipſum agnoverunt auctorem, verba tamẽ *Athenæi* con-
trarium confirmare videntur, quæ integra huc apponere non
gravabimur. Sic verò ille lib. I. de Larenſio loquens: ἦν δέ φησι,
καὶ βιβλίων κτῆσις αὐτῷ ἀρχαίων, ἑλληνικῶν τε, τοσαύτη, ὡς ὑπερβάλ-
λειν πάντας, τοὺς ἐπὶ συναγωγῇ τεθαυμασμένους, Πολυκράτη τε τὸν Σά-
μιον, καὶ Πισίστρατον τὸν Ἀθηναίων τυραννήσαντα, Εὐκλείδην τε τὸν
καὶ αὐτὸν Ἀθηναῖον, καὶ Νικοκράτη τὸν Κύπριον, ἔτι δὲ τοὺς Περγάμου
βασιλέας, Εὐριπίδην τε τὸν ποιητὴν, Ἀριστοτέλη τε τὸν φιλόσοφον, καὶ τὸν
τὰ τούτων διατηρήσαντα βιβλία Νηλέα, παρ' οὗ ΠΑΝΤΑ φησὶ πριά-
μενος ὁ ἡμεδαπὸς βασιλεὺς Πτολεμαῖος Φιλάδελφος δὲ ἐπίκλην,
μετὰ τῶν Ἀθήνηθεν, τῶν καὶ ἀπὸ Ῥόδου, εἰς τὴν καλὴν Ἀλεξάνδρειαν, μετή-
γαγε. *Erat*, ait, *illi librorum antiquorum, Græcorumq́; acquiſi-
ta copia tanta, ut ſuperaret, quotcunque propter eorum congrega-
tionem ſunt in admiratione habiti, Polycratem Samium, Piſi-
ſtratum, qui Athenienſium tyrannus fuit, Euclidem, & ipſum A-
thenienſem, Nicocratem Cyprium, Euripidem Poëtam, & Ariſto-
telem Philoſophum, Neleumque, qui horum libros aſſervavit. A
quo fertur noſter Rex Ptolemæus, Philadelphus cognomine, omnes
emiſſe, ſimulq́; cum iis, quos ex Athenis Rhodoq́; coëmerat, in pul-
chram Alexandriam tranſtuliſſe.* Neque verò hæc adverſan-
tur iis, quæ ſuprà retulimus ex *Strabone*. Facilè enim conci-
liari poſſunt, ſi dicamus *Neleum* duo ſcriptorum *Ariſtotelico-
rum* exempla in bibliotheca ſua habuiſſe, vel transſcribenda
ea curâſſe, & alterum quidem magno pretio *Ptolomæo* ven-
didiſſe

didisse alterum autem sibi servasse, & hæredibus posteà reliquisse. Verùm bibliotheca illa in *Alexandriam* à *Ptolemæo* transportata usque ad eorum, quos paulò antè nominavimus, Interpretum ætatem non superfuit. Primus enim illorum *Alexander* est, qui vixit sub *Antonino*, Seculo III. à Christo nato, ceu patet ex principio libri ejus de fato, ubi dicit se doctorem Philosophiæ, ab *Antonino* & *Severo*, Athenis constitutum. At bibliotheca illa Alexandrina conflagrata fuit, quando C. Julius Cæsar Alexandriam cepit, quod refert inter alios quoque Ammianus Marcellinus lib. XXII. his verbis: *Inter templa* (Alexandriæ) *eminet Serapeum, in quo Bibliotheca fuerunt inæstimabiles: & loquitur monumentorum veterum concinens fides, septingenta voluminum millia Ptolemæis regibus vigiliis intentis composita, bello Alexandrino, dum diripitur civitas, sub Dictatore Cæsare conflagrasse.* Idem testatur A. Gellius lib. VI. cap. XVII. Postquam enim retulisset, numerum librorum in Bibliotheca Alexandrina à Ptolemæis Regibus ad millia ferè voluminum septingenta adauctum fuisse, subjungit: *Sed ea omnia bello priore Alexandrino, dum diripitur ea civitas, non spontè, neque operâ consultâ, sed à militibus fortè auxiliariis incensa.* Hæc ille. Quanquam non fugiat nos, alios quadringenta mille tantùm libros nominare, qui arserint bello isto Alexandrino, quod Cæsar Dictator gessit, inter quos est & *Seneca* Lib. de *tranquillitate animæ* c. IX. & *Orosius* lib. VI. Ex quo nonnulli concludunt, non universam illam bibliothecam conflagrasse: quod tamen iis, quæ ex *Ammiano* & *Gellio* modo adduximus, apertè repugnat.

LIX. Ex Alexandrina itaque illa Bibliotheca cum nihil ad dijudicandum, quænam sint veræ & genuinæ in Aristotele lectiones, exspectãdum sit subsidii, ex veteribus, quos laudavimus, interpretibus damnũ, quoad licet, est resarciẽdum, maximè ex iis, qui proximè accedunt ad *Andronici Rhodij* tempora,

 quem

quem certum est, multum impendisse operæ, quo Aristotelis libros, Athenis à Sylla Romam translatos, pristino nitori restitueret, adeò, ut *exactum eum diligentem librorumq́; hujus Philosophi & judicem & repertorem antiquitas judicârit*, sicut ait *Boëthius* in procem. lib. de Interpret. Hoc tamen non impedit, quo minus aliquando liceat ab eâ, pace quoque ipsorum, quam secuti sunt, lectione abire & aliam substituere, nempe, si ex textus serie nimis evidens sit, aliter esse legendum, eamqve lectionem menti Aristotelis consentaneam esse ex aliis locis probari possit. Plus enim vident oculi, quàm oculus. Et si aliquando Veteribus integrum fuit in construendis verbis *Aristotelis*, ratione ita urgente, ab *Andronico* recedere, cur ô idem etiam nunc viris doctis & in *Aristotele* cumprimis optimè versatis facere liceret? modo sine ratione tale quid sibi non arrogent: præsertim cū non integros omnes, quos illi in *Aristotelem* scripserunt, habeamus cōmentarios, ut ex iis plenè perspicere queamus, quomodo illi suo tempore legerint; & præterea verisimile sit, librariorum vitio nonnunquam aliqua esse omissa, quæ necessariò supplenda: ab interpretibus autem contra in ordinem verborum *Aristotelis* aliqua esse relata, quæ fortè ad oras librorum adscripta repererant, quæ inducenda necessariò sunt, ut & verba invicem cohæreant & sibi ipsi Arist. consentiat in cunctis. Consideravimus id jam supra in loco aliquo ex I. Rhet. cap. I. Possumus verò hic unum atque alterum adhuc addere. Veluti lib. II. Rhetor cap. XI. Philosophus dicit *eos esse propensos ad æmulandum, qui dignos se esse putant bonis quibusdam, quibus carent.* Hic addendum necessariò: Ἐνδεχόμενον αὐτοῖς λαβεῖν, *cum tamen rerum capaces sint*, sicut constat cùm ex iis, quæ antecedunt, tum ex iis, quæ seqvuntur. Et tamen hæc omnia desunt in codicibus vulgatis. Lib. I. Topic. cap. III. idem disserit de perfecta Dialecticæ cognitione, & ait nos *tum perfectè instructos fore hâc facultate*, *cum*

cum ideam habuerimus, ut in Oratoria, Medicinâ & hujusmodi facultatibus aliis accidit. Neque enim ut quis perfectus Orator sit, requiritur, ut semper persuadeat; neqve à perfecto Medico postulatur, ut semper sanet, sed si nihil eorum, quæ adhiberi possunt, præter mittant, sufficienter facultate suâ instructi esse dicuntur, etiamsi fine ejus interdum frustrentur: neqve enim hoc ipsorum accidit culpa. Qvibus similia leguntur: I. Rhet. I. In medio autem istius orationis hæc interponuntur verba: Τοῦτο δὲ ἐστὶ τὸ ἐκ τῶν ἐνδεχομένων ποιεῖν, ἃ προαιρούμεθα. Quibus verbis nullus subesse videtur sensus, etiamsi nesciamus, quomodo vulgò soleant exponi. Non facilè enim istum sensum ei, qui purgatas habet aures, quis persuadebit. Unde meritò Muretus lib. VI. Variar. Lect. cap. IIX. ea existimat esse inducenda. Hancq; conjecturam suam firmat duplici argumento, nempe qvod vetus Latinus Interpres ea omninò non agnoverit; neq; *Alexander Aphrodisaeus*, aut quisquis est Græcus ille, qui commentarios in Topicos libros scripsit, agnoscere videatur. Idem eodem loco corrigit & alia, quæ paulò infra cap. IV. §. 2. inveniuntur, verba. Ubi enim vulgò legitur: Ἐστὶ δὲ ἀριθμῷ ἴσα καὶ τὰ αὐτὰ, ἐξ ὧν τε οἱ λόγοι, καὶ περὶ ὧν οἱ συλλογισμοί. Γίνονται μὲν γὰρ οἱ λόγοι ἐκ τῶν προτάσεων. περὶ ὧν δ' οἱ συλλογισμοὶ, τὰ προβλήματα ἐστὶ, ille sic legit: ἐστὶ δὲ ἀριθμῷ ἴσα καὶ τὰ αὐτὰ, ἐξ ὧν, τε οἱ λόγοι, (καὶ περὶ ὧν γίνονται μὲν γὰρ ἐκ τῶν προτάσεων, περὶ ὧν δ' τὰ προβλήματά ἐστι. Λόγων autem nomine *Aristoteles* syllogismos intelligit & inductiones, sicuti & alibi passim, veluti *I. Post. I. §. 3.* & *I. Topic. c. XII. §. I.* Porrò *lib. V Ethic. cap. IIX.* hæc leguntur in vulgatis libris: ὁ ἄδικος οὐκ ἀεὶ τὸ πλέον αἱρεῖται, ἀλλὰ καὶ τὸ ἔλαττον ἐπὶ τῶν ἁπλῶς κακῶν· ἀλλ' ὅτι δοκεῖ καὶ τὸ μεῖον κακὸν ἀγαθόν πως εἶναι, τοῦ δ' ἀγαθοῦ ἐστιν ἡ πλεονεξία· διὰ τοῦτο δοκεῖ πλεονέκτης εἶναι· ἔστι δὲ ἄνισος· τοῦτο γὰρ περιέχει, καὶ κοινὸν καὶ παράνομος· τοῦτ γὰρ ἡ παρανομία, ἤτοι ἡ ἀνισότης, περιέχει πᾶσαν ἀδικίαν, καὶ κοινόν ἐστι πάσης ἀδικίας. *Injustus non semper*

id, quod plus est, sequitur, sed & id, quod minus, in iis, quæ simpliciter sunt mala. Verùm quoniam videtur & minus malum quodammodò bonum esse: pluris autem cupiditatem in bono dicimus, propterea videtur tum quoque pluris esse cupidus. Est autem iniquus (hoc enim complectitur & commune est) & contra legem agit. Nam hoc ipsum, quod peccatum in legem dicimus, omnem injustitiam continet, omnisq; injustitiæ commune est. Sed rectius rursus Muretus lib. VI. Variar. Lectionum cap. VIII. ita legendum esse censet: Ἔστι δὲ ἄνισος, καὶ παράνομος· τοῦτο γὰρ περιέχει καὶ κοινόν ἐστι, *Est verò iniquus & contra legem facit. Hoc enim complectitur & commune est.* Quid autem complectitur? Nempe τὸ πλέον, καὶ τὸ ἔλαττον. Ex quo & alii nonnulli ita legunt: τοῦτο γὰρ περιέχει καὶ κοινὸν, τὸ γὰρ ἄνισον ἔχει τὸ πλέον καὶ τὸ ἔλαττον. Sive enim plus, sive minus sibi quispiam sumat, aut deposcat, ab æqualitate discedit, & hoc ipso παράνομος & injustus est. Nec aliter intellexit Michaël Ephesius, qui in commentario: Εἰπὼν δέ, ait, ἔστιν ἄνισος, ἐπήγαγε, τοῦτο γὰρ περιέχον καὶ κοινόν, λέγων τὸ ἄνισον, τὸ γὰρ ἄνισον περιέχει τὸ πλέον καὶ ἔλαττον, ὡς εἴρηται, *Quod verò, inquit; Hoc enim continet, & commune est, perinde est, ac si dicat; hoc autem iniquum ad plus & minus commune est, ac utrumque in se complectitur & comprehendit.* Lib. eodem Ethico VIII. agit de jure talionis, atque talionem neque ad id jus, quod in distribuendo, neque ad id, qvod in corrigendo situm est, accommodari posse docet, idque his verbis exprimit: Τὸ δ' ἀντιπεπονθὸς, οὐκ ἐφαρμόττει οὔτ' ἐπὶ τὸ διανεμητικὸν δίκαιον, οὔτ' ἐπὶ τὸ διορθωτικόν. Sic enim vetus legit Interpres, itemque Argyropolus & alii. At in nonnullis Basileensibus libris aliquot interponuntur verba. Sic enim in illis legitur: Τὸ δὲ ἀντιπεπονθὸς οὐκ ἐφαρμόττει οὔτε ἐπὶ τὸ νόμιμον, οὔτε ἐπὶ τὸ πολιτικόν· πολιτικὸν δὲ λέγω τὸ κοινωνικόν· τὸ ἢ ἀντιπεπονθὸς &c. At verba ista plane otiosa & supervacanea esse quivis facilè intelligit: meritò ergò

ergò inducenda. At cap. X. subseq. videtur aliquid addendum. Dicit ibi Philosophus, *unumquodqve jus & unumquodqve legitimum eandem rationem habere, quàm universum ad singula*, sed omittitur, ad quam rem talem rationem habere videatur. In aliquò autem manuscripto exemplo Lambinus dicit se reperisse adscriptum πρὸς τὰ πραττόμενα, quæ additio necessaria videtur. Ad hæc lib. I. Polit. IX. loco ejus, quod vulgò legitur, τὸ δὲ οἰκονομικῆς ἢ χρηματιστικῆς ἐστι πέρας, alii verba corrigentes ita legere malunt: τῆς δὲ οἰκονομικῆς ὁ χρημάτων κτῆσις ἐστὶ τέλος, *acquisitio nummi in infinitum non est finis rationis domesticæ*, quomodo Thomas quoque & Aventinus reddiderunt. Atque hanc quidem correctionem ineptam non esse facile concedet, qui penitius mentem Philosophi isto loco perspexit. Porrò lib. I. Hist. Animal. XV. πλευραὶ, inquit, ἑκατέρωθεν ὀκτὼ, *Costæ utrinq; homini sunt octo*: Quæ more suo exscribens Plinius lib. XI. c. XXXVII: *Costæ*, ait, *homini tantum octona*. At hoc videtur reclamare experientiæ, quæ testatur hominibus plurimis septem solùm esse costas; si quidem de veris sit sermo, quæ dorsum cum pectore jungunt, quas ab aliis distinguit ipse Philosophus III. Hist. VII: idq; observaverat jam ante illum etiam Hippocrat. I. de locis text. X. Sunt ergò, qui locum hunc mendosum esse existiment & pro ὀκτὼ legendum esse ἑπτὰ, reliqua autem, quæ sequuntur de Liguribus ex marginalibus irrepsisse. Inter quos est & Casparus Hofmannus lib. I de Thorace c. II. Anatomicorum tamen recentiorum aliqui se octo veras costas in aliquibus reperisse testantur; undè potius legendum esset ἑπτὰ ἢ ὀκτώ. V. Johan. Riolanus comm. de ossibus cap. XIX. Eodem I. Histor. An. XVII. hepar ait esse ὑπὲρ τὸ διάζωμα, sed hoc ipsó vapulat à multis, qui infra, non supra diaphragma esse dicunt, & quidem hactenus rectè. Sed quis non videt in Aristotele esse librarii mendum. Est enim legendum ὑπὸ, non ὑπὲρ, quod & Scali-

ger annotavit in text.201. I.Hist.& probari posset ex III. Part. XIV.ubi ventriculus dicitur esse ὑπὸ τὸ διάζωμα. Ventriculi enim & hepatis hîc eadem est ratio, quoad argumentum affert Casparus Hoffmannus II. Variar. Lect. cap.XXVI. Idem Hoffmannus c.l. cap.XXIIX. corrigit etiam locum ex III.Histor.XXI, ubi de coagulo dissseritur, satis aliàs obscurum, & sic legit: Ἡ πυετία γάλα ἐστιν (τὸ γὰρ ἔτι θηλαζόντων ἐν τῇ κοιλίᾳ γίνεται) ἔχον ἐν ἑαυτῷ πῦρ, ὃ ἐκ τῆς τοῦ ζώου θερμότητος πεπτομένου τοῦ γάλακτος, γίνεται, ut sensus sit: *Coagulum est lac (in ventre autem adhuc lactentium fit) habens in se ignem, qui à calore animalis, post lactis concoctionem, existit.* In sequente libro sexto cap.V. pro Ἡρόδοτος legendum est Ἡρόδωρος, (hic enim Brysonis Sophistæ pater fuit, ceu constat ex IX. Historiæ c. XI.) & paulò post pro, ἀδήλως, ἀδήλου. lib. IIX. autem cap.III. ubi codices nonnulli habent: τὸ τῶν ἀηδόνων δὲ γένος, legendum, τὸ ἀλκυόνων. II.Gen. Anim.III. disputans de corporatura, ut Medici vocant, seminis, τοῦτο τὸ σπέρματος τῆς γονῆς, ait, διαλύεται καὶ πνευματοῦται. Hîc legendum esse τοῦτο τὸ σῶμα evincit & initium capitis, in quo proponit, quid agendum sit & verba, quæ præcedunt, τόδε τῆς γονῆς σῶμα, ἐν ᾧ συναπέρχεται. Lib. III. de partibus Anim. c. IX. in vulgatis codicibus *vitium* aliquod *renum* σκεφαλισμὸς dicitur, pro quo sine dubio legendum σφακελισμός. In Physiognomicis cap. V. de leone dicitur, quod supra frontem ad nasum habeat pilos inclinatos, οἷον ἂν ἄσυλον. Ubi pro ἂν ἄσυλον videtur legendum esse, ἀνάσυλλον, vel ἀνάσιλλον, *veluti coronam*. Ἀνάσιλλος enim στέφανος est. Et in Etymologico ἀνάσιλλον τρίχωμα dicitur capillitium ἀπὸ μετώπου εἰς κορυφὴν ἀνεστραμμένον, à fronte in verticem versum. In libro de morabilibus auscultationibus in Cypro, ἐν κύπρῳ, *metas*, μέτας ait, *ferrum comedere perhiberi*, cum legendum sit pro, ἐν κύπρῳ, ἐν Γυάρῳ, in Gyaro & pro μέτας, μύας. Nam & Theophrastus apud

pud Plinium lib. IIX. cap. LVII. & Antigonus in Memorabilibus cap. XXI. aliique testantur de Insulâ Gyaro, quod *mures* illic *ferrum* exedant. Eodem libro in verbis istis: *Ajunt in Lydiâ, ἐν Λυδίᾳ, ex arboribus mella gigni copiosa, ex quibus pastillos incolæ sine cerâ conficiunt, duritiâ tantâ, ut nisi vehementiore attritu nihil demi inde possit*, pro ἐν Λυδίᾳ, videtur legendum esse, ἐν Λιβύῃ, *in Lybiâ*. Huc enim pertinent & populi isti, qui Gyzantæ Apollonio & Eustathio dicuntur, apud Herodotum autem ζύγαντες appellantur. De his verò modò laudatus Herodotus lib. IV: *Hìs* (Zabecibus) *finitimi sunt Zygantes, ubi magnam vim mellis apes conficiunt, sed multò plus opifices viri facere dicuntur*. Quibus gemina habet etiam Apollonius in Mirabilibus, aliique. De Lydia autem non facile simile quid occurrit. Eodem libro hæc quoque occurrunt: Φασὶ δὲ καὶ ἐν τῇ κρασονίᾳ περὶ τὴν Βισαλτῶν χώραν τοὺς ἁμιζκομβάνης λαγὼς δύο ἥπατα ἔχειν, *Ajunt & in Crastoniâ propè Bisaltarum regionem, qui capiuntur lepores, duo jecinora habere*. Ast videtur hic pro, Κρασονίᾳ, legendum esse, Γρηςωνίᾳ, quæ regio fuit Thraciæ, propè Macedoniam, ut refert Stephanus Byzantius; vel Macedoniæ ipsius inter Anthemuntem & Bisaltiam, ut tradit Thucydides lib. II. De Bisaltiâ autem simile quid memorat modo laudatus Stephanus his verbis: Βισαλτία πόλις καὶ χώρα Μακεδονίας, ἀπὸ Βισάλτου τοῦ Ἡλίου καὶ Γῆς. περὶ ταύτην οἱ λάγοι σχεδὸν πάντες ἁμιζκονται δύο ἥπατα ἔχοντες, ὡς Θεόπομπος ἱστορεῖ, καὶ Φαβωρῖνος, *Bisaltia, urbs & regio Macedoniæ, sic dicta à Bisalte, Solis & terræ filio. Circa hanc lepores ferè omnes capiũtur duplex jecur habentes, ut refert Theopompus & Phavorinus*. Repetit idem in Lexico & Suidas, & quidem iisdem verbis. Refert verò hoc ipsum, ut id obiter moneamus, de leporibus etiam in aliis locis Plinius lib. XI. c. XXXVII. scribens: *Bina jecinora leporibus circa Briletum & Tharnem, & in Cherroneso ad Propontidem.*

LXI. Non parum verò ad correctionem locorum nonnullorum Aristotelis, in quæ mendum aliquod irrepsit, faciunt & scriptores alii, præsertim antiquiores, qui Aristotelis verba aliter, atque in vulgaribus editionibus leguntur, citarunt: aut etiam aliqua ex illo desumpta, aliter intellexerunt: vel cum ab ipso ex aliis Auctoribus traducta esse firmâ conjecturâ colligi possit, apud illos in aliâ formâ occurrunt. Exempli gratiâ lib. II. Rhetor. cap. XIX. ex Agathone hæc citantur verba:

Καὶ μὴν τὰ μὲν γε τῇ τύχῃ πράσσειν. τὰ δὲ
Ἡμῖν ἀνάγκῃ καὶ τύχη προσγίνεται.

Ast ex Stobæo liquet pro, τῇ τύχῃ, legendum esse, τῇ τέχνῃ, ut sensus sit:

Quædam potest ars facere, sed multa accidunt
Nobis, ita, ut fors jussit, aut necessitas.

Et eodem lib. VI. Ethic: cap. II. in codicibus nonnullis versus aliqui hoc pacto adducuntur:

Μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ Θεὸς στερίσκεται,
Ἀγέννητα ποιεῖν ἅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα.

Ubi iterum ex Stobæo constat pro ἀγέννητα, ἀγένητα esse legendum. Ἀγένητον enim ingenerabile est: ἀγέννητον autem infectum, de quo quod loquatur illic Agatho, res ipsa docet. " Deinde lib: V. Hist. Anim. XV. hæc leguntur: Pinnæ erectæ "locis arenosis cœnosisque ἐκ τῆς βύσσου, ex bysso, proveniunt. Ast byssus pro loco fœmininum est, indeque si de bysso sermo hic esset, legendum esset ἐκ τῆς βύσσου. Unde Gesnerus mutato accentu legendum putat ἐκ τοῦ βυσσοῦ, *ex fundo maris.* Sed ex Athenæo, qui hunc ipsum locum refert, constat Aristotelem scripsisse ἐκ τοῦ βυθοῦ, *ex fundo.* Cui consonat & Oppianus lib. II. Halieuticon v. 186. de pinnâ dicens: ὄστρακον αὖ βυθίας μὲν ἔχει πλάκας, *Testa quidem profundas maris obtinet plagas.* Eodem libro cap. XXIII. ubi de favis crabronum

num & vesparum differitur, ita vulgò legitur: Σύγκειται δὲ οὐκ ἐκ κηροῦ, ἀλλ᾽ ἐκ φλοιώδους καὶ ἈΡΑΧΝΩΔΟΥΣ ὕλης τὸ κηρίον, *Construuntur autem non ex cerâ, sed ex materiâ corticibus simili & arenearum telis.* At longè solidiores favi isti sint, quàm ut aranearum telis queant comparari. Non ergò sine suspicione mendæ hic locus est, quam tollere non difficile fuerit, si Plinium, (qui Aristotelem sequuturum se in exponendâ animaliũ historiâ magnâ in parte pollicetur lib. IIX. Nat. Hist. XVI.) audiamq, quippe qui lib. XI. cap. XXI. *constare* dicit *favos istos cortice atq; arenâ*. Res ipsa enim loquitur cum arenâ cognationẽ habere materiam, ex quâ vespæ pariter ac crabrones nidos suos fabricantur. Unde apud Aristotelem non ἀραχνώδους legendum esset, quod ab araneâ ducitur, sed ἀμμώδους, qvód *arenosos* designat. In capite vigesimo quarto quoque octavi eorundem librorum, ubi loqvitur Philosophus de equorum morbis, & in specie de vesicæ affectu, videtur quid esse omissum. Sic enim verba ejus inter alia habent: Καὶ ἐὰν ἡ κύστις: at hic verbum deest. Unde Theodorus Gaza quidem addidit vocem παραλυθῇ: ast aptius ex Plinio suppleretur fortè hæc lacuna, adjectâ voce, συστραφῇ, ut sensus sit: *Si vesica fuerit conversa.* De quâ vesicæ in equis ægritudine ita Plinius lib. IIX. cap. XLII. *Eqvo ferè qui hominem morbi, præterquam vesica conversio.* De hoc verò affectu Aristoteli quoq; esse sermonem patet fermè ex signis, qvæ mox subdit his verbis: Σημεῖον δ᾽ ἐστὶ τούτου, τὸ μὴ δύνασθαι οὐρεῖν καὶ τὰς ὁπλὰς καὶ τὰ ἰσχία ἐφέλκει, *Indicium verò hujus est, non posse urinam reddere, & ungulas ac femora contrahere.* Lib. IIX. Hist. Anim. cap. XIII. hæc habentur verba: Ἔξω δὲ φαλαίνης, καὶ δελφῖνος, οὐδὲν ἐστιν ἐν τῷ Πόντῳ. Ubi per Pontum intelligit Pontum *Euxinum*, mare *Cimmerium* Orosio; *Caucaseum* Apollonio; Horatio, Plutarcho, Ptolemæo, Jornandi & aliis *mare Ponticum* dictum. Cujus aquas dulces esse dixe-

ſe dixerat Philoſophus paulô ante, quod & Strabo confirmat I. Geogr. iſtis verbis: Διὸ καὶ γλυκυτάτην, εἶναι τὴν Ποντικὴν, cujus cauſa alia non eſt, niſi concurſus plurimorum in Pontum ingredientium fluviorum. Quod & non obſcurè indicat Ovidius in Ponticis canens:

Copia tot laticum, quas auget, adulterat undas,
Nec patitur vires æquor habere ſuas:
Innatat unda freto dulcis leviorq́ue marina eſt,
Quæ proprium mixto de ſale pondus habet.

Candidius quoqve hinc idem mare eſt, quod & Ariſtoteles ipſe in Problematibus obſervat, quia lacus omnes mari ſunt candidiores. Pontus autem, ut iterum Naſo,

- - Stagno ſimilis, pigræq́ue paludi eſt.

In hoc ergo Ponto excepto delphino & balænâ nullum animal magnum eſſe dicit. Aſt non φαλαίνης apud Ariſtotelem eſſe legendum, nec φωκαίνης, ut cum Gazâ legit Geſnerus, ſed φώκης, nos docet Plinius lib. IX. cap. XV. quippe qui ita locum vertit: *In Pontum nulla intrat beſtia piſcibus malefica, præter vitulos & parvos delphinos.* Cui & congruit, quod Solinus habet cap. XXII. in fine. Sic enim ille de delphinis verba faciens: *Adhæc ſi quando laſciviunt novi fœtus, à majoribus datur adultior gregi cuſtos: quo magiſtro ludere impetus incurſantium belluarum addiſcant, quamquam ibi præter Phocas rara bellua eſt.* Sed & inſignis eſt in hanc rem Plutarchi locus ex lib. de comparatione, vel, ut alii inſcribunt, de ſolertiâ animalium: *Et partui tranquillitas eſt commoda, & à belluis immunes ſunt fluvii, ſicut paludes, ut fœtus ſaluti jam conſulant. Quæ cauſa eſt, quod piſcium maxima vis apud Euxinum procreatur Pontum.* Οὐ γὰρ τρέφει κήτη, ἀλλ' ἢ φώκην ἀραιὰν καὶ δελφῖνα μικρὸν, *Non enim cete ibi ſunt, ſed duntaxat exilem Phocam habet & parvum delphinum.* Ulterius lib. IX. Hiſtor. Anim. cap. VII. locus extat ita vulgò deſcriptus: Γενομένων δὲ τῶν νεοττῶν φέρουσι τὴν ἁρμοττούσης τροφῆς, ἧς διαμαρτάνομενος, ἐπιτύχ

πλύει τοῖς νεοττοῖς διοιγνὺς τὸ στόμα, παρασκευάζων πρὸς τὴν τροφήν. At videtur pro ἁρμοττούσης omninò legendum esse ἁλμυριζούσης. Quod non obscurè colligitur ex Plinio lib. X. cap. XXXIV. qui penè verbum de verbo transferens: *Pullis*, inquit, *primò salsiorem terram collectam gutture in ora inspuunt, præparantes tempestivitatem cibo.* Quid? quod Athenæus verba Aristotelis citans expressè habet ipsam vocem ἁλμυριζούσης. Sic enim ille IX. Dipnosophist: Ὁ δὲ Ἀριστοτέλης φησὶν, ὡς αἱ περιστεραὶ γιγνομένων τῶν νεοττῶν τῆς ἁλμυριζούσης (ita enim sanè legendum pro λαμυριζούσης, ut habent nonnulli Codices impressi) γῆς διαμασησάμεναι, ἐμπτύουσιν αὐτοῖς, διοιγνῦσαι τὸ στόμα, διὰ τούτου παρασκευάζουσαι αὐτοὺς πρὸς τὴν τροφήν, *Aristoteles scribit, columbas exclusis pullis os aperire, & præmansam terram salsam inspuere, hâc ratione eos capiendo cibo præparantes.* Porrò in lib. de mirabilibus auscultationibus locus de hyænis mutilus est, sed suppleri potest ex Æliano lib. VI. cap. XIV. scribente: Ἡ ὕαινα, ὡς Ἀριστοτέλης λέγει, ἐν τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ ἔχει δύναμιν ὑπνοποιὸν, καὶ ἐνεργάζεται κάρον μόνον προσθίγουσα, *Hyæna, ut tradit Aristoteles, in sinistra manu vim habet soporiferam, & solo contactu somnum conciliat*, & quæ sequuntur. Quod ipsum & Phile de Animalibus cap. XLIII. confirmat, qui tamen loco sinistræ dexteram ponit his verbis:

Καὶ τὴν ἑαυτῆς ἐντυποῦσα δεξιὰν,
Ἐνέθηκεν εἰς τὴν ῥῖνα τοῦ κοιμωμένου,
Κάρου γὰρ εἶναί φασιν αὐτὴν ἐργάτιν,

Et suam dexteram parans mittit in nasum dormientis. Ajunt enim vim eam soporiferam habere. Adhæc eodem libro & ista leguntur: Ἔστι καὶ ἐν Μηδίᾳ, καὶ ἐν Ψιττακίνῃ. Ast hic pro, Ψιττακίνῃ, legendum esse, Ψιττακήνῃ, patet ex Stephano Byzantio lib. de urbibus & populis, dictione Ψιττακή. Sed & alius ejusdem libri locus ex hoc Scriptore corrigi potest, videlicet hic: Δημόνησος περὶ Χαρχηδονίων νῆσος, ἀπὸ Δημονήσου τοῦ πρώ-

τȣ ἐργασάμενου τ ἐπωνυμίαν ἔλαχεν, *Demonesus Carthaginensium Insula à Demoneso primo cultore originem traxit.* Ex Stephano enim liquet legendum esse, χαλκηδονίων. Hic enim Demonesum circa Chalcedonem describit, dicens: Δημόνησος περὶ χαλκηδόνα νῆσος, ἀπὸ Δημονήσȣ τινός, *Demonesus insula circa Chalcedonem à Demoneso quodam.* Præterea lib. I. de coloribus cap. I. Cælius Caliagninus Interpres in translatione suâ hæc ponit: *Aliquando etiam niger visus est & cervus, & ursus,* quod argumento est, incidisse eum in Codicem, ubi μέλας fuit scriptum. Ast λευκὸς legit Ruellius. Atque ita esse legendum non solùm ex aliis Codicibus constat, sed & ex Plinio, qui lib. IIX. c. XXXII. *Fiunt,* inquit, *de cervis, aliquando & candido colore, qualem fuisse traditur Q. Sertorii cervam.* Quod posterius etiam Gellius lib. XV. cap. XXII. Polyænus lib. IIX. & Plutarchus in Sertorio faciunt testatum. *Ursorum* autem *alborum* mentionem facit etiam Pausanias in Arcadicis, & Æthiopiæ Rex in Epistolâ, quam Hebraicè scripsit ad Pontificem Romanum. Ad extremũ Sect. V. Probl. probl. I. causam inquirens Aristoteles, cur ambulationes longæ per vias æquales majorem inducant lassitudinem, quàm quæ per inæquales peraguntur, id est, non rectas, sed flexuosas, quæ nunc in hanc, nunc in alteram, nunc in dextram, nunc in sinistram partẽ nos ducant: id inde fieri scribit, quod multus ac vehemens motus pariat lassitudinem, & mox subjungit: Τοιαύτη ἡ σπερματώδης, quod Gaza reddidit *motum, qui per viam* vel *loca inæqualia* agitur. Sed nuspiam aliàs vox, σπερματώδης, ita usurpata reperitur. Unde non malè judicant, qui ex Theophrasti libro περὶ κόπων, *de lassitudinibus,* qui ferè totus ex Aristotelis Problematibus videtur conflatus pro σπερματώδης, σπασματώδης, legendum esse arbitrantur. Sic verò illic Theophrastus: Οἱ βραχεῖς, ἀκοπώτεροι, ὅτι ἧττον πολλὴ κίνησις ποιεῖ κόπον· καὶ ἰσχυρὰ τραύλη καὶ σπασματώδης πολλὴ δὲ ἡ συνεχὴς καὶ μία, *Quod bre-*

breves ambulationes minus, quàm lingua; fatigent, causa est, quod multa motio laborem infert: est enim vehemens & penè convellens: multa autem est, quæ & continua est, & una. Accedit, quòd Aristoteles σπασματωδέστερον non multò post, vide licet probl. IIX. in simili materiâ adhibet. Sed etiam Hippocrates lib. II. de Diæta, ubi *concussionum, quæ inter magnos motus recensentur*, mentionem injicit, non dissimiliter loqvutus deprehenditur istis verbis: Τὰ παρασείσματα ἐμποιέειν σπάσματα.

LXII. Cavendum tamen, ne sine causis urgentibus facilè à tritâ lectione abeatur. Quod aliquibus nimis est familiare. Exemplo sit locus ille ex I Rhetor. cap. V, ubi nonnulli in verbis istis: Ἀγωνιστικὴ δὲ σώματος ἀρετὴ σύγκειται ἐκ μεγέθους καὶ ἰσχύος καὶ τάχους; *Agonistica verò corporis virtus ex magnitudine, & robore, & celeritate componitur*, pro, τάχους, putant τέχνης esse legendum, quod robur cum celeritate sit conjunctum. Quamvis enim hoc verum sit, dubium tamen non est, quod celeritas sit aliud quid à robore, cùm experientia affatim testetur, multos viribus præstare, in agendo tamen tardos potius, quàm celeres esse. Occurrit talis locus & V. Ethic. cap. XIII. ubi Philosophus refutat eos, qui putant *facile esse, scire justa & injusta; quod leges determinent illa.* Refutat autem ex eo, quod non possit dici actio aliqua justa aut injusta, nisi observentur *circumstantiæ, quomodò factum* aliquid sit, vel *quomodo datum*, num *rectè*, an *secus*, & num *huic* vel *illi*. Hoc autem majus esse opus, quàm τὰ ὑγιεινὰ εἰδέναι, *ea, quæ salubria sunt, nosse. Hic enim*, inquit, *facilè est nosse, quid sit mel, quid vinum, quid helleborus, item quid ustio, quid sectio: sed in applicatione, ut sanitati conferant, & cui, & quando sana sint*, τοσοῦτον ἔργον, ὅσον ἰατρὸν εἶναι. Ast aliquibus posterius hoc non placet, qui pro ὅσον ἰατρὸν εἶναι, putant legendum esse δίκαιον εἶναι. Inter rem enim eandem non pos-

posse institui comparationem, adeoque nec inter Medicum & cognitionem rerum Medicarum. Ast falsum est, hæc esse eadem. Nec enim is, qui rerum salubrium notitiam in genere habet, jam Medicus est, nisi & applicationem facere sciat pro conditione circumstantiarum, quod Medicina ars sit, & quidem στοχαςικὴ, sive conjecturalis, ut inter alios docet etiam Cornel. Aurelius Celsus lib. II. cap. VI, nec non Alexander Aphrodisæus comm. in I. Topic. Sed & pertinet huc alter ille locus ex VI. Ethic. IX. ubi ita Philosophus: *Ac videtur sanè is, qui sua habet, quæque ad se pertinent, habet cognita, & in eis versatur, prudens esse: ut ii, qui se ad Rempubl. contulerunt, multarum actionum studio rerumq; alienarum curâ distineri.* Qvod mox confirmat testimonio Euripidis, cujus hæc sunt:

πῶς δ' ἂν φρονοίην, ᾧ παρῆν ἀπραγμόνως
Ἐν τοῖσι πολλοῖς ἠριθμημένῳ στρατοῦ
Ἴσον μετασχεῖν;
Τοὺς γὰρ περισσούς, καί τι πράσσοντας πλέον,
Prudentem enim quis me putet mortalium,
Cui suppetebat absqve ullo negotio
In totius turba numerato exercitus
Sortem parem habere?
Præstantiores namq; & eos, qui plus quoque
Præstant.

Hîc putant nonnulli aliqua in fine deesse, indeque post, πλέον, adjiciunt: ζεὺς μισεῖ, *malè odit Jupiter.* Sed præter necessitatem. Aristotelis enim scopus illîc alius non est, quàm ostendere ex aliorum sententia, quod discrimen sit inter hominem prudentem & civilem, & quidem ideò, quod qui sua ipsius bona cognoscit, inqve iis versatur, prudens; civilis autem non prudens, sed curiosus & negotiosus esse videatur, quippe aliena potius curans, quâm suam quærens utilitatem. Et ad hoc ipsum illustrandum adducit hos Euripidis ex Philoctete

versus

versus, in quibus Ulysses se minimè ait sapientem esse, utpote non sua curantem, cum tamen hoc sibi liceret, sed aliis potius prospicientem. Quod Dio Chrysostomus oratione LIX. uberius diducit, ita loqventem introducens Ulyssem: φοβοῦμαι, μήποτε μάτην κατ' ἐμοῦ φανῶσιν, αὐτὴν οἱ σύμμαχοι τὴν δόξαν εἰληφότες, ὡς ἀρίστου δὴ καὶ σοφωτάτου τῶν Ἑλλήνων· καί τι ποία τις, ἡ τοιαύτη σοφία καὶ φρόνησις, δι' ἥν τις ἀναγκάζεται πλείω τῶν ἄλλων πονεῖν, ὑπὲρ τῆς κοινῆς σωτηρίας, καὶ νίκης· ἐξὸν ἕνα δοκοῦντα τοῦ πλήθους, μηδενὸς ἔλαττον ἐν τούτοις ἔχειν τῶν ἀρίστων· ἀλλ' γὰρ ἴσως χαλεπὸν εὑρεῖν οὕτω μεγαλόφρονα καὶ φιλότιμον, οἴομαι, ὃς ἀνὴρ πέφυκε· τοὺς γὰρ φανερούς, καὶ πλειόνων ἅπτεσθαι τολμῶντας, σχεδὸν τούτους ἅπαντας θαυμάζομεν, Καὶ τῷ ὄντι ἄνδρας ἡγούμεθα, *Metuo, ne quando frustra de me socij hanc opinionem videantur suscepisse, quasi optimus sim & sapientissimus Græcorū. Et quidem quæ, qualisve ea sapientia atque prudentia est, ob quam quis cogatur plus, quàm alij Græci, laboris capere, communi pro salute & victoriâ, quùm liceat unum existimatum è vulgo, nullo optimatum minus, in his obtinere? At difficile est invenire magnanimos ita, atque gloriæ cupidos viros, qui non magnis & arduis in rebus versari velint. Claros enim, inq; magnis suscipiendis audaces, ferè omnes admiramur, & reverâ viros existimamus.* Legi potest idem & Orat. LII. At hoc sufficienter confirmaverat Aristoteles primis ex Euripide adductis versibus, ad quos ut respexisse unicè intelligeretur, addidit quidem & illum, qui sequitur, versum, sed imperfectum eum reliquit, ut qui parum faceret ad sententiam ipsius confirmandam. Stobæus autem addidit & illum quidem, qui hunc excipit, sed in eo nihil apparet additamenti istius, de quo antè. Sic enim ille, Euripidis verba transscribens:

Τοὺς γὰρ περισσοὺς καί τι πράσσοντας πλέον
Τιμῶμεν, ἄνδρας τ' ἐν πόλει νομίζομεν.

Porrò lib. VII. Ethic. cap. *XI.* (al. *X.*) citat Philosophus Ana-

xandridæ verſum: Ἡ πόλις ἐβούλεθ' ᾗ νόμων οὐδὲν μέλει, *Legum contemtrix ita volebat, civitas.* Sed aliqui id cavillantur. Anaxandridem enim non πόλις, ſed φύσις, ſcripſiſſe, quod probant teſtimonio Ariſtæneti, qui ita legerit lib. II. Epiſt. V. Verum Ariſtænetus Anaxandridæ mentionem nullam facit. Sic enim verba ejus habent: ἀπαχθάνομαι τῆς φύσεως βουλομένης, ᾗ νόμων ὡς ἔοικεν οὐδὲν μέλει, *Naturam volentem ſentio, cui, uti adſolet, cura nulla legum.* Alluſio itaque ſolum hæc eſt. πόλις autem ex Anaxandride legit etiam Stobæus. Interim hoc vel ex Ariſtæneti etiam verbis iſtis colligere eſt, citra neceſſitatem quosdam in Anaxandridæ verſu ἐβούλεθ' in ἐβούλετο mutaſſe. Ulterius lib. I. Meteor. cap. XIII. in Aſia *ex monte Parnaſo*, ἐκ τοῦ παρνασοῦ, dicuntur *fluere plurimi maximiq; amnes.* Hîc aliqui putant legendum eſſet παῤῥαπαμισοῦ. Verum quid cogit? Quamvis enim hic mons, inter Arianam & Bactrianam ſitus, à plerisque παροπαμισὸς, à Ptolemæo autem παροπανισὸς vocetur, per ſyncopen tamen idem aliis etiam παρπανισὸς dicitur, nihilqve obſtat, quo minus eâdem ſyncope iteratâ & παρνισὸς aut παρνασὸς nuncupetur. Nam & Dionyſius Alexandrinus in deſcriptione ſitus orbis de eodem monte verba faciens:

Ἀλλ' ἤτοι Βάκτροι μὲν ἐπ' ἠπείροιο νέμονται
Χώρην ἐυρολέπην, κνημοῖς ὑπὸ παρνησοῖο,

Verum Bactri eam regionem incolunt, quæ ad pedes jacet Parnaſi. Etſi non negemus quosdam codices etiam hîc aliter habere, nempe παρπαμισοῖο, quod & Euſtathius in Commentario obſervat his verbis: ὅτι παρνησοῦ τινὸς ὄρους Βακτρίου ἐνταῦθα ὁ Διονύσιος μέμνηται· καὶ ζητητέον εἴτε οὕτω γραπτέον αὐτὸ, ὁμωνύμως τῷ Εὐρωπαίῳ παρνασῷ, εἴτε καὶ παρπαμισὸν ὀνομαστέον αὐτό. οὕτω γὰρ πολλὰ τῶν ἀντιγράφων ἔχουσι. Idem judicandum de loco illo ex X. Hiſtoriæ animalium, ubi de vermibus quibusdam dicitur, quod ἐκ τῆς ἐν ἰνδίᾳ (ita enim habent Vulgati codices) χιόνες naſcan-

nascantur, & quod hi magni ac albi sint. Loco enim istorum verborum, ἐν εὐδίᾳ, legendum aliqui esse putat, ἐν μηδίᾳ, quos secutus Latinus interpres in translatione sua posuit, *in Mediâ*. Rationes correctionis suæ afferunt ferme duas. Alteram, quod Strabo XI. Geographiæ vermes in nive natos vindicet Armeniæ, quæ Mediæ finitima est: alteram, quod in serenitate (ita enim εὐδίαν interpretantur) nix interdiu liquetur, noctu autem congeletur. Verùm neutra ratio tàm firma est, ut persuaderi nobis patiamur, vulgatam lectionem Græcorum codicum castigatione indigere. Strabo enim de ortu dictorum vermium agens Mediæ ne verbo quidem meminit: neque necessarium est alicubi id è vestigio obtinere, quod obtinet in vicinis aut finitimis locis. Tum & experientia ubertim testatur, quod etiam sereno aëre nix non semper tota simul uno eodemque die, sed pluribus, & paulatim liquescat. Quid prohibet ergò, quo minus ex eâ, quæ nondum soluta est, vermes nascantur? Est enim nix veluti nubes congelata, ut est lib. I. Meteor, cujus substantia vapor est, aliquid caloris, absq; quo & cæteroqui nullum humidum est, observante rursum Philosopho lib. V. de generat. animal. in se habens. Unde ex eâ vivens aliquod emergere hactenus nihil impedit, cum ex glacie è contrario nihil tale provenire possit, quippe quæ est ὑπερβολὴ ψυχρότητος, excessus frigiditatis. Et quid cogit, ut εὐδίαν *serenitatem* interpretemur? Nam & *teporem* non rarô significat apud probatæ fidei scriptores. Sanè & rorem dicit Aristoteles lib. I. Meteor. fieri ἐν εὐδίᾳ καὶ εὐδιεινοτέροις τόποις, ubi εὐδίαν serenitatem significare non potest. Serenitatis enim epithetum locis non convenit. Quò accedit, quod pruinam dicit generari in loco ac cœlo illi contrario, in quo ros procreatur, nempe in hyeme & hyemalibus locis, hoc est, cœlo ac locis frigidis. Ἐν εὐδίᾳ ergò & εὐδιεινοτέροις vi oppositorum idem erit, quod in locis calidis aut tepidis.

dis. Tum & non desunt viri Græcæ literaturæ peritissimi, qui in XII. Aphorismo tertiæ sectionis Hippocratis judicent εὔδιος rectius tepidum verti, quàm serenum, ut Theodorus aliique. In lib. de aere quoque, locis & aquis Hippocrati εὔδιον idem est, quod ἀλεεινὸν, *tepens* vel tepidum, seu calore & madore temperato gratum. Theophrastus insuper lib I de caussis plantarum τὰς εὐδεινὰς τοῖς ψυχροῖς opponit. Jam autem frigidum non sereno opponitur, sed calido aut tepido. In quarto porrò eorundem librorum τὰς εὐδίας opponit τοῖς χειμῶσι: ast hyemi non serenitas rursum repugnat, sed calor & tepor. Sed & Plinius lib. XVII. cap. XXIV. quod apud Theophrastum lib. IV. Historiæ Plantarum & V. de caussis plantarum, τὰ νότια καὶ εὐδιεινὰ, est, *teporem humidum* interpretatur, à quo diversa insectorum generis animalia plantis noxià progigni asserit uterque. Theophrasti verba lib. IV. Hist. cap. XVI. hæc sunt: Γίνονται δὲ ὅταν ᾖ νότια καὶ εὐδιεινά. Plinii verò sequentia: *Nescitur hoc malum tempore humido & lento.* Adhæc ejus loco, quod Aristoteles IX. Hist. XL. apes dicit ὅταν εὐδία ᾖ, συνεχῶς ἐργάζεσθαι, idem Plinius lib. XI. cap. X: *Ipsarum agmen*, inquit, *si dies mitis futurus sit, cœli temperie ad opera procedere.* Ad extremum in Problematibus sect. XXVI. probl. xxxiv. & favonius hoc sensu εὐδιεινὸς dicitur, id est, tepidus, quia ἐν μετρίῳ εἶναι τῶν θερμῶν καὶ ψυχρῶν πνευμάτων, *quia medium inter frigidos & calidos flatus tenet.* Denique & lib. de arte Poëtica cap. IV. verbis istis: ὁ γὰρ Μαργείτης ἀνάλογον ἔχει ὥσπερ ἰλιὰς καὶ ὀδυσσεία πρὸς τὰς τραγῳδίας, καὶ κωμῳδίας, quidam addunt sequentia, Φανίσης τῆς τραγῳδίας, καὶ κωμῳδίας, *Visâ Tragœdiâ & Comœdiâ*, verum iterum citra necessitatem. Pariunt enim & priora ista jam, his omissis, perfectum sensum, qui hic est, Margiten Homeri ita se ad comœdiam habere, ut ad Tragœdiam Ilias, atque Odyssea.

LXIII.

LXIII. Sed & in Exotericis interdum Philosophi scriptis, ut & hoc obiter moneamus, ultra fas nonnulli potestatem sibi sumunt aliquid corrigendi, ut sect. XX. Problem. probl. II. ubi Philosophus quærit, cur in proverbio sit, mentham belli tempore neque edendam, neque serendam esse? „Ac subdit: Ἢ ὅτι καταψύχει τὰ σώματα; an quia refrigerat „corpora & corruptionem affert seminis genitalis? Id autem „ipsum adversum omninò est fortitudini atq; animositati. Hîc aliqui pro καταψύχει legendum esse putant κατατήκει, qvod nimis clarum sit & experientiâ constet, mentham non refrigerare, sed potius calefacere, quod præter Galenum & alios docet etiam Aëtius lib. I. Medicinæ ex veteribus contractæ scribens: *Mentha vim habet calidam, ut propè attingat tertium ordinem.* Nec multum ab his abit Michael Sethus, cujus ex libro de alimentis hæc sunt: Τὸ κηπευτὸν θερμόν ἐστι κατὰ τὴν δευτέραν, *Mentha calida est secundo gradu.* Jam verum quidem est, quod mentha per se non frigefaciat ad modum lactucæ, portulacæ, mandragoræ, & aliorum talium: facit tamen id per accidens. Colliquat enim calore suo semen, ut sponte suâ, & abundè quidem, effluat, ex quo porrò fit, ut progressu temporis seminis materiâ & spiritibus absumptis corpus debile reddatur & refrigeretur. Cujus simile etiam iis, qui vinum continuò, & quidem largiùs, bibunt, evenit, nec tamen ideò vinum in se frigidum est, quantumvis id inde colligere voluerit Plutarchus, hâc in re accidentis fallaciâ deceptus lib. III. Quæstion. convivalium quæst. V. Atque hinc & mox addit Aristoteles: *Docet autem id seminis corruptio, quam efficit mentha comesta*, inductam scilicet illi per colliquationem. Quod ipsum & Hippocrates memorat lib. II. de diæta, & quidem his verbis: *Mentha calefacit, & urinam ciet, & vomitus sistit, & si quis sæpè comedat, semen genitale,* τὸν σπόρον, *colliquefacit, ut diffluat, & erigere probibet,* καὶ τὸ σῶμα ἀσθενὲς ποιέει, *&*

corpus imbecillum reddit. Plinius quoque lib. XX. cap. XIV: *Resistere* (mentha) *generationi creditur cobibendo genitalia densari,* seu erigi penem. Nec officit his, quod Dioscorides scribit lib. III. c. XLI. ad venerem illam stimulare, cui accedit & Galenus lib. VI. Simplicium his verbis utens: *Domestica* (mentha) *ob eam sanè, quæ ex cultu accedit, humiditatem mediocriter ad venerem excitat,* πρὸς ἀφροδίσια παρορμᾷ μετρίως. Rationem addit: τὸ πάρεχει δὲ ἔτι κοινὸν ἅπασιν οἷς μέτεστιν ὑγρότητος ἡμιπέπτου τε καὶ φυσώδους, *id, quod omnibus accidit, quæ humiditatem continent semicoctam & flatulentam.* Ac[illegible]cedit & Aëtius, qui & ipse l.c. ait *mentham moderatè ad Venerem stimulare, atq; ideò & cum polentâ in cataplasma venire.* Denique & Michaël Sethus l. c. dicit illam esse ἀφροδισιακὸν, *Venerem allicere.* Id, inquam, Aristoteli nihil officit. Aliud enim est Venerem stimulare, quod mentha, quia flatulenti quid habet, facilè præstare potest: aliud conceptum & generationem promovere, quod mentha sæpius comesta effectum dare non potest, eò, quod semen liquidum nimis reddat, adeò, ut facilè effluat & non retineatur. Ex quo & Dioscorides ipse generationi mentham inimicam esse fatetur, quum ait: Γυναιξὶ δὲ πρὸ τοῦ πλησιάζειν προστιθέμενον, ἀσυλληψίαν ἐργάζεται, *Porrò mulieribus ante coitum subdita conceptioni resistit.* Michael Sethus quoque hinc: *Continuus tamen ipsius usus est illicitus, quoniam sanguinem attenuat serosumq; reddit, & in flavam bilem vertit: deinde tenuiorem sanguinis partem aptam efficit, ut facilius dissipetur,* παρασκευάζει τὸ λεπτότερον τοῦ αἵματος διαφορηθῆναι, *quæ verò crassa & melancholica est, relinquitur.*

LXIV. Atq; hæc de obscuritate, quæ ex varietate nascitur lectionum. Non minor autem obscuritas oritur ex varietate vocum, quas Philosophus usurpat. Quis enim, ut à *Polyonymia* ordinamur, nescit, quàm multis vocibus Aristoteles sæpè in exprimen-

menda unâ eademque re utatur, adeò ut de proprio rei nomine dubitaſſe alicui videri poſſit. Ita definitionem vocat λόγον, III. Phyſ. III. ὅρον I. Poſt. III. §. 4. οὐσίαν V. Met. IIX. λόγον τῆς οὐσίας lib. Categor. c. I. §. 1. & 2. τὸ τί ἦν εἶναι, τὸ τί ἐστιν II. Poſt: X. VII. Met. IV, φύσιν V. Met. IV. Demonſtrationem porrò nunc vocat ἀπόδειξιν, nunc φιλοσόφημα, ut Lib. VIII. Top. II. §. 16. rurſus τὸν συλλογισμὸν ἐπιστημονικὸν, item ſyllogiſmum αἰτιώδη. Dialecticum autem ſyllogiſmum appellat modo ἐπιχείρημα, modo λογικὴν δεῖξιν, velut VIII. Top. XI. §. 16. & I. Gen. An. IIX. & endoxa, ex quibus conſtat ſyllogiſmus ille, τὰ δοκοῦντα, τὰ λεγόμενα, itemq; προτάσεις δοξαστικάς. Dialecticam deniq; ipſam nominat μέθοδον ἐρωτηματικὴν, ἐπιχειρηματικὴν, εὑρετικὴν τῶν ἐπιχειρημάτων, μέθοδον τοῦ πορίσαι τοὺς λόγους, μέθοδον περὶ τὰς προτάσεις, τέχνην τῶν διαλόγων, μέθοδον τοπικὴν, μέθοδον ἐξεταστικὴν, πραγματείαν περὶ τὰ ἔνδοξα, τοπικὴν &c. Non exiſtimandum autem eſt, Ariſtotelem ſine conſilio tot nomina eidem rei aptaſſe, non ſanè. Habuit ille rationes ſuas, quibus adductus id fecit. Quæ rationes inquirendæ ſedulò ſunt ei, qui cum fructu in lectione Ariſtotelis vult verſari. Neque inutilis labor eſſet, ſi quis, in peculiari libro, nomina, idem apud Ariſtotelem valentia, notaret, additâ ſimul cujusq; nominis ratione, quod vel mediocriter in Ariſtotele verſato difficile non foret. Ita definitionem appellat λόγον, nempe rei iſtius, cujus eſt definitio. Uti enim λόγος propoſitionis ſive concluſionis alicujus eſt demonſtratio, quoniam hæc vim continet aut cauſam affert concluſionis: ſic λόγος rei per nomen ſignificatæ eſt definitio: qvoniam id, quod in re potiſſimum eſt, vim ac virtutem ejus οὐσιώδη exprimit ſive eſſentialem. Inde omnis λόγος dicitur eſſe vel ὁρισμὸς, vel ἀπόδειξις, I. de An. III. text. 48. ὅρος autem dicitur definitio variis de cauſis. Sicut enim propoſitiones reſolvuntur in terminos, velut in ſuas cauſas elementa: ita & demonſtrationes reſolvuntur in definitiones, ut in cauſas

ſas immediatas concluſionis. Præterea ut in terminis, cum ita ſimpliciter efferuntur, nec compoſito nec diviſio locum habet, (dicendo enim, homo, aut animal, vel lapis, aut aliud quodcunque neq; compono quicquam neq; divido lib. de Interpr. cap. V. §. 6.) ita quoqve dum intellectus ſolas rerum quidditates, quas explicat definitio, percipit, nec componit, nec dividit, ſed ſimplici intuitu apprehendit, & quaſi tangit, I. Poſt. X. §. 9. III. de An. VII. IX. Met. ult. Adhæc ſicut terminus id eſt, ultra quod non licet progredi: ita definitiones in demonſtrandos ſunt termini, quia ultra has non progreditur demonſtratio, ſed ibi gradum ſiſtit. Denique ut termini ac limites, quos Græci ὅρους dicunt, agrum ὁρίζουσι, id eſt limitant & à vicinis agris diſtingunt: ita definitio naturam rei circumſcribit, & ab aliis rebus interpoſitis differentiis diſcernit. Porrò definitio vocatur & λόγος τῆς οὐσίας, & quidem ut φυσικῶς, id eſt, ſecundam naturam ſuam ſpectatur. Eſt enim nihil aliud, quàm oratio eſſentiam rei declarans. Οὐσία autem & φύσις dicitur per metonymiam *ſigni* pro *ſignato*, quia ſignificat οὐσίαν & φύσιν rei. Φύσις enim aliquando idem eſt, quod οὐσία, V. Metaph. IV. Τὸ τί ἐστιν autem, item τὸ τί ἦν εἶναι eandem appellat, quando λογικῶς eam conſiderat, id eſt, κατὰ σχῆμα τῆς προσηγορίας, quod conſiſtit in interrogando & reſpondendo, quia per definitionem reſpondetur ad quæſtionem quid ſit res, aut quodnam ſit τὸ τί ἦν εἶναι rei, I. Top. c. V. §. 1: eodem modo, quo & cauſam τὸ διότι paſſim appellat, quia ſcilicet ad quæſtionem διὰ τί, propter quid, reſpondetur per cauſam II. Poſt. XI. §. 1. II. Phyſ. VII.

LXV. *Apolyonymis* ad *homonyma* venimus. Nemini enim, qui Ariſtotelem ſibi familiarem reddidit, obſcurum eſſe poteſt, quàm variè is vocabulis uſus fuerit, adeò, ut quidam ſub ambiguitate in primis eum ſe, velut ſepiam ſub atramento, occultaſſe aſſerere non dubitent. Ita νόμος nunc ei legem,

legem, nunc opinionem significat, quod cum multi non animadvertissent, in explicando loco I.Ethic.I. quem citavimus supra §. XIV. multum se torserunt, νόμ☉, legem vertentes, cum opinio reddi deberet. Similis est ratio vocis, ὄνομα. Nam & hæc apud Philosophum non eodem accipitur modo. Nempe nunc pro *parte orationis qualicunque* eam usurpat, quomodo & verbum nomen vocat lib. de Interpr. cap. III. §. 6. (quæ significatio vocis hujus etiam apud Apollonium occurrit lib. I. cap. III. ubi apertè dicit, *orationis partes nomina* vocari) aliàs autem illud *verbo* opponit, ut lib. de Interpret. cap. I. §. 6. Adhuc magis verò ambigua apud eundem est vox λόγ☉. Ea enim nunc διάνοιαν significat, ut lib. VI. Ethic. cap. *XII.* ubi principiorum primorum νῦν sive *intellectum* esse dicit, *non λόγον*: nunc *orationem*, ut in definitione propositionis lib. I. Prior. cap. I. §. IV. necnon syllogismi §. VIII: nunc *argumentationem*, quæ non syllogismum solùm sub se comprehendit, sed & inductionem, ut lib I. Post. I. §. III. I. Topic. *XII.* §. I. lib. VIII. cap. XII. §. I. IV. IX; nunc *definitionem*, ut lib. Categ. I. §. I. IV. Top. I. §. VI: nunc *demonstrationem*, ut lib. IV. Met. VI, ubi non omnium dicit esse λόγον h. e. *demonstrationem*. Sed & pertinet huc locus ex I de Animâ cap. III. text. XXXVIII: λόγος πᾶς, ἢ ὁρισμὸς, ἢ ἀπόδειξις, *λόγος omnis aut definitio est, aut demonstratio.* Aliquando verò, quod & Simplicius observat in III. de Animâ non minus apud hunc Philosophum ponitur pro *causâ* προτάσει, seu *medio termino* demonstrationis, ut lib. I. de partibus anim. cap. I. ubi λόγ☉, id est, medius terminus à fine desumptus dicitur esse *principium in naturalibus & artificialibus.* Sed & pro medio termino syllogismi deliberativi ponitur in definitione artis VI. Ethic. IV: necnon prudentiæ cap. V. Libro de Poëticâ insuper cap. I. usurpatur pro *carmine*: in Rhetoricis autem lib. II. cap. *XX* pro *fabulâ*: denique & pro *disputatione* lib. I. Phys. cap. III. lib. III. de cœlo cap. XI.

lib.IV. cap.IV.lib.IV.Metam.cap.IV. & alibi passim. Sed nec omittendam esse putamus variam significationem vocis, *necessarii*, occasione loci ex lib. de arte Poëticâ cap. VII. ubi Aristoteles ita loquitur: *Ut autem simpliciter præfiniamus, in quantâ magnitudine* κτ̀ τὸ εἰκὸς, ἢ τὸ ἀναγκαῖον, *juxta verisimile vel necessarium rebus deinceps factis, contingit in prosperam fortunam ex adversâ, aut ex prosperâ in adversam mutari, hic idoneus est magnitudinis terminus.* Hic quærat quis, quid illud, τὸ ἀναγκαῖον, sibi velit. In Tragœdiis enim, de quibus illic Philosopho sermo est, nihil necessariò fit, sed omnia ad lubitum Poëtæ. Verum si quis advertat hîc, quod Aristoteli necessarium quid dicatur dupliciter, nempe *absolutè*, & *ex hypothesi*, ceu constat ex V.Met.V.& lib.I.de Partibus Anim.cap.I. facilis erit verborum ejus intellectus. Quamvis enim in Tragœdiis nihil sit simpliciter necessarium, nihil tamen prohibet, quo minus & illic necessarium reperiatur ex positione, hoc est, tale, quod posito altero necessario sequatur. Nisi enim ita vel ita imitetur Poëta, ut conditio materiæ subjectæ fert, officio suo satisfecisse haud poterit censeri. De voce εἴρων quoque notabile est, quod partim apud Aristotelem, partim aqud Theophrastum, auditorem ejus, occurrit. Videntur enim sibi contraria scripsisse, dum Aristoteles quidem lib.IV. Ethic. cap. XIII. fictionem cum dictorum, tum factorum, ἐπὶ τὸ ἔλαττον, *in minus*, Theophrastus autem in characteribus Ethicis fictionem talem ἐπὶ τὸ χεῖρον, *in pejorem partem*, definit. Verùm tollit contradictionem vocis ambiguitas. Nunc enim εἴρωνες Græcis vocantur, qui *de se* semper *intra modum* loquentes, potiùs sibi ea bona, quibus instructi sunt, *demunt*, quàm ut sibi *tribuant* quicquam alieni, quod εἰρωνείας genus admodum familiare olim erat Atheniensibus, adeò, ut Anacharsis hinc apud Lucianum de Gymnasiis ad Solonem: Τοῦτ' ἐκεῖνο ἦν ἄρα,

ὃ ἐγὼ

ὁ ἐγὼ περὶ ὑμῶν ἤκουον τῶν Ἀθηναίων, ὡς εἴητε εἴρωνες ἐν τοῖς λόγοις, *Hoc equidem erat, quod ego de vobis inaudieram, nempe vos in omnibus ferè sermonibus esse nasutos illusores.* Sed & alibi hâc ipsâ de causâ Lucianus εἰρωνείαν μυκτῆρα Ἀττικὸν, *nasum Atticum* vocat, nempe in Prometheo. Quale quid etiam apud Senecam Suasoriâ I. occurrit. Et hoc sensu etiam Socrates εἴρων dictus fuit, id est, *agens imperitum & admirator aliorum, tunquam sapientium*, interprete Quintiliano lib. IX. cap: III. Alio autem sensu εἴρωνες dicuntur, qui *simulare & dissimulare* quidvis didicerunt non per modestiam, sed suæ utilitatis ergò, & ut aliis incommodent. Quo sensu Aristophanes in Nebul. Act. I. scen. V. v. XIII. vocem usurpat, ubi εἰρωνείαν inter *gravissima convitia* ponit, videlicet his verbis: Μάσθλης, εἴρων, γλοιός, ἀλαζών. Ad qvæ verba Scholiastes Græcus: εἴρων πάντα παίζων ὑποκριτὴς εἰρωνευόμενος, *εἴρων idem est, quod omnia illudens, simulator cavillans.* Sed & à Julio Polluce lib. VI. Onomastici cap. XXVII. hæc, κόλαξ, καὶ βωμολόχος, εἴρων, χλευασμοῦ γέμων, χλεύης μεστὸς, χλευαστικὸς, & alia talia conjunguntur. Aristoteles igitur priore, Theophrastus autem posteriore vocem adhibuit sensu. Porro & ἀπόδειξις apud Aristotelem non eodem accipitur modo. Aliquando enim illa nihil aliud ipsi est, quàm syllogismus, constans ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus & causis conclusionis, ut definitur I. Post. II. §. VI, sive, ut uno cum eodem Philosopho §. V. dicamus verbo, syllogismus ἐπιστημονικὸς, *scientiam pariens:* nonnunquam autem hoc nomine ei venit probatio quævis, adeò, ut & signum ei hinc dicatur πρότασις ἀποδεικτικὴ ἢ ἀναγκαία, ἢ ἔνδοξος II. Prior. XXVII. §. 2. Neq; novum est, etiam aliis, vocem hoc sensu usurpare. Sic enim & Anonymus ille, qui de Rhetorica scripsit: Ἀπόδειξις, inquit, ἐστι, τῶν ἀμφισβητουμένων ἐν τῇ ὑποθέσει πραγμάτων εἰς ὁμολογίαν ἀποκατάστασις, *demonstratio est rerum controversarum proba-*

tio ad assensum perducens. Non parum quoque multis videtur obscuritatis inesse illis Aristotelis verbis, quæ reperi- "untur II. Rhet: Si unum contrariorum eam habet naturam, "ut aut esse aut fuisse possit, potest id probabiliter etiã de alio "colligi. Causa est, quod non intelligant plenè, quo sensu hîc accipiatur τὸ δυνατόν. Hoc enim ambiguum est, & interdum quidem tàm latè patet, ut comprehendat & id, quod necessariò fit vel est, & id, quod citra ullam necessitatem: interdum autem ad postremum tantum genus pertinet & necessario opponitur, Lib. de Interpr. XIII. & 1. Prior. III. Quod si priore modo in verbis adductis τὸ δυνατὸν acciperetur, falsum sine dubio esset, quod iis traditur illic. Non enim si ignis potest esse calidus, potest & frigidus esse, neque si moveri potest cœlum, etiam quiescere potest. Posteriore ergò modo vocabulum accipiendum erit, & ita verissimum est, quod ibi docetur. Nam hoc modo omne, quod potest esse, potest etiam non esse, ut fusè docet Philosophus lib. de Int. c. cit. I. Prior. XIII. & IX. Met. IX. Παρὰ γράμμα quoqve aliter accipitur in istis verbis lib. III. Rhet. c. XI. in quibus dicuntur esse scommata quædam παρὰ γράμμα. Ita enim nonnulli codices habent. Quemadmodum & paulò post dicitur: τὰ δὲ παρὰ γράμμα ποιεῖ οὐχ ὃ λέγει, λέγειν, ἀλλ' ὃ μεταστρέφει ὄνομα. Ubi παρὰ γράμμα nihil aliud significat, quàm parvam verbi, quod in litera positum est, commutationem, quæ alioqui παρονομασία vocatur, qualem esse ait in joco illo Theodori in Niconem Citharrœdum Thracem & à Thratta, servâ, procreatum: Θράττει σε, quod idem valere quidem poterat, ac, *perturbat te*: at ille expectationem decipiens, hóc dixisse intelligi volebat Θρᾶττη σε, *Thratta te*, scilicet genuit, sive servum produxit. Aliter vero in istis ex M. M. VI. εἰ δεῖ παρὰ γράμμα λέγοντα τὴν ἀλήθειαν ὡς ἔχει σκοπεῖν, παρὰ γράμμα idem est, qvod declaratio rei ex ipsa nominis notatione. Pertinet insuper huc & locus ex II. Phys. c. II. ubi, postea quam Philosophus osten-

ostendisset, quid finis sit, & Poëtam reprehendisset, eò, quod mortem finem dixisset, cujus gratiâ genitus esset, rationem subdit hanc: βούλεται γὰρ οὐ πᾶν εἶναι τὸ ἔσχατον τέλος, ἀλλὰ τὸ βέλτιστον, quod Thomas, Commentator aliàs Aristotelis haud infelix, ad Poëtam detorquet, ita illud exponens: *Vult enim Poëta, quod non omne ultimum sit finis, sed id, quod est ultimum & optimum:* qvum tamen βούλεται illic non ad Poëtam, sed ad finem debeat referri: neque, *vult*, vertendum sit, sed, *debet*, aut, *oportet*. Quo sensu voce Philosophus & lib. III. Ethic. I. (II.) est usus in verbis istis: τὸ ἀκούσιον βούλεται λέγεσθαι οὐκ εἴ τις ἀγνοεῖ τὸ συμφέρειν, *Invitum non debet dici, si quis utile ignoret.* Non enim ignorantia, quæ ex prælectione est, causa est inviti, sed improbitatis. Sed & Lucianus eodem sensu utitur voce, cum in Prometheo scribit: καὶ ἔγω σοι τοῦτ' βούλεται εἶναι ὁ προμηθεύς, *& si tibi hoc indicare debet Prometheus.*

LXVI. Naturæ quoque vocabulum est ambiguum. Aliquando enim nihil aliud eo notatur, quàm ipsa rei forma sive essentia V. Met. IV, quæ communis est toti speciei. Quâ ratione vox accipitur, cum gravia dicuntur naturâ deorsum, levia sursum ferri: interdum verò vox illa usurpatur pro temperamento sive complexione hujus vel illius individui, quo sensu vox hæc sumitur, cum quidam dicuntur natura perspicaces, animosi, agiles; alii hebetes, fatui, timidi, segnes: aut in universum hic ad virtutem, ille contra ad vitia naturâ propensus. Quò pertinet & locus ille Maximi Tyrii ex Dissert. XXII: Πέφυκε τὸ ἀνθρώπινον πᾶν ἐξ ἀρχῆς δίχα, τὸ μὲν εἰς ἀρετῆς ἐπιτηδειότητα, τὸ δὲ εἰς μοχθηρίας· ὧν ἡ μὲν μοχθηρία, ἐνδεὴς τοῦ κολάζοντος· ἡ δὲ ἀρετή, τοῦ σώζοντος, *Omnes homines naturâ propensi* „ *nascuntur aut ad virtutem, aut ad improbitatem. Quarum alteram fas est reprimi, alteram conservari.* Μοχθηρᾷ μὲν γὰρ φύσις τυχοῦσα ἐπιστάτου χρηστοῦ, νόμου καὶ ἔθους, τὸ ἄλυπον τῷ πλησίον προσεβάλετο, καὶ πλεονεκτεῖ οὐκ ἐν μοίρᾳ ἀγαθῶν, ἀλλ' ἐν ἐλαττῶσι

βλάπτης, *Naturæ enim improbæ probus si contingat Rector, qualis lex aut consuetudo est, semper vicinam partem mali efficit immunem: beatusq́ est hactenus, non ut in bono excellat, sed ut minus habeat mali.* Αἱ δ᾽ ἄρισται ψυχῆς φύσεις, ἀμφισβητήσιμοι ἐν μεθορίῳ τῆς ἄκρας ἀρετῆς, πρὸς τὴν ἐσχάτην μοχθηρίαν καθωρμισμέναι, δέονται ξυναγωνιστοῦ Θεοῦ καὶ ξυλλήπτορος τῆς ἐπὶ θάτερα τὰ κρείττω ῥοπῆς καὶ χειραγωγίας, *At verò, quæ naturam meliorem sortitæ sunt animæ, in medio virtutis summæ, summæq́ improbitatis constitutæ, auxilio subsidioq́ Dei opus habent, qui ad alteram illam meliorem partem ducat eas atque impellat.* Pertinet quoqve huc, quod Plato habet in calce lib. III. de Republ. de *auro, argento, ære, ferro à Deo hominum animis in eorum generatione admixtis.* Dubium enim non est, quin hîc respiciat ad complexionem cujusque, sive temperamentum, quo instructus est jam inde ab ortu, quodqve hâc ipsa de causa vocari solet naturale. Atque posteriori hoc significatu naturæ vocem usurpat Aristoteles lib. I. Polit. V. qvum qvosdam servos dicit naturâ, id est, ex conditione temperamenti, quod tàm stupidos eos reddit, ut non sint idonei, qui regant se ipsos, nedum alios, sed ductore perpetuo habeant opus, de quibus aliquid jam dictum supra, numero vielicet primo. Atque his sunt oppositi, qui ex conditione temperamenti ingenium vivax, promptum atq; excellens habent, indeq; ad imperandum sunt nati, quibus se annumerat Themistocles aud Plutarchũ, in vitâ ejus. Ineundem scopulum impingunt, qui semen excrementum esse dicunt ex sententia Aristotelis, quia scilicet περίττωμα illud vocat I. Gen. An XVIII. At περίττωμα non semper excrementum significat, sed aliquando in genere idem nota , quod superfluum, quomodo hanc vocem reddidit & vetus Interpres sectionis X. Problem. VI. Simile quod dicendum de illis, qui ex eo, quod Philosophus III. Ethic. I. dicit, id, quod fit voluntate coacta, (ita enim verba ejus exponunt) quale

quid

quid est, si quis in itinere incidens in latrones, mortem ipsi intentantes, nisi certa pecuniæ sũma vitam redemerit, hanc solvat: item, si nauta obortâ tempestate, ut naufragii periculum evadat, merces in mare abjiciat, esse ἁπλῶς invitum, colligunt voluntatem coactam, ut vocant, non esse voluntatem. Cum enim hoc non sit invitum per ignorantiam, ajunt sequi inde, quod sit invitum per vim. At hoc, definiente Aristotele eodem loco, est, cujus principium est, ita ut nihil conferat is, qui agit aut patitur: conferret autem aliquid, si vellet. Nempe decipiuntur illi ambiguitate vocis ἁπλῶς. Hæc enim non eodem sumitur modo, sed interdum idem est, quod κυρίως, veluti, cum de eo usurpatur, quod est primum in aliquo genere, cujus exemplum habemus I. Post. II. §. 2. ubi, quid sit ἁπλῶς scire definitur. Ἁπλῶς enim ibi Alexandro interprete est τὸ κυρίως δηλωτικὸν, & scientiam designat summè perfectam. At aliquando idem designat, quod μοναχῶς i. e. solitariè, separatim vel seorsim. Quo sensu, quin Aristoteles l. c. usus fuerit hâc voce, vix dubitari potest. Neque enim idem ipsi significare potest, quod κυρίως, ut illi interpretati esse videntur, quoniam expresse ait, hæc talia magis esse spontanea, quàm invita. Itaq; non potuit existimasse, quod ea perfectè & summè sint invita. Quomodo enim fieri potest, ut ei, quod summè est tale, contrarium magis competat? quomodo, inquam, fieri potest, ut id, quod summè est calidum, magis sit frigidum, quam calidum? Impossibile hoc esse quivis videt. Quod autem alter, quem diximus, sensus sit istius loci, tota verborum series satis evincit. Hoc enim indicare vult Philosophus, ea, quæ coacti aut metu majoris mali facimus, posse duobus modis considerari. Primo quidem in se, non habita ratione circumstantiarum, & sic invita esse asserit. Nisi enim naufragium timendum esset, nemo merces abjiceret; nec pecuniam quis latroni daret, nisi periculum vitæ subesset. Deinde autem considerari possunt, ut sunt in reipsa h. e. determinata & circum-

cum scripta περιστάσει quibusdam, quarum præcipua in allatis exemplis est certissimum vitæ periculum, & sic spontanea esse dicit. Eliguntur enim tum, quando aguntur, & nauta mavult mercium potius ac pecuniæ jacturam facere, quam vitæ.

LXVII. Lapsi quoq; ex neglectu ambiguitatis vocũ sunt Interpretes penè omnes in exponendo loco illo ex II. Rhetor. XIX. „Quorum partes possibiles sunt, etiam totum est. Et si totum „possibile est, etiam partes. Quẽ mox sequenti illustrat exemplo: Εἴπερ γὰρ πρόσχημα καὶ κεφαλὶς, καὶ χιτὼν γενέσθαι δύναται, καὶ ὑποδήματα δυνατὸν γενέσθαι. Trapezuntius enim illa ita transtulit: *Nam si lacinia & manica, cæteraq́ partes fieri possunt, & vestis quoqve tota.* Nec alium sensum expressit Hermolaus. Ast non memini me legisse ullibi, πρόσχημα usurpatum pro *laciniâ vestis*. Calceum potius designat, cum rebus vestiariis describendis aptatur, sicut & *Julius Pollux* observat genus illud esse calceamentorum, quum lib. VI. Onomastici c. XXII. scribit: ὑπόσχημα δ᾽ ἀνδρῶν ὑπόδημα μάλα εὐτελὲς, καὶ πρόσχημα πρεσβυτικόν, *Hyposchema, calcei viriles, valdè vulgares, proschema autem seniles.* Et Hesychius: προσχήματα, εἶδος ὑποδήματος ἐσχισμένον ἐκ τοῦ ἔμπροσθεν, πρόσχημα, *species calceamenti est ab anteriori parte scissi.* Nisi fortè utrobiq; πρόσχισμα potius sit legendum. Verùm nec κεφαλὶς *manicas* significat, sed *pileum*, capitis tegumentum. manicas autem Pollux quidem lib. VII. cap: XIV. χειρίδες, Xenophon verò lib. I. de instit. Cyri ψέλλια vocat. Denique nec ὑπόδημα *vestem* denotat, sed *calceamentum*. Quo sensu occurrit etiam apud Herodotum in Eratone his verbis: Τοῦτο τὸ ὑπόδημα ἔρραψας μὲν σὺ, ὑπεδήσατο δὲ ὁ Ἀρισταγόρας, *Hunc calceum tu quidem consuisti, Aristagoras autem induit sibi.* Lucianus quoque in Pseudologistâ eâdem significatione: καὶ ὁ μὲν κόθορνόν τινα εἶπεν, εἰκάσας αὐτοῦ τὸν βίον, ἀμφίβολον ὄντα τοῖς τοιούτοις ὑποδήμασιν, *Alius quidem cothurnum quendam appellabat, vitam illius compara-*

paratione hac perstringens, ut inconstantem & ambiguam, perinde ut calceamenti genus hoc est. Deniqve & Julius Pollux lib. VII. Onomast. cap. XXII. ubique ὑποδήματα ponit pro *calceamentis*. Atqve hinc Muretus aliter transtulit, nempe hoc pacto: *Nam si proschisma & cephalis, quæ calceamenti partes sunt, fieri possunt, calcei quoqve fieri possunt.* Ast in Græco non est πρόσχισμα, sed πρόσχημα. Quanquam nec πρόσχισμα pars calcei est, sed genus ejus. Nec facilè laudabitur locus apud probatum scriptorem, ubi κεφαλὶς partem calceamenti notet: capitis autem tegmen, veluti pileus est, notare passim observant Auctores, dicentes κεφαλὶς, idem esse, quod *capitium* aut *capital*, ut vocatur Varroni & Festo. Ex quo & simul facile est judicium ferre de translatione Riccoboni, quæ ita sonat: *Si obstragulum & ligula & solea fieri possunt, etiam calcei fieri possunt.* Ut quid nobis videatur, summatim dicamus, notum est, quod πρόσχημα in genere nonnunquam idem significet, ac *velamentum*, sive id, quod prætexitur, quo quid velatur, sive contegitur aut amicitur. Velut apud Thucydidem lib. III: τὸ σῶφρον τοῦ ἀνάνδρου πρόσχημα, *modestia velamentum est hominis effœminati.* Unde & Hesychius in Lexico: πρόσχημα, προκάλυμμα. Προκάλυμμα autem nihil aliud est, quàm *tegumentum*, sive id, quod prætenditur ad tegendum. Quâ significatione vox iterum apud Thucydidem lib. II. & alios occurrit. Sic ergò vertendus esset locus: *Si indumentum*, seu velamentum, quo tegitur homo, *fieri potest, & pileus*, (qui capitis integumentum est) *& tunica* (quâ tegitur media corporis pars) *& calcei*, quibus pedes amiciuntur. Qui sensus si retineatur, omnia sunt plana.

LXIIX. Ambiguitas quoq; imponit aliquibus, ut contradictionis arguant Aristotelem lib. de arte Poeticâ c. VII. ita scribentem: Κεῖται δ' ἡμῖν, τὴν τραγῳδίαν, τελείας, καὶ ὅλης πράξεως εἶναι μίμησιν, ἐχούσης τι μέγεθος. ἔστι γὰρ ὅλον καὶ μηδὲν ἔχον μέγεθος.

ὅλον δέ ἐστι τὸ ἔχον ἀρχὴν καὶ μέσον, καὶ τελευτήν, *Poſitum à nobis eſt, Tragœdiam imitationem eſſe actionis perfectæ, totiusq; magnitudinem aliquam habentis: ſiquidem & totum datur, magnitudine carens. Totum verò eſt, quod principium, medium & ultimum habet.* Hæc putant illi ſibi mutuo repugnare apertè. Nam ſi totum, inquiunt, tribus his partibus gaudet, quomodo totum eſſe poteſt, quod caret magnitudine? Simul ac enim partes dicimus, ordinem & ſitum inter ſe habentes, magnitudinem adeſſe affirmamus. At nimis clarum eſt, quod Ariſtoteli in poſtremis verbis non de quocunq; toto ſermo ſit, ſed de toto iſto, quod magnitudinem dixerat habere, & lib. V. Met. cap. XXVI. id eſſe ait, *quod continet contenta, ita ut ex illis ſit aliquod unum.* Quod autem paulò antè affirmaverat, eſſe & totum aliquod, carens magnitudine, id illuſtrationis ergò appoſuerat, rationem, quaſi in parentheſi, reddens ejus, quod dixerat, Tragœdiam eſſe imitationem actionis perfectæ, & totius, magnitudinem habentis. Hoc autem ſenſu cum accipitur totum, non ea amplius, quàm modo adduximus, gaudet ſignificatione, ſed eâ, quâ totum idem eſt, quod *perfectum.* Quo ſenſu vox hæc venit X. Eth. IV. (III.) ubi Philoſ. ait, *quædam* ita comparata eſſe, ut *nō ſtatim perfecta ſint, ſed tempus requirant ad perfectionem conſummatam*; ex quorū genere ait *templum* eſſe: nec enim illud totum ſimul fit, ſed ſecundum partes, quarum quæque tempore fit diverſo: aliorum autem eam dicit eſſe rationem, ut *perfectionem ſuam ſimul conſequantur*, ita ut in quolibet tempore ſint ὅλα καὶ τέλεια, *tota & perfecta*, veluti affici voluptate. τὸ γὰρ ἐν τῷ νῦν ὅλον τι. *Hoc enim quovis tempore totum quoddam*, hoc eſt, perfectum eſt. In Phyſicis quoque, videlicet lib. III. Phyſ. cap. IX. t. 64, *totum & perfectum* ait aut *idem omninò eſſe*, aut *naturâ inter ſe affinia:* quia in certâ ſignificatione non differunt, niſi λόγῳ habitudine, ſive ratione. Quod repetit lib. V. cap.

VII. text.

VII. text. 42. ubi τὸ τέλειον καὶ ὅλον inquit esse τοῦ ἑνός. At multa sunt perfecta, quæ magnitudine carent, ut unitas, punctum, νῦν, momentum, denique Deus ipse & substantiæ reliquæ immobiles omnes. Illud quoque vellicant nonnulli, quod Aristoteles citato ex lib. de arte Poetica loco non multò post de *ultimo* subjungit, videlicet, id tale esse, μετὰ δὲ τοῦτο ἄλλο οὐδέν, *post quod aliud nihil est*. Experientiam enim dicunt testari, nullum esse actionis genus ab hominibus profectum, cujus non sit actio aliqua sequens. Ast cogitare illi debebant, quod ultimum diversimodè dicatur. Nempe est aliquid ultimum simpliciter: aliquid in genere certo. Jam autem cum Aristoteles scribit, ultimum in actionibus humanis esse id, post quod aliud est nihil, intelligit id de eo, quod ad certam actionem spectat. Hoc ipso verò non negat, post illud sequi posse aliquid actionis, quod alterius sit rationis. Veluti, si quis per comœdiam imitari velit actionem aliquam, quæ referat homagium Regi alicui à subditis præstitum, simul ac ad terminum perventum est, quo actus ille clausus fuit, est & *actio hæc* absoluta. Etsi enim eam alia sequantur, non tamen illa ad homagii actionem pertinent, sed aliò sunt referenda. Sed & aliàs in Poëticâ passim Aristoteles voces easdem non eodem semper sensu usurpat. Veluti, cum alioquin ἔπος omne *carmen* significet, Philosophus tamen illic vocem hanc pro *heroico carmine* sumit lib. de arte Poëticâ cap. V, quum ait: *Epopœia temporis spatio non urgetur, quâ sanè libertate in Tragœdiis à principio non minus usi sunt*, quàm ἐν τοῖς ἔπεσι, hoc est, in *hexametris*, sicuti & Paccius transtulit. Neque Aristoteles primus est, qui voce ita est usus. Nam & Plato in Phædro eam adhibuit eodem sensu. Postquam enim dixisset: *Illud insuper animadvertendum, amatoris amicitiam non benevolentiâ ullâ, sed aviditate quâdam expletionis, quasi fame, constare*, subdit hexametrum hunc: ὡς λύκοι

ἄρνα φιλοῦσ' ὡς παῖδα φιλοῦσιν ἐρασταί, *Ut lupus ipse agnum, puerum sic ardet amator.* Paucis interjectis autem addit ista: *Audivisti, Phædre, carmina, ἔπη, me jam, non dithyrambos amplius canere*, hexametra, ut liquet, intelligens per ἔπη. Capite XI. autem in verbis istis: ἡ τοιαύτη ἀναγνώρισις καὶ περιπέτεια, ἢ ἔλεον ἕξει, ἢ φόβον, vocula ἢ idem quod, &, valere videtur, ut sensus hic sit: *Agnitio talis*, qualem scil. paulò ante descripserat, nempe ex qua ad amicitiam vel inimicitiam fit mutatio, unde felicitas provenit vel infelicitas, & maximè pertinet ad fabulam, *& misericordiam habet, & metum.* In definitione enim Tragœdiæ ambo hæc incluserat simul. Videntur ergò omninò & hic conjunctim esse accipienda. Neque novum est particulam ἢ pro, καὶ, usurpari, observante id etiam Simplicio in comment. ad IV. Physicorum. Cum enim exponit verba ista Philosophi text. 30: πάντα τόπον ἔχειν τὸ ἄνω, ἢ κάτω, ita scribit: πέμπτη τοῦ τόπου ἔννοια, τὸ διαφορὰς ἔχειν, τὸ ἄνω, καὶ κάτω, οὐχ ὅτι πᾶς ὁ ληφθεὶς ἄμφω ἔχει ταῦτα. ἔστι γὰρ ἀδύνατον, τὸ συνδραμεῖν εἰς ταὐτὸν τὰ ἀντικείμενα· ἀλλ' ἢ τῷ ἢ, συνδέσμῳ συμπλεκτικῷ ὄντι, ἀντὶ διαζευκτικοῦ ἐστὶν ἢ ἐχρήσατο. ἵν' ᾖ λέγων, πάντα τόπον ἔχειν τὸ ἄνω, ἢ κάτω, ὥσπερ Ὅμηρος τοὐναντίον τῷ, ἤ, ἀντὶ τοῦ καὶ, ἐχρήσατο, λέγων, ἢ νέος, ἠὲ παλαιὸς, ἀντὶ τοῦ νέος, καὶ παλαιός. *Quinta de loco notio est, quod differentiarum loco habeat supra & infra, non quod idem locus ambo habeat, hoc enim impossibile, quod opposita nequeunt in idem concurrere: sed quod conjunctione, &, usus sit pro disjunctione, vel quasi diceret, omnem locum habere supra vel infra, quemadmodũ & Homerus è cõtrario disjunctione, vel, pro conjunctione, &, usurpavit, dicens: Juvenis vel senex, pro, juvenis & senex.* Deniq; in Problematibus sect. V. probl. I. sequentia leguntur: *In inæqualibus motus, si fuerit brevis, laborem & molestiam creat, propterea quod mutatio vehemens sit & contraria:* ὅτι μὲν ἄνω, ὅτι δὲ κάτω, quod nonnulli verterunt *sursum & deorsum.* Ast redditur motus per viam inæqualem difficilis, etiamsi gibbosa hæc non sit,

sed

ſed plana, nihilominus tamen ex aliis cauſis obliqua. Rectius ergò illi ſentiunt, qui ἄνω ϗ κάτω, hîc reddunt *paſſim*, vel *undequaq;*, aut *vario modo*. Sic n. uſurpatus hic loquendi modus occurrit etiam apud Platonē in Gorgia, ubi hæc leguntur: οὐκ οἶδ' ὅπη στρέφεις ἑκάστοτε τοὺς λόγους ἄνω ϗ κάτω ὦ Σώκρατης. Apud Demoſthenem quoq; in Midiam ἄνω ϗ κάτω τοὺς νόμους στρέφειν eſt *quoq; verſus torqvere leges*. Nec minus apud Galenū I. Meth. medendi ἄνω ϗ κάτω μεταβάλλεσθαι, i. e. quod *juxta partes omnes mutari*.

LXIX. Cæterum neque hæc obſcuritas tanta eſt, quin remedium adverſus eam inveniri poſſit. Qvod ex parte vel ipſe nobis oſtendit Philoſophus, qui multorum nominum ambiguitatem diligentiſſimè expoſuit lib. V. Metaph. Sed non contemnenda fieri poſſet acceſſio: maximéque utile eſſet, ſi homonymiæ omnes in unum librum conferrentur, quo falſa, quæ in ambiguitate nominum latent, declinari poſſent. Adhibenda autem eſſet certa methodus, quam præſcripſit ipſe Ariſtoteles I. Topic. XV. Nempe primò ipſæ variæ ſignificationes eſſent colligendæ: deinde ſingularum ratio reddēda: tùm, quæ ſit potiſſima ſignificatio, annotādum: deniq; quæ illi conveniant, & quomodo cætera, quæ eadem nomine veniunt ad eam referantur, diſpiciendum. V. c. bonum dici variis modis, & aliter quidem de virtute, aliter de actione virtutis, aliter de divitiis &c. non ſolùm annotandum eſt, ſed & cauſæ adſcribendæ, nimirum hæc dici bona, quia ſunt qualitates, quibus benè quid affectum eſt ad actiones ſuas, ſeu officium proprium relatum: iſta, quia talem qualitatem efficiunt: illa, quia actionem, ad quam qualitas illa refertur, promovent, juvant, non impediunt &c. de quibus videndus eſt Ariſtoteles ipſe I. Rhet. VI. Πρώτως verò ϗ κυρίως bona dicitur ipſa actio, quippe, ad quam cætera omnia dictis modis referuntur, vel ut efficientia, vel ut promoventia, vel alia ratione. Oportet autem hic ante omnia perſpectam atque cognitam habere doctrinam æ-

quivocorum. Neque enim hæc unius ſunt generis, ut paſſim docet ipſe Ariſtoteles, veluti I. Ethic. IV. (6.) I. de Gen. & Corr. VI. VII. Phyſ. V. &, ex interpretibus, Boëthius, Ammonius & Simplicius comm. in Lib. Categ. cap. ¹. Summa totius doctrinæ eſt. Æquivocorum aliqua longè inter ſe diſtant, ita ut æquivoca illa dici in promptu ſit cuivis advertere. Facilius enim dignoſcuntur, quæ longius diſtant, nullamq; inter ſe affinitatem habent, velut facilius eſt equum diſcernere à lapide, quàm mulo. Talis æquivocatio eſt, cum morbus & ſidus quoddam cœleſte cancer, lex & offa jus dicuntur. Ariſtoteles hujuſmodi æquivoca VII. Phyſ. V. vocat πολὺ ἀπέχοντα, & I. Ethic. IV (6), æquivoca ἀπὸ τύχης, quod fortuito ſine certa ratione ſive citra conſiderationem ad plura ſignificanda rebus impoſita ſint. Nam cur ſirius canis appellatur, aut quæ hujus nominis excogitari poteſt ratio? Si ab Aſtronomorum fortuitâ impoſitione abieris, vix ulla. At quædam homonymia vicina ſunt & finitima, ita ut homonymia eorum non æque ab omnibus cognoſcatur. Alias vocantur æquivoca à conſilio, quoniam certo quodam conſilio, aut ob certam quandam rationem, idem nomen pluribus rebus impoſitum eſt. Cujus fundamentum eſt multiplex. Et primò quidem *memoria*; veluti, ſi quis filio avi ſui imponat ad hujus memoriam conſervandã, aut ab aliâ re denominet, ad ejus recordationem, ſicuti Sara filio ſuo unigenito nomen Iſaac imponebat, in memoriam riſus, cui anſam ipſe DEUS dederat Gen. XXI. 3, 6. Alterum fundamentum eſt *ſpes futurorum*. Quo pertinet, ſi quis ſpem concipiens de filio, quod futurus ſit inſignis Philoſophus, Platonem eum aut Ariſtotelem appellet; aut ſi quis ſperet, filium fore pium & DEI amantem, hâc de causâ Theophilum vocet. Tertium *fundamentum* eſt *ſimilitudo*. Ita homo vivus, mortuus, pictus eodem nomine veniunt ob figuræ ſimilitudinem: quoad hanc enim pictus & mortuus homo ſimiles ſunt vivo. Sic

ſangvis

sanguis in venis contentus & sanguis effusus: oculus animalis & oculus ligneus, manus abscissa & cum reliquis membris juncta æquivoce talia esse dicuntur IV. Meteor. ult. VII. Met. X. II. de Gen. animal. c. I. Quartum fundamentum est *ἀναλογία*, quæ est *æqualitas rationum inter quatuor ad minimum.* Quando enim æqualis est ratio primi ad secundum & tertii ad quartum, tum contingit interdum, ut nomen primi tertio aut tertii primo imponatur, nomen autem illud æquivoce de iis dicitur. E. gr. quemadmodum se habet medulla ad os, ita se habet id, quod est in medio arboris aut plantæ, ad arborem vel plantam, & hinc vocatur medulla plantæ, *ἀναλόγως* scilicet, adeoque æquivocè. Quod enim *ἀναλόγως* tale est, id simpliciter non est tale. Quintum fundamentum est *commune principium*, à quo cætera omnia habent, ut sint & esse dicantur. Tale æquivocum est medicum. Omne enim id, quod medicum esse dicitur, à primo aliquo, quod est ars medica, pendet. Velut homo dicitur Medicus, quia artem Medicam callet: culter autem Medicus dicitur, quo ceu instrumento utitur ars Medica, sive is, qui arte instructus est: porro scriptum Medicum appellatur, quod est de arte Medica, aut aliquo artis: diæta verò vocatur medica, quæ est juxta præscriptum artis Medicæ; denique potio medica nuncupatur, quæ ex ejusdem præscripto præparata est, II. M.M. XI. Et hâc de causâ quoque ejusmodi æquivoca vocantur *ὁμώνυμα ἀφ' ἑνὸς.* Denique sextum fundamentum unius nominis, quæ variis accidit rebus, est unus *communis finis*, ad quem omnia ista, quæ uno nomine appellantur, redeunt & referuntur. Hâc de causa sanum tribuitur diversis rebus. Ad sanitatem enim ceu ad unum comunem finem referuntur, quæ sana dicuntur. E. gr. animal quidem dicitur sanum, quia gaudet sanitate; cibus, quia sanitatem conservat; medicamentum, quia efficit aut restituit &c. IV. Met. II. Tale vocabulum quoque *ens* est, item *unum*, &

si quæ

si quæ sunt id genus alia. Atque hæc ferè de homonymis apud Aristotelem & paulò ante laudatos interpretes reperiuntur.

LXX. Sed fortassis adhuc aliæ quoque sunt causæ, ob quas nomen unius rei aliis imponitur. Nempe qualiscunque cognatio, sive affinitas plurium inter se id efficere potest. Ita, cum cohæreant inter se *causa* cum *effectu*, res *subjecta* cum *adjuncto*, *pars* cum *toto*, *genus* cum *specie*, inde fit, ut nomen *causæ* nonnunquam tribuatur *effectui*, & nonnunquam etiam nomen *effectus causæ*: rei *subjectæ* nomen *adjuncto*, & nomen *adjuncti subjecto*: nomen *partis toti* & nomen *totius parti*, nomen *generis speciei*: & nomen *speciei generi*. E. gr. *Effectui* tribuitur nomen *causæ* lib. I. Topic. XI. ubi quæstiones veritatis ponuntur pro quæstionibus Philosophiæ Theoreticæ. Finis enim, adeoqve causa, Philosophiæ Theoreticæ est veritas II. Met. I. *Effectus* nomen autem tribuitur *causæ*, cum Sol dicitur calidus. Non enim formaliter calidus est, sed ideò calidus dicitur, quia calefacit, aut alia calida reddit. Sed & alia quamplurima sunt exempla causarum & effectuum, quæ eodem solent nomine appellari. Velut apud Platonem crebrò vita dicitur & anima, & quod inde manat. Sic tonitrua, pluviæ, grandines & causam notant & effectum. Vocantur enim vulgò uno nomine tempestas. *Adjuncti* porrò nomen tribuitur *subjecto*, cum de accidente quidpiam dicitur, quod tamen subjecto propriè competit, v. gr. cum album moveri dicitur: non enim ipsum album movetur, sed subjectum, aut res, quæ est, aut dicitur alba. Unde & Aristoteles V. Phys. dicit accidentia moveri *per accidens*, quia scil. sunt in substantiis, quæ per se moventur. Atq; hinc παρώνυμα, qualia sunt, calidum, frigidum, album, nigrum, & similia, bifariam dici vulgò perhibentur. Vel enim materialiter accipi pro re, quæ calore, frigore, albedine, nigredine prædita dicitur: vel formaliter pro ipso calido, frigido &c. Sed & vocabula aliqua substantiva dupli-

duplicem hanc obtinent significationem. Veluti acies & formam disponendi exercitum notat, & ipsos milites ritè dispositos, sive locatos: & μέθοδος tàm rationem ac viam disciplinæ significat, qvàm disciplinam ipsam certa ratione dispositam. Præterea & *partis* nomen tribuitur *toti*, veluti cum syllogismus λόγος dicitur, sive ratio quæstionis: appellatur enim ita propter medium terminum, qui est pars, & quidem potissima syllogismi. *Totius* autem nomen *parti* assignatur, cum anima ponitur pro homine; item cum Aristoteles dicit, se egisse de hâc vel istâ re in Politicis, Ethicam intelligens, quæ prima pars est Politices. Deniqve *genus* & *species* eodem interdum nomine appellari vel in vulgus notum est. Nam & tertiana, & quartana, & ardens, & hectica uno nomine febris vocantur. Justitiæ quoq; vox & complexum notat virtutum, & speciatim virtutem unam V. Eth. c. I. διάθεσις quoq; & generaliter accipitur pro ἕξει & διαθέσει, & rursum specialiter pro alterâ specie, lib. Categ. c. IIX. πολιτεία itẽ vocabulum est, & generis & speciei. Quod & de voce σημεῖον est dicendum. Nam & hoc Aristoteli & generis nomen est, sub quo posita sunt signa & necessaria & non necessaria: & speciei, quâ ratione signum dicitur, quod τεκμηρίῳ sive necessario signo opponitur, atque ἀνώνυμον ante ab ipso fuerat vocatum lib. I. Rhet. cap. II. Locus occurrit lib. 2, Rhet. cap. 25. ubi hæc habentur verba: *Ex quatuor rebus ducuntur enthymemata. Et hæc quatuor sunt*, εἰκὸς, παράδειγμα, τεκμήριον, σημεῖον. Proprium insuper lib. I. Topic. cap. V. Philosophus & distinguit à definitione, & generalius usurpat, ita, ut hanc collocet sub illo. Quanquam idem etiam aliis auctoribus sit usitatũ. Veluti Ciceroni, qui in Topic: *Genus*, inquit, *est uxor. Ejus duæ formæ, una matrumfamilias: hæ sunt, quæ in manum convenere. Altera earum, quæ tantummodò uxores habentur, quâ in parte cum fuerit Fabia, legatum ei non videtur.* Quibus verbis duas uxo-

rum species agnoscunt, atque alteri generis tribuit nomen. Deniq; & Hermogenes in lib. περὶ στάσεων c. VII. τὸ ἀντιλήψεως ἀντίληψιν ponit, qvum ait: Ἡ δὲ ἀντίληψις διαιρεῖται περιβολῇ, μορίοις δικαίου, προσώπῳ, ὅρῳ, καὶ τοῖς ἑπομένοις τῷ ὅρῳ, μέχρι τῶν πρός τι, αὐτῇ τῇ ἀντιλήψει, μεταλήψει, &c.

LXXI. Quando ergò Aristoteles rei alicui nomen aliquod tribuit, cujus significatio non statim in promptu est, ante omnia attendere oportet ad id, cui nomen illud πρώτως καὶ κυρίως competat: dehinc autem advertendum, quomodo alterum istud ad hoc se habeat, num ei simile sit, aut κατ᾽ ἀναλογίαν respondeat, aut ab eo tanquam à causa pendeat, an verò ad illud tanquam ad finem referatur, & quomodo, num ut efficiens, an ut instrumentum, aut alio modo, & sic statim apparebit, quo consilio Aristoteles isti rei imposuerit tale nomen. Solet autem, quod inprimis observandum est, sæpissimè, cum de rebus differit, proprium nomen non habentibus, vocabula aliunde desumere, & rebus propositis propter cognationem quandam aut ἀναλογίαν, quæ his cum istis rebus, quarum nomina sunt propria, intercedit, accommodare, sicut videre est in voce στοιχεῖον, ἀναλύειν, ὅρου, συλλογισμοῦ, ἀντιστροφῆς, φαινομένων, ψευδογραφήματος, ἀπαγωγῆς, ἀποδείξεως, ἐπαγωγῆς, προβλήματος, προτάσεως, διαστήματος, σχήματος, & aliis sexcentis. Hoc ubi accidit, ante omnia videndum est, in qua disciplina hæ voces sedem suam propriè habeant, & quid ibi significent. Hoc enim si quis cognitum habeat, statim advertet, quid causæ subsit, cur Aristoteles vocabulum istud rei, de qua differit, accommodarit. E. gr. Vox στοιχεῖον propriè elementum designat, atque ex Physicis est desumptum, ubi στοιχεῖα dicuntur corpora simplicia, ex quibus in unum coëuntibus, tanquam ex materia, cætera corpora, mixta videlicet, sunt, inque ea resolvuntur. Inde verò translata vox in Grammaticam, etiam ab Aristotele de literis, vocalibus inquam, &

con-

consonantibus usurpatur, quod ad uniuscujusque dictionis compositionem concurrant, atq; in istas hæ omnes resolvantur. Nisi forsan putandum sit ex arte *militari* hanc vocem esse traductam, παρὰ τὸ στοιχεῖν, quod est *ordine aliquo incedere*, (ut paulo post dicemus,) quia certâ quadam ratione & literas ad dictionem constituendam dispositas esse oportet. *Syllogismi* autem vox desumpta est ex *Logistica* sive calculandi arte, ubi συλλογίζεσθαι idem est, quod summam colligere, συλλογισμὸς autem summa, quæ ex numeris additis resultat, quasi συλλογὴ τῶν λόγων, id est, collectio rationum vel numerorum. Hinc translata est vox in Analyticam & Dialecticam, ubi species aliqua argumentationis vocatur συλλογισμὸς propter insignem, quæ inter hanc & συλλογισμὸν in Logistica spectatur, analogiam. Quemadmodum enim ex datis numeris supputando summa ante ignota, aut dubia ac incerta, duci solet; sic etiam in syllogismo ex quibusdam datis aut clarioribus rectè dispositis elicitur conclusio ante dubia aut ignota. Porrò à Mathematicis mutuata est vox ἀπαγωγὴ, quâ Aristoteles lib. II. Prior. cap. XXV. utitur. Dicitur autem apud illos, teste Proclo lib. III. Comment. in Euclidem ad propos. I. lib. I. Elementorum, ἀπαγωγὴ μετάβασις ἀπ' ἄλλου προβλήματος ἢ θεωρήματος ἐπ' ἄλλο, οὗ γνωσθέντος, καὶ τὸ προκείμενον ἔσται καταφανές, *transitus à proposito problemate, vel theoremate ad aliud, quo cognito aut comparato propositum quoq; perspicuum evadit.* E.gr. Cum cubi duplicatio (utitur hoc exemplo ipsemet Ptoclus) proposita esset ad investigandam quæstionem, in aliud transtulere, quod illud propositum consequitur, ad duarum videlicet linearum inventionem, & sic ulterius quæsiverunt, qvonam pacto, duabus rectis lineis datis, duæ mediæ proportionales possent rereriri. Sed addamus his etiam vocabulum τερετισμάτων, quo Platonis ideæ Aristoteli veniunt lib. I. Post. XXII. §. 8, quod translata est ex Cytharœdia, ubi τερετίσματα

ματα, teste Philopono in comm. vocantur τὰ προψιάλματα τῶν κιθαρῳδῶν, ἅπερ ἀνάθεως ᾄδουσι δοκιμασίας ἕνεκεν τῆς ἀπηχήσεως τῶν χορδῶν, εἰ κατὰ τὸν προσήκοντα τῆς μελῳδίας λόγον ἐντέταvται; vel, ut in aliis libris legitur: τὰ προδιαψηλαφήματα τῶν κιθαρῳδῶν, τὰ ἀναθεν δοκιμασίας ἕνεκεν, τῆς ἀπηχήσεως τῶν χορδῶν γινόμενα, ἀσημά ἐλέγετο. &c. *praecantiones sive praelusiones citharædorum inarticulata, quibus periculum faciunt de chordarum sono, an, ut melodiæ ratio requirit, sint intensa.* His similes ait Philosophus esse Platonis ideas, quasi diceret, eodem Philopono interprete: οἱ περὶ τῶν ἰδεῶν λόγοι ῥημάτων εἰσὶ ψιλῶν διανοίας κενῶν. πῶς γὰρ οἷον τέ ἐστιν ἀνθρωπότητα αὐτὴν καθ' αὑτὴν ὑποστῆναι; *Sermones de ideis constant ex nudis verbis intelligentiâ vacuis. Nam qui fieri potest, ut humanitas ipsa per se consistat?* Φαινόμενα porrò quid sint, discendum est ab Astronomis, quibus hoc nomine insigniuntur, quæ in cœlo apparent, veluti sidera omnia, eorumq; ortus, occasus, distantiæ, conjunctiones, & id genus alia, sensibus obvia, quibus comprehensis hinc causas illi investigant. Scripsit olim de his talibus librum à Cicerone Latinitate donatum Aratus Poeta sub hac ipsâ τῶν Φαινομένων appellatione. Nec minus de Φαινομένοις librum posteritati reliquit Euclides. Sed & ipse Aristoteles hoc intellectu vocem usurpat I. Prior. xxx. §.3. Hinc autem eam transtulit etiam ad alia, veluti ad Philosophiam naturalem lib. I. de Partibus Animalium cap. I. ubi in *doctrina de animalibus* eodem modo *prius* dicit *consideranda esse* Φαινόμενα, hoc est, quæ primo sese offerunt sensibus nostris & apprehensu sunt facilia, *hinc verò demum investigandas esse & causas eorum, quæ multo sint difficiliores.* Sed nec negligenda vox κατηγορίας, quæ propriè ad *forum civile* pertinet, & idem est, quod *accusatio*, ut patet ex Julii Pollucis Onomastico Lib. IIX. c. VI. ubi sic scribit: κατηγορία ἐν ταῦτα τοῦ, ἢ αἰτία, καὶ, ὡς πλάτων, αἰτίασις ἢ δίωξις. κατηγορεῖν, αἰτιᾶσθαι, διώκειν

διώκειν

διώκειν, καὶ ἐλθύνειν, *Categoria nihil aliud est, quàm criminis postulatio,& secundum Platonem expostulatio & persecutio.* Κατηγορεῖν *autem est postulare, persequi, reum agere.* Hinc autem translata vox est in Philosophiam, ubi κατηγορεῖσθαι est *affirmari*, aut *prædicari de aliquo*, & quidem *breviter* atque *succinctè*, ad eum scil. morem, qui in judiciis & accusationibus usitatus est, ubi omnis litigantibus partibus præscinditur prolixitas. Unde & categoricè respondere idem vulgò est, quod breviter & nervosè, sine tergiversatione & prolixitate se expedire. Κατηγορία autem aliquando dicitur ipsa *affirmatio alicujus de aliquo*, ἀγόρευσις τινὸς κατά τινος, ut observat Ammonius Comm. in Isag. Porph. c. I. quæ significatio obtinet in I. Post. XX. §. 8. ubi Philosophus ait, quod in *categoriis*, id est, affirmationibus, *non detur progressus in infinitum*, sed quod sit & supremum aliquod & ultimum, in quibus sit consistendum, quod pariter in negationibus, quas categoriis opponit, ostendit capite sequente XX. Aliquando autem κατηγορία idem est, quod *modus prædicandi generalis*, quò aliquid dicitur de aliquo, substantia inprimis singulari, quæ omnium prædicationum basis & fulcerum est. Hæc enim sola non dicitur de alio, sed de eâ cætera omnia dicuntur, quanquam non uno eodemque modo, sed decem, nempe ad quæstionem *quid* sit, *quanta* sit, *ubi* sit, *quando* sit, *quomodo* se habeat, relata ad aliam substantiam, quid *agat*, quid *patiatur*, *ubi* sit, *quando* sit, quomodo *sita* sit, & quo *habitu* instructa. Et hinc decem dicuntur esse categoriæ, sive τρόποι & σχήματα τῆς κατηγορίας, ut vocantur V. Phys. VI. t. 31. V. Met. VII. I. Prior. XXXVII. Ordo autem eorum, quæ eodem modo prædicantur, per genera & species dispositorum non κατηγορία dicitur, sed συστοιχία, quæ vox ex arte militari est desumpta, in quâ στοιχεῖν dicuntur milites, *cum singuli ita locantur in serie, ut rectà deinceps à tergo consistant seriei ductores, & post ipsos stet Tergiductor, interjectis inter singu-*

los æqualibus intervallis, sicut docet Ælianus in Tacticâ suâ, c.XXVI. his verbis: στοιχεῖν λέγεται ἕκαστον ἄνδρα ἐν τῷ ἑαυτοῦ λόχῳ, τὸ ἐπ' εὐθείας τῷ λοχαγῷ καὶ τῷ οὐραγῷ, φυλάσσοντας τὰ ἴσα ἀπ' ἀλλήλων διαστήματα. Et Arrianus in suâ Tacticâ cap. XII: στοιχεῖν τὸ κατὰ βάθος τῷ ἐπ' εὐθείας εἶναι τοῖς οὐραγοῖς καὶ λοχαγοῖς, *Qui secundum latitudinem* (ita vocatur τὸ καλούμενον τοῦ μετώπου ἅπαν, ὃ ἐστιν ἐπὶ τοὺς οὐραγοὺς, ut idem paulò ante dixerat, quicquid est post frontem ad Uragos usqve) *directè inter se sunt conjuncti cum Uragis* (ducibus extremi agminis) & *Lochagis* (ductoribus primæ cohortis) στοιχεῖν *dicuntur*.

LXXII. Hæc qui non observat, qui, inquam, non attendit, aut ignorat, quæ sint propriæ vocum, quas aliis rebus Philosophus applicat, significationes, ei si ille obscurus fiat, mirum non est. Rationem enim applicationis nescit, quam si sciret, clarissimum ei appareret, quod nunc non parum ipsi videtur obscurum. Sit nobis exemplo vox στοῖχος usurpata in libro de Interpret. cap. X. §. 5. his verbis: *Quatuor itaq; erunt propositiones. Sunt autem hæ: Homo est justus. Homo non est justus. Homo est non justus. Homo non est non justus, quarum duæ affectæ sunt ad affirmationem & negationem, ut privationes* κατὰ τὸν στοῖχον, vel, ut vulgò legunt, κατὰ τὸ στοιχοῦν, *duæ verò non.* Quo loco licet Aristoteles satis perspicuè dicat, sibi propositum esse de numero repugnantium agere, Interpretes tamen ferè omnes, & quidem non Latini solùm, sed &, quod mirari subit, Græci mutato consilio locum exponunt de consecutione, de qua tamen posthâc demum disserere incipit, & quidem ex professo. Atque hinc admodùm in eruenda Aristotelis sententiâ se torquent. Ipse Ammonius obscuritate loci adeo fuit deterritus, ut non dubitarit scribere: Σφιγγὸς μὲν κελαινῆς κατὰ τὸν λυκόφρονος γῆρυν ἐκμιμούμενον. πολλὰ δὲ πράγματα τοῖς ἐξηγηταῖς παρέχων, τί ποτε ἐννοεῖ τοῦτο τὸ ῥησείδιον, *atræ sive obscuræ sphingis, ut Lycophronis verbis utar,*

vocem

vocem imitatur, magnaq́ interpretibus negotia faceſſit, quidnam paucula hæc verba ſignificent. At non adeò obſcurus eſt locus, modò attendatur propoſitum Philoſophi & proprietas vocis, στοῖχος, quâ hic utitur. Significat autem propriè στοῖχος quincuncem, velut apud *Ariſtophanem*: Ἔστην κατὰ τὸ στοῖχον, *ſteti ſecundum quincuncem*. Pauſanias quoqve eodem ſenſu: δένδρα ἐστὶ πεφυτευμένα ἐπὶ στοίχου, *in ordinem per quincuncem porrecta.* Imò & Xenophon in Oeconomico non alio ſenſu: Ἐπεὶ δὲ ἐθαύμαζεν αὐτὸν ὁ Λύσανδρος, ὡς καλὰ μὲν τὰ δένδρα εἴη, δι' ἴσου ἢ τὰ πεφυτευμένα, ὀρθοὶ δὲ οἱ στίχοι τῶν δένδρων, εὐγώνια δὲ πάντα καλῶς εἴη. Quæ verba Cicero in Catone ita tranſtulit: *Cùm autem miraretur Lyſander & proceritatem arborum & directos in quincuncem ordines, & humum ſubactam atque puram, &c.* Sed & Demoſthenes in oratione adverſus Nicoſtratum: καὶ τὰς ἀναδενδράδας ἐξέκοψε, καὶ φυτευτήρια ἐλαιῶν περὶ στοίχων κατέκλασε; *Arbuſtivas vites excidit, & oliveta per quincuncem digeſta confregit.* Dicuntur autem in quincuncem directa, quæ terna ſic poſita ſunt, ut æqualium laterum trianguli faciant formam. Veluti cùm arbores ita conſeruntur, ut primus ordo cum ſecundo hujusmodi efficiant formam. ⁘ Quo ſenſu vocem quincuncis uſurpat apud Varronem lib. I. de re ruſticâ c. VII, Scrofa, ita ſcribens *De forma culturâ hoc dico; quæ ſpecie fiunt venuſtiora, ſ qui, ut majori quoq́ fructu ſint, ut qui habent arbuſta, ſi ſata ſunt in quincuncem propè ſint ordines atque intervalla modica* Columella quoqve lib. III. de re Ruſticâ cap. XV: *Hæc in quincuncem vinearum metatio expeditiſſimâ ratione conficitur.* Deniqve, ut alios nunc prætereamus, & Quintilianus lib. IIX. Inſtitnt. Orat. cap. III: *Nullusne etiam frugiferis adhibendus decor? Quis negat? nam & in ordinem certaq́ intervalla redigam eas arbores. Quid illo quincunce ſpecioſius? qui in quamcunque partem ſpectaveris, rectus eſt. Sed protinus in id quoque prodeſt, ut terræ ſuccum æqualiter trahant.* Ariſtote-

ſtoteles itaque ſumtâ metaphorâ ab arboribus, quæ ſeruntur in quincuncis formâ, docet, quod enunciationes prædicati infiniti & negationes ipſarum æquali gradu diſtent à privativis propoſitionibus, atque his oppoſitis negationibus. Quaſi dicat: Quemadmodum in quincunce duæ arbores æque diſtant à tertia in medio collocata: ſic affirmatio infinita ac negatio ejus, à privativâ & ejus negatione ex æquo diſtant, V. gr. æque diſtant hæ: Homo eſt non juſtus, homo non eſt non juſtus, ac illæ: Homo eſt injuſtus, homo non eſt injuſtus. Ut enim hæ habent prædicati loco privationem, ſic illæ habent ejusdem loco negationem, in quàm privatio reſolvitur. Aliæ verò duæ ex prædictis quatuor: Homo eſt juſtus, homo non eſt juſtus, ita ſe non habent, quia ſimplices ſunt & finitæ. Et id quidem expoſuit *Ariſtoteles*, quoniam aliquis potuiſſet exiſtimare, quod hujus affirmationis, *homo eſt juſtus*, eſſet negatio, aut hæc, *homo eſt non juſtus*, aut iſta, *homo non eſt non juſtus*, cùm tamen neutra harum ſit illius vera negatio, ſed hæc, homo non eſt juſtus.

LXX. Interdum autem homonymia ſatis aperta eſt, ut de ratione impoſitionis ſollicitos nos eſſe neceſſarium non ſit, ipſæ tamen variæ ſignificationes probè ſunt annotandæ, quod iis obſervatis multa in Ariſtotele loca, quæ contradictionis ſpeciem habent, nullo negotio poſſint conciliari. Sic lib. I. Phyſ. cap. V. t. 42. dicit *contraria non eſſe ex ſe invicem*. Et tamen non longe poſt prolixè docet, quicquid gignitur, è contrario gigni, ſed citra contradictionem. In priori enim loco per contraria intelligit ipſas qualitates contrarias, quas ex ſe mutuo eſſe negat. At in poſteriori loco contraria ipſi dicuntur, quæ contrarietatem habent, quæ ſignificatio inter alia etiam concurrit X. Met. IV. & lib. V. cap. X. Hæc dicit ex ſe mutuo fieri. Quod utique veriſſimum eſt. Quod enim

ante densum erat, per transmutationem fit rarum, licet densitas non fiat raritas. Nam & formæ non fiunt simpliciter, sed compositum fit ἁπλῶς, formæ autem non simpliciter, sed in alio VII.Met.IIX. Porrò lib.II.Phys.cap.VII. textu 73. docet primum movens φυσικῶς movere, & tamen mox dicit, non esse movens Physicum. Sed etiam hîc nulla est contradictio. Naturaliter enim movere dicitur dupliciter. Aliquando idem est, quod movere secundum naturam, sive moveat ut efficiens, sive ut finis, cui opponitur id, quod præter naturam movet. Etenim motus ille, quo finis allicit aut movet aliquid, ut actionem alicujus gratiâ suscipiat, est motus παρὰ φύσιν se habens, sed naturæ conformis. Interdum autem idem est, quod movere ad modum causæ efficientis, cum antea ipsum fuerit motum, veluti baculus movet navim, motus ipse à manu, & hæc baculum movet, mota ab anima. Illo modo primum movens naturaliter movet, hoc non item, uti Arist. eo ipso loco mentem suam declarat & uberius diducit IIX. Phys. & XII. Met. Eodem II. Phys. adversus Empedoclem disputat, asserentem, quod naturæ opera casu fiant, & tamen ipse fatetur, monstra esse peccata & lapsus naturæ. Inde & VII.Met. VII. quæ sine semine nascuntur, casu fieri affirmat. Et III. de An. XII. inquit: *Quæ naturâ sunt, propter aliquid sunt, aut casus eorum, quæ sunt propter aliquid.* Verum opera naturæ non eodem dicuntur modo. Aliquando enim à natura factum dicitur omne id, quod à movente naturali ex materia producitur, sive sit intentioni naturæ consentaneum, sive non. Et horum aliqua casu fieri nihil prohibet. Ea enim dicuntur casu fieri, quæ per accidens fiunt in naturalibus, veluti si alicujus corpori multi nævi aut verrucæ insint à nativitate, id fit per accidens & dicitur casu factum esse, quia factum ex necessitate materiæ, non finis. Aliàs autem naturæ opera dicuntur, quæ non solùm à natura sunt, sed & secundum naturam se ha-

bent, ut sunt, quæ speciei per se insunt. Quibus opponuntur ea, quæ casu fiunt: perinde, ut in artibus propriè opera artis dicuntur, quæ non solùm ab artifice facta sunt, sed & secundum artem, quibus opponuntur defectus ibi occurrentes. Jam Empedocles non solùm operibus naturæ in priori significatione adscribit, quod casu facta fuerint, veluti quod aër in superiorem locum secernatur, item quod partes animalium hoc modo sint factæ, teste Aristotele l.c. t. 44. Et in hoc ei merito Aristoteles contradicit. Porro in eodem II. Phys. IX. necessitatem absolutam impugnat: & tamen lib. VIII. videtur è natura contingentiam tollere velle. At nulla hic iterum contradictio. Quæ enim secundum naturam constituta sunt, neque simpliciter sunt necessaria, neque contingentia, sed necessaria ex hypothesi finis. Sicut enim in artificialibus, non quidem simpliciter necessarium est, domum esse, aut aliud tale, interim si debeat fieri domus, materiam talem adesse necesse est, ex quâ fieri possit domus: ita & carnem, os &c. fieri, non est ἁπλῶς necessarium, posito tamen, quod fieri debeat v. g. os, necesse est, ut talis vel talis adsit materia, quæ talibus gaudeat proprietatibus, veluti ut sit dura, adeoque & terrea: aliàs enim carnem fulcire non poterit, quod tamen proprium munus est ossis, quo illud, perinde ut alia instrumenta, seu suo munere, definitur. Quâ de re videndus est Aristoteles lib. I. Part An. I. Lib. VII. Phys. c. I. nititur probare, omne id, quod movetur, ab alio moveri: & tamen lib. IIX. c. IIX. animal à seipso moveri scribit. Verùm moveri à seipso æquivoce dicitur. Vel enim ita, quod idem moveatur à seipso, secundum se totum, & hoc fieri non posse probat Aristoteles priori loco: Vel ita, qvod idem moveatur qvidem à seipso, verùm non secundum totum, sed secundum alias atq; alias partes. Et hoc pacto dicit animal moveri à seipso. Movetur enim, quoad corpus: movet autem secundum animam. Lib. VIII. c. V. quinquies statuit non licere in

re in infinitum progredi: & nihilominus tamen tam multis stabilire nititur illam sententiam, continuum esse divisibile in infinitum. Verùm infinitum aliud est actu, aliud potentiâ. Actu infinitum non datur; ast potentiâ dari nihil prohibet. Nunquam enim in numeris ad finem pervenitur, sed semper addere licet plures unitates, idque in infinitum, actu tamen numerus infinitus non datur. Quâ de re sufficienter actum est lib. III, Phys. Lib. III. de cœlo c. III. ignem dicit non inesse ligno, neque potentiâ, neque actu: & tamen alibi contrarium docet; scilicet lignum, licet non actu sit ignis, esse tamen potentiâ. At si hoc intelligatur de potentiâ remotâ, illud de proximâ, non erit, super quo contradictionis optimus Philosophus arguatur. Vid. lib. IIX. Met. IV. Tandem lib. II. Gen. & corr. c. III. elementa facit corpora simplicia. Et tamen seq. capite t. 20: "Non est ignis, inquit, & aër & unumquodque prædictorum simplex, sed mistum." At loquitur hîc de igne culinari, deque aëre, in quo vivimus, referto vaporibus, quæ vulgus pro elementis habet, Aristoteles autem negat hæc elementa esse, idq; eâ ipsâ de causâ, quod non simplicia sunt: indeque & elementa non ignem, aërem, nuncupari vult, sed potius πυροειδὲς, ἀεροειδὲς &c. Nulla ergò in his similibus aliis locis est contradictio, etiamsi primo intuitu esse videatur, quod non eadem in utraque propositione sit vocum significatio, contradictio autem sit affirmatio & negatio ejusdem de eodem, ad idem, secundum idem, eodem modo, Lib. de Int. cap. VI. §. ult. & lib. Sophist. c. V.

LXXI. Cæterum non parum hoc observasse interest, quo in loco Aristoteles voce aliquâ utatur. Ex scopo enim, quem sibi propositum alicubi habet, sæpè manifestum est, quo sensu vocabulo fuerit usus. Veluti, si attendamus ad scopum, quem Dialectica & Rhetorica propositum sibi habent, facili negotio intelligitur, quid Aristoteles sibi velit lib. I. Rhet.

 cap. II.

cap. II. cum facultates istas dicit esse facultates parandi λόγους. Nempe per λόγους nihil aliud intelligit, quàm rationes ex ἐνδόξοις petitas. Ex his enim ambæ istæ concludunt: ex ἐνδόξοις simpliciter quidem Dialectica, ex endoxis autem secundum quid, qualia sunt, quæ consentanea sunt opinionibus civium, atque alio nomine πιθανὰ vocantur, Rhetorica. Quod cum à qvibusdam non attendatur, Aristotelis mentem pervertunt, & cum sibi, tum aliis, errandi occasionem præbent. E. gr. lib. Categ. c. V. dicitur, *substantiæ nihil esse contrarium*, quod quasi generaliter de omni substantia dictum esset, vulgò accipiunt. Unde & differentias substantiarum proprias contrarias esse negant, quod tamen doctrinæ Aristotelis è diametro est adversum, sicut ex multis locis videre est, velut ex VI. Top. VI. §. 2, ubi & de *omni genere* dicit, quod dividendum sit *differentiis*, qvæ sibi invicem *in divisione* opponuntur, puta contrariè. At explicat ipse V. Met. X, ubi hâc de causa contraria inter cætera ea esse dicit, quæ plurimum differunt, cum in eodem sint genere. Quod repetit Lib. X. c. IV. In I. quoq; Physicorum c. VI. t. 50. disertè ait, in omni genere uno unam esse contrarietatem, & statim addit: *Substantia* autem *unum quoddam genus est.* In II. de Gen. & Corr. c. IV. (V.): *Generatio*, inquit, *in contrarium & è contrario fit.* Omnia autem elementa inter se contrarietatem ex eo habent, quia differentiæ ipse contrariæ sunt. Et c. VIII. (IX.) t. 49: *Aeri terra & aqua igni contraria est, quantum substantiam substantia contrariam esse contingit*, nempe ratione differentiarum, quarum respectu homo quoqve & eqvus contrarii dicuntur. V. Met X. His autem non adversatur, quod in libro Categor. docetur. Ibi enim sermo est non de substantiâ in quacunque significatione, sed de composita solùm, ἣ καὶ τὴν γνῶσιν ἔχει ὁ πολὺς ἄνθρωπος, sicuti Ammonius ait in comm. non de simplici, qualis est forma substantialis & differentiæ substantiales, sive ad

τὸ ϖ

τὸ τί ἦν εἶναι substantiæ pertinentes. Toti autem substantiæ compositæ, quatenus illa secundum totum spectatur, nihil est contrarium, ut nec generibus, nec speciebus istiusmodi substantiarum, de quibus itidem eodem loco disputat Philosophus. Porrò lib. I. Rhet. c. I. Philosophus dicit Rhetoricam esse Dialecticæ ἀντίστροφον. Quæ vox cum varias habeat significationes, hinc fit, ut verba Aristotelis non eodem modo ab omnibus explicentur. Nonnullis enim ἀντίστροφον idem valet, quod ex altera parte, aut ex opposito respondens. Alexander, aut quicunq; auctor est Commentariorum in Topic. Aristotelis, ἀντίστροφον reddidit per ἰσόστροφον. Quod & Mirandulano placet VIII. Eversion. sing. certam. qui existimat Rhetoricam & Dialecticam unam esse specie facultatem. Et tamen hoc falsum est secundum Aristotelis doctrinam. Quî enim c. IV. lib. I. Rhet. dicere potuisset, quod Rhetorica sit ὁμοίωμα, similis Dialecticæ, si substantiâ cum illâ eadem est? Aliud enim est simile, aliud idem V. Met. VI. Ut taceamus lib. I. Topic. III. & alibi Philosophum disertè Dialecticam & Rhetoricam, ut distinctas, numerare facultates. Quod & facit I. Rhet. I. istis verbis: *Ex aliis quidem artibus nulla contraria syllogismus concludit. Dialectica verò & Rhetorica sola id faciunt*, ὁμοίως γὰρ εἰσιν ἀμφότεραι τ̃ ἐναντίων. Quomodo ἀμφοτέρας dicere potuit, si non sunt diversæ, sed una eademqve? Verum hæc obiter. Vox ἀντίστροφος autem, quam c. I. habeat significationem, intelligere non difficile est, si attendamus, quid aliàs Aristoteli aliisqve probatis autoribus hæc vox notare soleat, & præterea, quid isto loco intendat Philosophus, respiciamus. Ἀντίστροφα ergò passim dicuntur, quæ non planè quidem eadem sunt, sed tamen sibi invicem proportione respondent. Sicuti non inconvenienter radix diceretur esse ἀντίστροφος ori animalium, quoniam ut animalia ore, sic arbores radicibus assumunt, quo aluntur. Eodem sensu Musicam Plato in VII.

de Republ. dicit esse ἀντίστροφον τῆς γυμναστικῆς, quia quod in corporibus Gymnastica efficit, idem in animis Musica præstat. Plutarchus quoqve hoc sensu Poëticam ait ἀντίστροφον esse τῇ ζωγραφίᾳ, cum ποίησις, sit ζωγραφία φθεγγόμενος, ζωγραφία vero ποίησις σιγῶσα, in comment. de audiendis Poëtis. Deniqve Aristoteles hoc ipso sensu in IV. Politicorum ex quatuor Oligarchiæ generibus id, quod postremo loco posuerat, inquit esse ἀντίστροφον τῇ τυραννίδι ἐν ταῖς μοναρχίαις, καὶ τῇ τελευταίᾳ, ἐν ταῖς δημοκρατίαις. Et rursus in eodem libro, illud Tyrannidis genus, quod omnium pessimum est, ait ἀντίστροφον εἶναι τῇ βασιλείᾳ. Eandem vim si vox hæc in cit. quoqve ex Rhetoricis loco obtinere dicatur, res clara est. Quadrat enim hic sensus optimè ad mentem Aristotelis, qui isto loco nihil aliud intendit, quàm ostendere, quod Rhetorica convenientiam aliquam habeat cum Dialecticâ, aut similis ei sit, sicut exponit ipse cap. IV. Quid autem vetat, quo minus similitudinem hîc intelligamus secundum analogiam sive proportionem, quoniam quod Dialectica est in scholis, id Rhetorica est in foro, adeò ut non malè Dialectica dici possit Rhetorica Scholastica, Rhetorica autem Dialectica forensis.

LXXII. Ex *oppositis* quoqve apud Aristotelem adverti potest interdum haud difficulter, quis sit vocis alicujus ambiguæ sensus. Verbi causa, lib. de Poëtica capite primo de Epopœia dicit, quod solùm utatur τοῖς λόγοις ψιλοῖς, *sermonibus nudis*. Hîc quid per λόγους ψιλοὺς intelligatur, colligere est ex antecedentibus, ubi de differentiis imitationis agit, atqve eam ait fieri aut *rythmo*, aut λόγῳ sive *sermone*, aut *harmonia*, atqve his vel *separatis*, vel *mixtis*. Sermonibus ergò nudis uti hîc nihil aliud erit, quàm sermones adhibere harmoniâ ac numero carentes, sive sermones usurpare sine numero & harmoniâ. Quo sensu vox ψιλὸς etiam aliis auctoribus venit, ut nempe idem sit, quod χωρὶς, hoc est, seorsum, aut sine alio.

alio. Λόγους ψιλοὺς autem eo ipso, quem diximus, sensu usurpavit & Plato secundo de legibus, ubi ita invehitur in Poëtas: *Omnia & confusa cernunt, & distrahunt quoque Poëtæ*, ῥυθμὸν μὲν καὶ σχήματα μέλους χωρὶς, λόγους ψιλοὺς εἰς μέτρα τιθέντες· μέλος δ' ἂν καὶ ῥυθμοὺς ἄνευ ῥημάτων, ψιλῇ κιθαρίσει τε καὶ αὐλήσει προσχρώμενοι, *numerum quidem atque figuras à concentu seorsum, orationes nudas absque concentu, metricè componentes; atque etiam concentus & numeros absque verbis, nuda citharæ pulsationi & tibiæ sono accommodantes.* Sed & in Phædro idem eodem sensu: *Quare Lysiæ dicas, nos ad Nymphæ fontem Musarumque cœtum profectos, sermones quosdam audisse, qui dicere jusserunt Lysiæ, cæterisque orationum scriptoribus, Homero præterea*, καὶ εἴ τις ἄλλος ἂν ποίησιν ψιλὴν, ἢ ἐν ᾠδῇ συντέθεικε, *& si quis alius nudam poësie, vel cantu exornatam composuit.* Denique & in Symposio ψιλοὶ λόγοι, *nudi sermones, & sermones organa conjuncta habentes* opponuntur. Pertinet verò huc & ille Aristotelis locus ex IIX. Politicorum, quo Musicam, omnium consensu, dicit in rebus suavissimis esse habendam, & quidem non τὴν ψιλὴν solum, hoc est, eam, quæ *nuda* est, sed & eam, quæ est *cum melodia*. Non qualescunqve tamen sermones harmoniâ carentes Aristoteles per λόγους ψιλοὺς dicto loco intelligit, sed tales, quibus uti solet Poëta ad finem suum obtinendum, nempe ejusmodi, qui metris seu carminibus circumscribuntur Propositum enim illius est distinguere Poësin, præcipuè autem Epopœiam, à reliquis imitationum generibus, ex instrumentis, quorum interventu imitantur. Instrumentum autem, quod Poëta in imitatione adhibet, carmen est, unde & nomen habet. Ποιεῖν namque, à quo ille derivatur, propriè idem est, quod facere carmen. Unde sine illo Poëta non magis dici potest, quàm faber ferrarius, qui non malleo ferreo & incude, sed lapide aut ligno utitur ad clavum formandum. Nec alia causa est, cur Aristoteles lib. III. Rhet.

cap.

cap. I. de *numerosa oratione* Rhetorica agens, eamque à Poëticâ distingvens, *numerum* quidem illam habere dicit, ast non *carmen, quod aliqui ποίημα esset futura.* Reprehendit quoque ibidem Oratores, idque ideò, *quod orationes oratione Poëticâ* sive *carmine conscripsissent.* Sed & Plato in Phædro rursum sermonem Poëtæ à sermone idiotæ eo distingvit, quod ille carmine constet, hic non item: *Debemus*, inquit, *ô amice, Lysiam de hâc repercunctari, seu alium, quicunque aut scripserit aliquando, aut scripturus sit opus, sive civile*, sive ἰδιωτικὸν, *populare*, ἐν μέτρῳ quidem seu *carmine, ut Poëta*, ὡς ποιητὴς, *sine metro* autem, ἄνευ μέτρου, ὡς ἰδιώτης, *ut idiota.* Quibus congruit, quod idem quoque habet in Gorgiâ, ita scribens: Φέρε δὴ εἴ τις περιέλοιτο τῆς ποιήσεως πάσης, τό, τε μέλος καὶ τὸν ῥυθμὸν, καὶ τὸ μέτρον, ἄλλο τι ἢ λόγοι γίγνονται τὸ λειπόμενον; *Age utique, si quis auferat ex tota poësi concentum, & rythmum atque mensuram, aliudne quicquam præter sermones quosdam supererit?* In specie autem quod & Epopœia carmine constet, Philosophus in sequentibus totidem verbis inculcat, videlicet cap. XXIII. Absolutâ enim tractatione de Tragœdia tractationem Epopœiæ his orditur verbis: Περὶ δὲ τῆς διηγηματικῆς καὶ ἐν μέτρῳ μιμητικῆς, *De narrativa verò & metro constante imitatione ita habendum.* Per λόγους ψιλοὺς ergò dicto loco Aristoteles nihil aliud intelligit, quàm sermones, metricos quidem, numeris interim & harmoniâ carentes, quos infra ψιλομετρίας vocat, id est nuda carmina harmoniâ & rhythmo nudata. Neque obstat his, quod eo ipso loco addit, Epopœiam sermonibus nudis, ἢ μέτροις, vel metris, & his vel mixtis inter se, vel uno aliquo genere metrorum constare. Vocula enim ἢ expositionem præbet ejus, quod paulò ante præcessit, ut sensus loci hic sit: Epopœia constat sermonibus nudis, id est, carminibus solis. Quo sensu vocula hâc Philosophus utitur & alibi, veluti I. Post. cap. XXIII. §. 9, cum ait: *Est medium unum, cum factum est*

imme-

immediatum, καὶ μία πρότασις ἁπλῶς ἡ ἄμεσος, *& una propositio simpliciter, hoc est immediata.* Item lib. II. Rhet. cap. V, ubi metum ita definit: *Metus est* λύπη τις ἢ ταραχὴ ἐκ φαντασίας μέλλοντος κακοῦ, *molestia quædam, seu perturbatio ex phantasiâ futuri mali.* Non rectè itaque sentiunt, qui per λόγους ψιλοὺς, sermones nudos, loco citato intelligunt solutam, per μέτρα autem, sive carmina, ligatam orationem. Nam & quis unquam appellatus fuit Poëta, aut Epicus, aut generis alius solutâ scribens oratione? Contra autem multi à vulgo appellati sunt Poëtæ, qui carmine scripserunt, quod hoc scribendi genus & non aliud sibi vendicarent Poëtæ: etiamsi accuratè loquendi Poëta dicendus non sit, qui carmen non adhibet ad imitationem, veluti Empedocles & Lucretius, qui de rebus naturalibus carmine scripserunt, quod & ipsum observat Aristoteles lib. de Poëticâ c. I. Poëtica enim μιμητικὴ τέχνη ἐστὶ, sicut annotat & Plutarchus in commentario de audiendis Poëtis, *ars est imitatrix.* Alibi tamen non negamus λόγους ψιλοὺς etiam de soluta seu pedestri oratione usurpari. Velut in Menexeno Platonis, ubi Græcorum facinora deprædicans, his utitur verbis: Ποιηταὶ δὲ αὐτῶν ἤδη καλῶς τὴν ἀρετὴν ἐν μουσικῇ ὑμνήσαντες εἰς πάντας μεμηνύκασιν· ἐὰν οὖν ἡμεῖς ἐπιχειρῶμεν τὰ αὐτὰ λόγῳ ψιλῷ κοσμεῖν, τάχ᾽ ἂν δεύτεροι φαινοίμεθα, *Poëtæ illorum virtutem eleganter Musicâ celebrantes in omnes gentes divulgaverunt. Quare si nos eadem nudo sermone repetere nunc aggrederemur, fortè videremur illis esse secundi.* Sed & ipse Aristoteles nudos sermones metris opponit libro tertio Rhetoricorum capite secundo, qvum ita scribit: Ἐπὶ μὲν οὖν τῶν μέτρων πολλά τε ποιεῖ τοῦτο - - ἐν δὲ τοῖς ψιλοῖς λόγοις πολλῷ ἐλάττοσιν. Denique & Dionysius Halicarnasseus in lib. de collocatione verborum: Ἐν τοῖς λόγοις ψιλοῖς, inquit, οὐδὲ ποιήμασι, *in nudis sermonibus neque in poëmatibus.*

LXXIII. Ex *opposito* quoq; non difficile est colligere, quid

Aristoteles sibi velit per σκέψεις lib.1.Prior.c.XIII.§.7.quando de *contingentibus*, naturâ, ut sint, comparatis, ait, quod circa eas occupati sint λόγοι pariter & σκέψεις. Ambigua namq; & hæc vox apud Aristotelem est: plerumque tamen ab eo usurpatur pro accuratiori consideratione, qualis propria est scientiis, veluti lib.1.Ethic.cap. IX. ubi definire hoc, num felicitas sit δώρημα θεόσδοτον, *donum divinitus concessum*, ait proprium esse. ἄλλης σκέψεως, *alterius considerationis*, videlicet ad aliam quandam scientiam pertinentis, nempe ad eam, quæ *de providentia Dei* tractat, quemadmodum exponit Andronicus Rhodius in Paraphrasi scribens: Ἀλλὰ τὸ μὲν περὶ τούτων λέγειν, τὸ περὶ προνοίας ἂν εἴη λόγων, καὶ ἄλλης πραγματείας, *Cæterum de his accuratius velle inquirere, non est loci hujus, sed illius potius scientiæ, quæ de providentia agit.* Quod repetit etiam Eustratius, addens insuper & nomen scientiæ istius, qvum ait: *Certi quid eâ de re determinare*, τῶν περὶ προνοίας λόγων οἰκειότερον, καὶ θεολογικῆς θεωρίας ἐχόμενον. Non alio sensu hæc vox adhibetur etiam IV. de cœlo cap.II.text.7.& alibi passim. Sed & Platoni in libris de legibus σκέψιν πάντων ποιεῖσθαι est, quàm *diligentissimè & accuratissimè* quid considerare. Verùm hunc sensum in loco isto ex Prioribus Analyticis adducto vix habere potest. Opponuntur enim illic σκέψεις pariter & λόγοι scientiæ & syllogismo demonstrativo. *Scientia*, inquit initio, *& syllogismus demonstrativus non est eorum, quæ sunt indefinita, quia medium est inordinatum, sed eorum, quæ naturâ comparatum est, ut sint.* Et hinc subdit: καὶ σχεδὸν οἱ λόγοι καὶ „σκέψεις γίνονται περὶ τῶν οὕτως ἐνδεχομένων, Sed & λόγοι ac σκέψεις „ferè de his fiunt, quæ hoc modo contingunt. Jam autem σκέψις ista accuratior, cujus ante mentio facta, scientiæ est propria: ab ea ergò non potest distingvi: & consequenter σκέψεως vox hîc aliam habeat significationem necesse est. Nempe per σκέψεις pariter & λόγους Philosophus intelligit disputatio-

tationes, quæ ex endoxis proficiſcuntur. Nam & hoc ſenſu *σκέψεως* vox apud Ariſtotelem uſurpata quandoqve occurrit, veluti, I. Met. VI. ubi *σκέψιν* in ipſis *λόγοις* ſeu diſputationibus agnoſcit. Quamvis non fugiat nos, eſſe, qui per *σκέψεις* in Analyticorum loco privatas putent ſignificari conſiderationes, quas quiſpiam ſolus ſecum inſtituit, ſeu meditando, ſeu ſcribendo: per *λόγȣς* autem diſputationes, quibus rem aliquam cum aliis tractat, rationibus utens ſive *ἐνδόξοις*, ſive demonſtrativis. Nam & Cicero diſputationum agnoſcit duo genera lib. II. de officiis nũ. 35. quum de diſputatione loquens: „Alia, *inquit*, eſt illa, cũ veritas ipſa limitatur in diſputatione, „ſubtilitas: alia, cum ad opinionem communem omnis oratio „accommodatur. Sed & Ariſtoteles ipſe diſputationum meminit doctori cum diſcipulo intercedentium IIX. Topic. c. V. §. I. Verum hi ipſi ſunt *λόγοι ἀποδεικτικοὶ* ex propriis cujusque ſcientiæ principiis progredientes lib. Sophiſt. cap. II. §. 2. Magis ergò noſtra expoſitio quadrat ad Philoſophi mentem.

LXXIV. Deniq; ex oppoſitis etiam conjici quadantenus poteſt, quid Philoſopho huic lib. de Poëtica c. XXI. ſit *κόσμος*, ſive *ornatus*. Opponit enim *κόσμον* nomini proprio, lingvæ, metaphoræ, facto, protracto, & ſubtracto, nec non immutato, & quid horum unumquodqve ſit declarat, *κόσμȣ* autem nomine quid ſibi velit, non indicat, qvod argumento eſt, locum iſtum mutilum eſſe, quod crucem figit Interpretibus, ut quid *κόσμος* illic ſit, anxiè inquirant. Putamus autem id non difficile eſſe conjectare, ſi ad deſcriptionem reliquorum attendamus, & quid reliqvum maneat, ſpectemus. Vocat ergò Philoſophus *nomen proprium, quo utuntur ſinguli. Lingvam, quo diverſi. Metaphoram nominis alieni illationem. Factum, quod cum ab aliis uſurpatum non ſit, ipſe Poëta fingit. Protractum, quod longiori vocali conſtet, quàm ſit ejus propria, aut etiam ſyllaba adjiciatur*, ut ſi pro, *πολέως*, ponatur, *πόληος*,

aut pro, πηλείδου, πηληϊάδεω. *Subtractum, si quid auferatur, aut una syllaba ex geminis fiat*, ut si κρῖ ponatur pro κριθὴ, δῶ, pro δῶμα, aut pro ὄϊς, οἶς. *Immutatum, cum pars consueti nominis manet, pars verò fit*, ut si δεξίτερον pro, δέξιον, ponatur. His omnibus probè expensis, si quæratur porrò, quid remaneat nominis, quod sub istorum nullo contineatur, vix quicquam nominare licebit, præter nomen, quo vulgus quidem in nominandâ re haud utitur, nihilominus rei proprium sit, & quam maximè accommodatum, quod nihil obest, quo minus κόσμος sive ornatus vocetur, qui ipso nomine est in se spectato, neq; aliunde petitus, unde alioqui ornatus accedit nominibus aliis, veluti immutatis & metaphoricis, quorum illa ex immutatione, hæc ex translatione omnem ornatum habent. Juvantqve hanc expositionem & duo alii loci, quorum alter petitus est ex lib. III. Rhetoricorum cap. II. ubi hæc occurrunt verba: Τὸ δὲ κύριον, καὶ τὸ οἰκεῖον, καὶ μεταφορὰ μόναι χρήσιμοι πρὸς τὴν τῶν ψιλῶν λόγων λέξιν, *Proprium & domesticum, & translatio sola prosunt ad nudorum sermonum elocutionem.* Alter autem desumptus est ex lib. de Poëticâ cap. XXII. ubi hæc leguntur: Ἐν τοῖς ἰαμβείοις, διὰ τὸ ὅτι μάλιστα λέξιν μιμεῖσθαι, ταῦτα ἁρμόττει τῶν ὀνομάτων, ὅσοις καὶ ἐν λόγοις τις χρήσαιτο, *Jambicis carminibus, quod maximè quotidianum sermonem imitentur, cuncta illa conveniunt nomina, quibus rite quis in communibus sermonibus utatur.* Et mox subdit: Ἔστι δὲ τὰ τοιαῦτα, τὸ κύριον, καὶ μεταφορὰ, καὶ κόσμος, *Sunt autem talia, nomen proprium, & metaphoricum, & ornatus.* Quod ergò in Rhetoricis κύριον ὄνομα vocarat, id Poëtica κόσμον appellat: Sed satis etiam de obscuritate, quæ nascitur ex homonymia.

LXXIV. Hanc excipit alia, ex *amphibolia* ortum trahens, quæ in sententia consistit, sicut homonymia in singulis verbis aut modis loquendi. Interdum enim ita posita etiam ab Aristotele sunt verba, ut ambiguum sit, quò una atqve

qve alterâ vox sit referenda, quod & ipsum difficultatem non exiguam parit. Talis locus reperitur lib. Sophist. Elench. cap. XXV. §. 1. ubi Philosophus ostendens modum solvendi fallacias ex eo ductas, quod est simpliciter & secundum quid, ita scribit: *Argumentationes autem ex eo ducta, quod propriè dicitur hoc, vel quadantenus, vel alicubi, vel quodammodo, vel ad aliquid non simpliciter, solvenda sunt perpendendo* τὸ συμπέρασμα πρὸς τὴν ἀντίφασιν, εἰ ἐνδέχεται τούτων τι πεπονθέναι, quæ verba Julius Pacius & alii sic exponunt, qvasi Aristoteles significare voluerit, perpendendam esse *conclusionem collatam cum contradictione*. Ast ad conclusionem & contradictorium ejus non attenditur, nisi in Ignoratione Elenchi. Vitium autem fallaciæ à *dicto secundum quid* hæret non in conclusione, sed in præmissis cum conclusione junctis, in qvarum alterâ quid simpliciter, in alterâ secundum quid accipitur, veluti, si quis non ens esse dicat, idq; eò, quod sit opinabile. Aliud enim est esse simpliciter, aliud esse opinabile, quale quid etiam in non ens cadit. Aristotelis ergò hæc mens non est, quam illi ei tribuunt, sed hæc, contradictoriam conclusionis esse sumendam, eamque cum medio termino conferendam, & videndum, num reverâ contradictoria existant. πρὸς enim cum accusativo constructum, idem interdum etiam significat, qvod *pront*, ut sensus sit: Spectanda est conclusio πρὸς ἀντίφασιν, id est, habitâ ratione contradictoriæ ejus. E. gr. probet Sophista, puellam defloratam esse virginem, eò quod dicitur virgo vitiata. Hic dicit Aristoteles, ut vitium innotescat, sumendam esse conclusionis, *deflorata hæc est virgo*, contradictoriam, quæ est: *Deflorata hæc non est virgo*, & conferendam esse cum medio termino, qui est virgo vitiata, & videndum, num hæc, non esse virginem, & esse virginem vitiatam, sibi mutuo repugnent. Deprehenditur autem, quod non. Thamar enim post vitium ab Ammone ipsi illatum non erat virgo am-

 plius,

plius, erat tamen virgo vitiata. Item, probet Sophista, non ens esse, ideò, quod sit opinabile. Hîc iterum sumenda conclusionis contradictoria: Non ens non est, & conferenda cum medio termino, opinabile, & considerandum, num contradictoria sint *non ens* & *opinabile*. Advertitur autem iterum, quod non. Mons aureus enim non est, & tamen est δοξαστόν τι, opinabile quidpiam: quod opinio non minus sit non entis, quàm entis. Similis locus occurrit lib. I. Ethic. cap. XII, ubi docetur, quod felicitas non sit ex illis bonis, quæ dicuntur δυνάμεις, & neque laudantur neque vituperantur; neque ex illis, quæ digna sunt laude, ut sunt virtutes, sed ex illis, quæ superiora sunt omni laude, & admiranda potius ac colenda, quàm laudanda. Esse enim aliqua talia, manifestum esse, ait, ἐκ τῶν περὶ τοὺς θεοὺς ἐπαίνων, *ex Deorum laudibus*. γελοῖοι γὰρ φαίνονται πρὸς ἡμᾶς ἀναφερόμενοι. Hîc dubium est, quo referenda vox γελοῖοι, num ad superius proximum ἐπαίνων, an ad nomen θεοὺς, ad quod retulerunt illam vetus interpres & Argyropylus, qs. hæc mens Aristotelis esset: Dii fierent ridiculi, si ad nos referrentur h. e. nostra de causa aut ad honorem nostrum & utilitatem agerent, cum nostrum sit potius omnia ad illos referre. Ut fons hujus obscuritatis obstruatur, oportet rursus scopum, quem in istiusmodi locis præfixum sibi habet Philosophus, probè attendere, sed loca, si quæ dantur, ὁμόψηφα addere, & tum eum, qui aptior est, & magis congruit cum menti Philosophi, tum iis, quæ antecedunt & consequuntur, præferre. Quod si isto quoque, quem adduximus loco, fiat, non erit obscurum, quo vox illa, γελοῖοι, sit referenda. Commodior scilicet sensus erit, si ad vocabulum, ἐπαίνων, referatur. Hinc enim sensus emerget talis: Laudes, quæ vulgo Diis tribui solent, ut cum Jovem vocant κτήσιον, ἐπικάρπιον &c. ridiculæ sunt & multò infra ipsorum majestatem, cum referuntur ad beneficia, quæ ipsi in homines con-

tulerunt, quem sensum verbis subesse vult Muretus: aut, sicut alii volunt, ridiculæ essent laudes Deorum, comparatæ ad nostrum morem, hoc est, si ita laudentur Dii, ut homines solent, puta, quia castè aut justè egerunt. Quem sensum confirmat alius ex X. Ethic. IIX. locus, ubi ita legitur: Ἢ φορτικὸς ὁ ἔπαινος, ὅτι οὐκ ἔχουσι φαύλας ἐπιθυμίας; *an inepta* (hoc enim φορτικὸν significat, ineptum, vel abjectum, quo sensu vox quoqve sumitur, cum artes quædam dicuntur φορτικαὶ, nempe illiberales, quæ non nisi à vilissimis hominibus factitantur) *Deorum laus futura est, si quis eos ita laudet, quod malis cupiditatibus careant?*

LXXVI. Ulterius lib. IV. Ethic. cap. II. agens de sumptibus, quos facit vir magnificus, his utitur verbis: Ἔστι δὲ τῶν δαπανημάτων, οἷα λεγόμενα τὰ τίμια, οἷον τὰ περὶ τοὺς θεοὺς ἀναθήματα καὶ κατασκευαὶ, καὶ θυσίαι. Hîc quò vox ἀναθήματα sit referenda dubium est, num conjungenda sit cum iis, quæ proximè præcedunt, hoc pacto: οἷον τὰ περὶ τοὺς θεοὺς ἀναθήματα, uti Riccobonus fecit, qui ita transtulit: *Ut quæ ad Deorum donaria pertinent*, an distinguenda, & post vocem, θεοὺς, interjecto commate ponenda hâc ratione: οἷον τὰ περὶ τοὺς θεοὺς, ἀναθήματα, ut sensus sit: Vir magnificus impensas facit inter alia etiam in res Deo dicatas, ut sunt ἀναθήματα, κατασκευαὶ, θυσίαι. Quorũ posterius nobis videtur magis congruum. Dicuntur autem ἀναθήματα ea, quæ in ædes sacras sic reponuntur, ut ab omnibus profanis usibus penitus excludantur, ut sunt tabulæ, instrumenta Musica, arma, aut alia talia in templis è parietibus, aut tholis, vel palis *in Deorum honorem* suspensa. Quorum passim mentio fit apud Poëtas. Veluti apud Homerum Odyss. IIX: Κὰδ δ' ἐκ πασσαλόφιν κρέμασε φόρμιγγα λίγειαν, *suspendit autem è palo citharam stridulam.* Item Virgilium, qui Eclogâ VII: *Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.* Vid. idem Æneidos XII. Sed & Horatius III. Carm. Od. XXVI:

Nunc

Nunc arma, defunctumq; bello
Barbiton hic paries habebit.

Et lib.I.Ode V:

——— ——— *me tabulâ sacer*
Votivâ paries indicat uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

Rursus lib.II. Satyrâ I:

——— ——— *Quo fit ut omnis*
Votivâ pateat veluti descripta tabellâ
Vita senis.

Statius quoq; IV.Sylv. in Epist. ad Marcellum ait, finita Thebaide, suspendisse vittas Poëticas ab arbore. Denique & lib, VI, Epigrammatum de militibus hæc occurrunt:

Κνημῖδας, θώρηκα, σάκος, κόρυν, ἔγχος ἀθήνῃ·
Ῥοῦφος τεμβιάδης Γέλλιος ἐκρέμασεν,

Ruffus Gellius suspendit Minervæ ocreas, thoracem, scutum, galeam, hastam. De piscatoribus autem sequentia:

Νῆά σοι ὦ πόντου βασιλεῦ, καὶ κοίρανε γαίης
Ἀντίθεμαι Κράντος μηκέτι πημομένην,

Rex maris, & solidæ dominator maxime terræ,
Hanc tibi ego Crantus dedico naviculam.

κατασκευαὶ sunt structuræ vel ædes sacræ, veluti templorum, aut aliorum talium: aut etiam vasa pretiosa sacris ministeriis destinata. Κατασκευὴ enim nonnunquam & supellectilem significat. Θυσίαι denique sunt sacrificia Diis oblata, ut hetacambæ. Ejusmodi impensas, magnas & splendidas, in res sacras facit vir magnificus, quâ in re apud Athenienses excelluit Pericles, Romæ autem Imperator Augustus, prout Livius & Horatius testantur.

LXXVII. Deniq; lib.II. Phys.c.I. Aristoteles naturam definit hoc modo: *Φύσις ἐστὶ ἀρχή τις καὶ αἰτία τοῦ κινεῖσθαι, καὶ ἠρεμεῖν, ἐν ᾧ ὑπάρχει πρώτως καθ' αὑτὸ, καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκὸς, Natura est principium*

pium quoddam & causa motus & quietis, in quo est primum per se, & nõ ex accidenti. Hîc controversum est, quò referendum, καθ' αὐτὸ· Quidam referunt illud ad πρώτως, qui ideò definitionem hanc sugillãt, qvasi idem bis in eâ positum esset, cum τὸ καθ' αὐτὸ includatur in eo, quod πρώτως inest, sicut apparet ex I. Post. IV. Verum alii rectius illud referunt ad τὸ κινεῖσθαι καὶ ἠρεμεῖν, ut hic sit definitionis sensus: *Natura ei, cui primo inest*, h.e. rei, qua talis est, *principium est motus & quietis per se & essentiale.* Hoc enim requiritur ad naturam, ut sit principium rei internum, ita quidem, ut rei insit, non solum per se, sed & primò h.e. immediate & quâ talis est. Sic enim illud, πρώτως, solet usurpare Philosophus, ut I. Post. II. t. 5. Hoc pacto animali inest vis loco motiva, non per se solum, sed & primò, ac immediatè, corpori autem secundariò & per aliud: atque idcirco ea non est natura corporis, sed animalis. Animal enim secundum naturam tali modo, qui facultati loco motivæ conformis est, movetur, corpus autem sæpe præter naturam, IIX. Phys. t. 25. At hoc modo non statim inest omne illud, quod per se inest. In eo ergò, cui natura primò inest, ea principium est, & causa motus per se, ita ut ab hoc principio pendeat omnis motus, & omnis quies, rei, qua talis est, convenientes. Contingit enim ea, quæ moventur & quiescunt, moveri & quiescere, & per se & per accidens V. Phys. t. 1. Natura ergo est principium istius motus & quietis, quæ rei insunt per se. E.g. movetur animal deorsum motu recto per accidens. Non enim, in qvantum animal est, deorsum movetur, sed qvatenus corpus grave habet, cui per se inest hujusmodi motus: hujus autem causa est natura. Deniq; illud, *non per accidens*, licet adjectum sit uberioris explicationis gratiâ, videtur tamen adhuc amplius quid includere, quàm per se. Nempe indicat, omnem modum existendi per accidens auferendum esse à motu naturali. Nihil enim impedit, quo minus quidpiam ita sit per se, ut etiam per accidens sit, sed alio modo.

E.gr. Lignum per se, quippe durum, sustentaculum tecti esse potest, unde per se in trabem transit: at alio modo est per accidens, quia non hujus gratia à naturâ factum est lignum, ut tectũ sustentet, sed ut ramos & fructus: per accidens igitur est hæc potentia in ligno, ideoq; & per accidens tali motu movetur.

LXXIIX. Porrò, etiamsi textus in Aristotele varii non essent, nec nomina varia, nec significationes variæ, cum vocum, tum sententiarum, ea tamen est *sermonis proprietas* in hoc Philosopho, ut magnam sæpè iis, qui in lectione ejus nondum satis versati sunt, in assequendâ mente ejus, creet difficultatem. E.gr. Lib. de Interpret. c.ult. §. II. dicit, quod hæc enunciatio, πᾶν ἀγαθὸν ἐστὶν ἀγαθὸν, non differat ab illâ, τὸ ἀγαθὸν ἐστὶν ἀγαθὸν, quod nemo plenè intelliget, nisi ante perspectum habeat, quam vim articulus τὸ habeat apud Aristotelem, cum rei alicui præponitur. Aliud enim est ἀγαθὸν sine articulo, aliud τ' ἀγαθὸν, cum articulo, sicut ipse Aristoteles indicat I. Prior. XL. Nempe τἀγαθὸν significat ipsam rationem & formam boni (sicut exponit Philoponus) in quâ omnia singularia conveniunt: at ἀγαθὸν simpliciter idem valet, quod ἀγαθόν τι. Unde voluptas est quidem ἀγαθὸν, at non τὸ ἀγαθόν. Τὸ λέγειν ὅτι ἡ ἡδονὴ ἀγαθὸν ἐστὶ, τοῦτο σημαίνει, ὅτι ἀγαθόν ἐστιν ἡ ἡδονή. τὸ δὲ λέγειν ὅτι ἡδονὴ τἀγαθὸν ἐστιν, ὅτι πᾶς ἀγαθὸν ἐστὶν ἡδονὴ, ὅτι γένος τῶν ἀγαθῶν, ut habent verba Philoponi in d.l. *Dicere, quod voluptas bonum sit, idem est, quod dicere, bonum aliquid esse voluptatem. Dicere autem, quod voluptas sit ipsum bonum, h.e. quod omne bonum sit voluptas, quod genus sit bonorum.* Eodem modo Plato in Hippia majore distinguit καλὸν & τὸ καλὸν, & *hoc* quidem ait significare *id, quod communiter inest in omnibus pulchris, quoq; efficitur, ut hæc sint pulchra.* Cũ igitur prædicatum aliquod dicitur de subjecto, & huic articulus præfigitur, significatur, prædicatũ omni inesse, sub subjecto conten to. Velut cũ dicimus, ὁ ἄνθρωπος ἐστὶν ζῶον, indicatur, animalis rationem omni homini inesse, adeoq; idem innuitur per hanc propo-

propositionem, quod per illam indicatur: *O homo est animal.* At cum prædicatum non inest omni, sub subjecto comprehenso, articulum subjecto non adjungimus. Non enim dicimus, ὁ ἄνθρωπος ἐστὶ λευκός: sed, *aliquis homo est albus.* Aliquod tamen discrimen occurrit, si non rei, saltem rationis, etiam inter has propositiones: ὁ ἄνθρωπος ἐστὶ ζῶον, & πᾶς ἄνθρωπος ἐστὶν ζῶον, quod & Ammonius notavit in Comm. his verbis: Δεῖ μεμνῆσθαι --- ὅτι τὸ μὲν πᾶς ἐμφαίνει τὸ πλῆθος τῶν ὑπὸ τὸ καθόλου ὑποκειμένων ἀναφερομένων. τὸ δὲ ἑνικὸν ἄρθρον, τὴν πρὸς τὸ πλῆθος μίαν αὐτοῦ φύσιν. *Meminisse oportet, quod omnis quidem significat multitudinem eorum, quæ sub unum aliquod universale subjectum reducuntur, articulum autem in singulari naturam unam eandemq; â multitudine profectam.* Cæterùm non semper articulus istum, quem diximus, habet sensum. Aliter enim usurpatur, cum adjicitur iis, quæ sunt *univoca*, veluti animal, virtus &c. aliter autem, cum præfigitur iis, quæ dicuntur *communia* κατὰ πρότερον καὶ ὕστερον, *secundum prius & posterius.* In his enim articulus non significat naturam aliquam aut rationem communem, quam talia non habent, sed id, quod primum est inter vocis, cui articulus præponitur, significata. Quod τἀγαθὸν quoque loco ex I. Prior. adducto significare non dubitamus: licet aliter Philoponus statuat. Multis enim demonstrat Philosophus ipse, cum I. Ethic. IV. (VI;) tum I. Eud. ult. boni non esse unam communem naturam, sed esse illud ἐκ τῶν πλεοναχῶς λεγομένων, & quidem ex eorum numero, quæ dicuntur *secundum prius & posterius.* Sed & aliàs satis manifestum est τἀγαθὸν Aristoteli esse illud ipsum bonum, quod inter omnia bona summum est, sive simpliciter, sive in certo genere, veluti inter illa, quæ homini sunt bona. Hoc sensu venit vox hæc I. Ethic. II. ubi ita scriptum est: *Si quis igitur est finis rerum, quæ sub actionem cadunt, quem propter se volumus, ejusq; causâ cætera, nec omnia*

propter aliud eligimus perſpicuum eſt, hoc eſſe τἀγαθὸν, h. e. *ſummum & optimum*, ſicut ipſe etiam declarat, addens ſtatim, καὶ τὸ ἄριστον. Et hoc quidem bonum nonnulli inter veteres Philoſophos dicebant ipſam eſſe voluptatem, velut Eudoxus, de quo ſic ſcribit ipſe Ariſtoteles X. Ethic. II. Εὔδοξος μὲν οὖν τὴν ἡδονὴν τἀγαθὸν ᾤετο εἶναι, *Eudoxus putabat voluptatem eſſe ipſum bonum*, hoc eſt, inter omnia bona ſummum. Quanquam enim Euſtratius in comm. iſtius loci exiſtimet τἀγαθὸν eſſe ipſam eſſentiam boni, cujus participatione cætera dicantur eſſe bona, ex ſerie tamen verborum ſatis perſpicuum eſt, non de eſſentiâ aut ideâ boni, ſed de eo, quod inter bona ſummum eſt, Philoſopho ibi eſſe ſermonem. Denique & Alexander nobis ſuffragatur, qui in citatum ex I. Prior. locum ſic commentatur: ὁ μὲν ἀγαθὸν, τὴν ἡδονὴν λέγων, ἁπλῶς αὐτῆς κατηγορεῖ τὸ ἀγαθὸν, ὁ δὲ τἀγαθὸν λέγων, αὐτὴν τὴν ἐν τοῖς ἀγαθοῖς ὑπεροχὴν αὐτῆς κατηγορεῖ. *Qui voluptatem bonum quid dicit, ſimpliciter de eâ bonum affirmat. At qui ipſum bonum dicit, id quod excellit, inter omnia bona prædicat.*

LXXIX. Non minus notabile diſcrimen eſt inter id, quod ὅπερ ſimpliciter dicitur, & quod ὅπερ ἐκεῖνο, aut ὅπερ ἐκεῖνό τι. Ὅπερ enim eſt δηλωτικὸν τοῦ κυρίως, teſte Alexandro in III. Topic. & Suidâ in Lexico, qui ita ſcribit: Τοῦτο τὸ ὅπερ τοῦ κυρίως ἐστὶ δηλωτικὸν, καὶ ᾧ ἐὰν προστεθῇ, τὸ κυρίως εἶναι ἐκεῖνο σημαίνει, *Illud*, ὅπερ, inquit, *indicat idem, quod propriè, &, ſi rei alicui addatur, ſignificat, eam id eſſe propriè.* Ut ὅπερ ἄνθρωπος idem eſt, quod ὁ κυρίως ἄνθρωπος. ὅπερ ὄν, idem quod κυρίως ὄν. ὅπερ ἀγαθὸν idem, quod κυρίως. Addit: Τῶν κατηγορουμένων δὲ κατ' ἄλλου, ᾧ ἂν τὸ ὅπερ προστεθῇ, κυρίως ἐκείνου κατηγορεῖσθαι σημαίνει, καὶ τὸ εἶναι τὸ ὑποκείμενον κυρίως, ἐν τούτῳ δὲ καὶ τοῦτο, *Quod ſi præterea alicui eorum, quæ de aliis prædicantur, adjiciatur, ſignificat, illud propriè prædicari de ſubjecto, ipſum eſſe ſubjecti propriè in eo, verſari & hoc ipſum eſſe.* Quod hic ſenſus ſententiæ Ariſtotelis congruat, pa-

tet ex I. Post. XXII. §. 7. ubi ita Philosophus ipse: ἔτι τὰ μὲν οὐσίαν σημαίνοντα, ὅπερ ἐκεῖνο ἢ ὅπερ ἐκεῖνό τι σημαίνει καθ' οὗ κατηγορεῖται, *Praeterea quae significant essentiam, significant id, de quo praedicantur, nihil aliud esse, quam illud ipsum, vel illud ipsum quoddam, quod praedicatur.* Ubi ὅπερ ἐκεῖνο simpliciter significat integram ac propriã cujusq; rei essentiam, quae definitione explicatur, quo pacto homo est ὅπερ ζῶον λογικὸν, *ipsum animal rationale.* Neq; enim animal λογικὸν est, praeter hominem. Per ὅπερ ἐκεῖνό τι autem indicat id, quod est de ipsius rei essentiâ & συνωνύμως de ea dicitur, non παρωνύμως, quale quid genus est. Ex. g. justitia est ipsa aliqua virtus, rotunditas est ipsa aliqua figura, album est ipsum quoddam coloratum. Species enim non est ipsum genus simpliciter aut in universum, sed solùm pars ejus V. Met. *XXV.* Quod autem neq; ὅπερ ἐκεῖνο, neq; ὅπερ ἐκεῖνό τι (ex. gr. ut in ultimo exemplo persistamus, neqve ipsum coloratnm est, neqve ipsum qvoddam coloratum, sed solùm coloratum simpliciter) de ejus essentia tale quid (veluti coloratum) non est, multò minus ipsa est essentia, sed potius accidens ejus. Hoc enim semper dicitur καθ' ὑποκειμένου ἄλλου, *de alio subjecto* lib. I. Post. IV. §. 5. Quamvis verò & differentia sit de essentia rei, nec ea tamen ita se habet, ut subjectum dicatur esse ὅπερ ἐκεῖνο aut ὅπερ ἐκεῖνό τι, *illud ipsum quoddam*, quod est differentia, sed ὅπερ ἐκείνινόν τι potius, *tale quoddam*, sicuti Aristoteles de iis, quae ex materia fiunt, dicit, quod quando facta sunt, dicantur, οὐκ ἐκεῖνο, ἀλλ' ἐκείνινον. Exempli causâ statua non rectè lapis dicitur, sed lapidea VII. Met. VII. & lignum non terra, sed terreum *IX.* Met. VII. Materia enim de eo, quod ex illâ factum est, non dicitur συνωνύμως, sed ab eâ aliquid dicitur παρωνύμως, tale, v. c. à ligno arca dicitur lignea, à lapide limen dicitur lapideum. At eodem modo & differentiae dicuntur de eo, cujus sunt differentiae. Neqve enim ignis ex. gr. est ipsa siccitas aut caliditas, sed à siccitate ignis παρωνύμως dicitur

ſiccus, à calore calidus, & ſic deinceps. Tandem & ipſum ὅπερ ἐκεῖνο non eodem modo uſurpatur in univocis, atq; iis, quæ dicuntur *ſecundum prius & poſterius*. In illis enim ut ſignificat unam naturam ex æquo pluribus communem: ita in his denotat id, quod primò tale eſt, v. gr. ὅπερ ὄν, *ipſum ens*, eſt primum ens, Deus. Quod autem de voce, ὅπερ, diximus, idem & de vocabulo αὐτὸ eſt dicendum. Nam & ipſum uti in univocis communem naturam deſignat: ita in iis, quæ communia ſunt ſecundum prius & poſterius, ipſum primum declarat. Velut αὐτ' ἀγαθὸν, eſt ipſum ſummum bonum, cujus participatione cætera ſunt talia; & αὐτὸ ὄν; ipſum primum ens. Quod apud Platonem quoqve obtinet, cui, teſte etiam Juſtino in Dialogo cum Tryphone, Deus dicitur πηγὴ πάσης τῆς οὐσίας, καὶ αὐτὸ ἐκεῖνο τὸ ὄν, *fons omnis eſſentiæ, & ipſiſſimum ens*. Deniqve idem & de particulâ ᾗ, *quatenus*, aſſerendum. Nam & hæc aliter uſurpatur, cum univocis, aliter, cum communibus ſecundum prius & poſterius apponitur. V. c. animali adjecta vox hæc ſignificat ſermonem eſſe de ipſa eſſentia & natura animalis pluribus æqualiter communi: at ens quatenus ens eſt, ipſum primum eſt, quod ſimpliciter & πρώτως ens eſt, cum cætera ſolùm δευτέρως ſint entia, quatenus ſcilicet primum ens unumqvodqve pro naturâ ſuâ ac indole participat. Aliarum vocum, quas reduplicativas vulgò dicunt, eadem eſt ratio, deoque & idem de illis judicium ferendum.

LXXX. Pertinet quoq; huc vox, τι, quæ licet abuſivè interdum apud Philoſophum etiam aliis rebus aptetur, plerumq; tamen ei ſubſtantiam deſignat, quam ita paſſim vocat, eique opponit id, quod dicitur ποσόν τι ποιόν τι, πρός τι, & alia talia. Quo ſenſu non ſolum vocem uſurpat lib. VII. Met. I. lib. Categ. c. IV. & multis aliis locis, ſed & lib. I. Ethic. cap. VI. (IV.) ubi, poſtquam bonum per omnes categorias vagari dixiſſet, hinc inductione id declarat, atque ita orditur: Καὶ γὰρ ἐν τῷ τί λέγεται,

θεῖον ὁ θεὸς καὶ ὁ νοῦς. Ubi ſanè τὸ τι nihil aliud eſt, quàm ſubſtantia, quod & Euſtratius in Commentario advertit, ſcribens: τό τι ἐστὶν ἡ οὐσία. τὸ γὰρ τι ἐπὶ ὑφεστηκότος πράγματος λέγεται, οὐδεμία δὲ τῶν ἄλλων κατηγοριῶν, ἔχει τὸ ὑφεστηκέναι καθ' αὑτὸ καὶ μὴ ἐν ὑποκειμένῳ εἶναι, ἀλλ' ἡ μόνη ἡ οὐσία, *Illud τι ſignificat ſubſtantiam: quoniam de re ſubſiſtente dicitur. Nulla autem reliquarum categoriarum ſubſiſtentiam per ſe habet, & non potius eſſe in ſubjecto, ſubſtantia exceptâ.* Sed jam ante Ariſtotelem quoq; Plato in Theæteto diſtinxerat inter τό τι & ὁποιονοῦν τι. Interim nec τό τι, etiam, cum de ſubſtantiâ illud adhibet Philoſophus, ſimpliciter dicitur, ſed in iis, quæ naturâ conſtant, de eo plerumque uſurpat, quod aliàs ei τόδε τι audit. Unde, paſſim hæc duo non ſolùm conjungit, ut VII. Met. I. ſed & permutat, quod manifeſtum eſt ex collatione VII. Met. III. & VIII. Met. I. Τόδε autem ſubjectum notat, ſive materiam. Eſt enim nota ejus, quod ſub ſenſum cadit, & *quaſi digito monſtrari* poteſt, ut habet Alexander in VII. Met. Cui ſubſcribit & Simplicius in II. de Animâ dicens, τόδε eſſe ὡς ὑπὸ αἴσθησιν καὶ δεῖξιν πίπτον, quaſi *id, quod ſub ſenſum cadit, & oſtendi poteſt.* Nec aliter Ammonius, cujus ex Comm. in lib. Categor. cap. V. hæc ſunt: *Igitur τὸ τόδε quidem ſubjectum*, ὑποκείμενον, *ei, Ariſtoteli, notat.* δείξεως γὰρ ἐστι σημαντικόν, *Eſt enim nota ejus, quod indite digito monſtrari poteſt. Ambo enim definita ſunt, &* τόδε, ὡς δείξει ὑποπίπτον, *quaſi ſub oſtenſionen cadens: & materia, quæ manet eadem, omnibus, quæ in ipsâ ſunt, mutatis: ſiquidem lebes transfigurari & ſtatua fieri poteſt. & ſtatua rurſus figuram immutare & aliud quid fieri, ære nihilominus manente id, quod prius erat, quam lebes factus, aut ſtatua, aut aliquid iſtiusmodi eſſet.* Τὸ τόδε οὖν, καὶ τὴν ὕλην ὑποκείμενα καλεῖ, *Itaq; & τὸ τόδε & materiam ſubjecta vocat.* Quod & jam ante Ariſtotelem rurſum fecerat Plato. Sic enim ille in Timæo: Ἐν ᾧ ἐγγιγνόμενα ἕκαστα αὐτῶν φαντάζεται καὶ πάλιν

ἐκεῖ-

ἐκεῖθεν ἀπόλλυται, μόνον ἐκεῖνο αὖ προσαγορεύειν τῷδε τοῦτο καὶ τῷ τόδε προσχρωμένους ὀνόματι. τὸ δὲ ὁποιονοῦν τι θερμὸν ἢ λευκὸν, ἢ καὶ ὁτιοῦν τῶν ἐναντίων, καὶ πάνθ' ὅσα ἐκ τούτων, μηδὲν ἐκεῖνο αὖ τούτων καλεῖν, *Illud, in quo fieri singula hae*, elementa, *videntur, ac deinde dissolvi, solùm iis pronominibus, quibus hoc vel illud signamus, appellandum puto. Quale verò quodammodò, calidum scilicet vel album, vel aliquid tale, contrarium vel ex contrariis illud minimè appellandum.* Jam autem porrò materia in se, sive naturâ suâ, est indefinita VII. Met. III. Τὶ autem definitum quid & determinatum designat. Unde τὸ τόδε τι significabit subjectum definitum, sive determinatum. Determinatio autem materiæ fit per formam. Quò respiciens & Simplicius comment. in II. de Animâ ἐκ τοῦ εἴδους τὸ εἶναι ὡρισμένως καὶ τελείως ἐστὶ, *Ut perfectum quid & definitum esse habere dicatur, id est à specie sive formâ.* Atque hinc & benè Alexander in II. de Animâ: Οὐδὲν τόδε τι χωρὶς εἴδους, *Nihil τόδε τι est sine specie* sive *formâ.* Τόδε τι itaque erit idem, quod substantia composita ex materiâ & formâ. Quod non obscurè ipse docet Philosophus lib. II. de Animâ cap. I. text 2, & quidem his verbis: *Dicimus igitur unum quoddam genus eorum, quæ sunt, substantiam. Hujus autem aliud quidem, sicut materiam, quod secundum se quidem non est τόδε τι*, idq; διὰ τὴν ἀπλῆν καὶ δυνάμει, καὶ δεκτικὴν μὲν ὅρου, οὔπω δὲ ὡρισμένην οὐσίαν, ut habet Simplicius in h. l. *quod sit substantia imperfecta & potentiâ, capax quidem termini, neutiquam verò jam determinata. Aliud autem formam & speciem*, εἶδος, *secundum quam jam dicitur* τόδε τί. ὅρος γὰρ τοῦτο, (ita pergit Simplicius) καὶ τελειότης καὶ πρώτη καὶ καθ' αὑτὴν οὐσία, ἀλλ' οὐ τὸ ὁριζόμενον και τέλειον, καὶ ἡ καθ' ἕτερον οὐσία. *Terminus enim ipsa est & perfectio & prima ac per seipsam substantia: & non determinatum ac perfectum & substantiam recipiens atq; est per aliud substant a. Tertium autem,* subdit Aristoteles, est τὸ ἐκ τούτων, *quod est ex his,*

ma.c-

materiâ scilicet & forma. Atq; hoc ipsum, vult dicere, jam est id, quod τό δε τι vocamus. Est verò & substantia composita duplex, alia singularis, alia universalis, sive, ut auctor lib. Categ. c. V. loquitur, alia prima, alia secunda. Prima, ut Socrates, Bucaphalus, Melampus. Secunda, ut homo, equus, canis. Ex quibus ea, quæ digito monstrari potest, & sensibus occurrit, prima & singularis est, quam & hinc prædictus libri Categoriarum auctor laudato quinto capite §.16. τόδε τι significare dicit. Secundæ autem, quamvis itidem videantur significare τόδε τι, secundum σχῆμα προσηγορίας, *secundum modum appellationis*, accuratè tamen loquendo τόδε τι non designant, quia sub sensus & δεῖξιν, sive ocularem demonstrationem non cadunt: sed, siquidem ut *essentiam* significant, aut aliquid ejus, spectentur, τὶ ἐν τῷ δέ τινι notant, indeq; & ἐν τί ἐστι, sive ad quæstionem, quid sit, de singulari substantia prædicantur: si autem ut universale quid, sive unum in multis, ποῖόν τι potius, vel τοιόνδε. Notat enim hoc pacto nihil aliud, quàm similitudinem, nempe secundum essentiam, καθ' ἣν, ut Ammonius loquitur in Categ. V. ἐοίκασιν ἀλλήλοις, *juxta quam inter se communicant substantiæ primæ*, veluti οἱ ἄνθρωποι, καθό εἰσιν ἄνθρωποι, καὶ τὰ ζῶα, καθὸ ζῶα, *homines, ut sunt homines, & animalia, ut sunt animalia.* Quâ de re videndus est ipse Aristoteles lib. III. Met. cap. VI. lib. VII. cap. XIII. & lib. Sophist. Elench. cap. XXII. §.17. Quia tamen & secundæ substantiæ in ratione suâ materiam quandam includunt, (habent enim se caro, os, homo, non ut concavum, sed ut simum, quod & ipsum quidem concavum quoddam est, sed in certâ materiâ, videlicet naso lib. II. Phys. cap. II. text. 19.) hinc fit, ut & ipsæ suo quodam modo τόδε τι denotare dici queant, licet non τῇ αἰσθήσει, *secundum sensum*, tamen τῷ λόγῳ, *secundum rationem*, uti hæc distingvit Themistius in II. de Animâ. Atque hinc apud Philosophum τόδε τι passim etiam secundis sive universalibus substantiis aptatur, veluti VII. Met. I. & XIII.

I. de Animâ VII. & lib. I. de Gener. & corrupt. cap. III.

LXXXI. Hanc vocum proprietatem & ambiguitatem cum non attendant Scholastici, sæpè quæstiones haud necessarias movent, quibus & sibi & aliis non parum remoræ injiciunt, quò minus in lectione Aristotelis inoffenso pede progrediantur. E.gr. Lib. Categ. cap. II. Aristoteles in subjecto ait esse, ὃ ἔν τινι μὴ ὡς μέρος ὑπάρχον, ἀδύνατον χωρὶς εἶναι τοῦ ἐν ᾧ ἐστιν, *quod, cum alicui insit, non ut pars, nequit esse sine eo, in quo est.* Adversus hanc definitionem, quam ipsius accidentis esse vult, multa dubia movent illi, veluti de substantiâ corporeâ, itemque de formâ materiali, quarum illa in loco, hæc in materia, ita sunt, ut non sint illorum pars, nec tamen esse possint sine iis, in quibus sunt, & tamen nec substantia corporea est accidens loci, nec forma materiæ. At non movissent hæc dubia, si observassent, quæ sit propria vis particulæ τι, cujus mentio injicitur in istâ definitione, nempe, quod idem & illic significet, ac τὸ δέ τι. Hoc requirit enim Aristoteles ad illud subjectum, quod ut animal τοῖς πάθεσιν subjicitur, ut sit τὸ δέ τι, VII. Met. XIII: at tale certe est illud subjectum, de quo in definitione accidentis sermo est. Unde & Alexander in II. de anima ait: δεῖ τὸ ὑποκείμενον τῷ ἐν ὑποκειμένῳ ὄντι τὸ δέ τι εἶναι· Τόδε τι autem ostendimus Philosopho in propriissimâ significatione idem notare, qvod substantiam singularem, determinatam certâ specie seu formâ, quam aliàs substantiam primã appellat. Jam talis substantia materia non est, quæ actu speciem nullam possidet, sed quicquid est, potentiâ est, in se ἀόριστος *indefinita*, existens. Unde & disertè Aristoteles VII. Met. VII. eam in se spectatam, *neque* τι *esse* ait, *neqve* ποσὸν, *neque aliud qvidpiam eorum, quibus ens definitur.* Pariter nec locus est τι, sed tota cujus ratio, quatenus considera ur ut locus, consistit in σχέσει sive habitudine ad id, cujus est locus. Est enim πέρας, sive extremum & terminus, continens corpus. Terminus

nus autem est alicujus terminus, & quod continet, aliquid continet, scilicet contentum.

LXXXII. Ex eodem fonte, quod Scholasticorum plerique ignorant proprietatem sermonis Aristoteli usitati, quoqve fluxit perversissima illa dicendi ratio, quâ unum communem in iis etiam, quæ dicuntur secundum prius & posterius conceptum, ut loqvuntur, sive rationem indagare satagunt, velut, *unius*, *entis*, *boni*, & reliqvorum talium, quod entis, quatenus ens; boni, quatenus bonum, & similium aliquando mentionem faciat Philosophus, item ὅπερ ὄν, ὅπερ ἀγαθὸν, ut & αὐτὸ ἀγαθὸν &c. non rarò nominet, deniq; & voces has, ᾗ, ὅπερ, αὐτὸ, aliasque tales passim usurpet, cum naturam unam eandemque pluribus communem exprimere intendit. Quod nunquam fecissent, si has voces aliter in univocis, aliter in communibus πρὸς ἕν, ἢ ἀφ' ἑνός, accipi apud illum advertissent. Unde fit, ut tempus prodigant, & oleum atq; operam perdant, qvando investigare laborant talium cõmunem rationem, cum istiusmodi non gaudeant ratione. *In iis* enim, *quorum subjecta specie differunt, atque eorum aliud est primum, aliud secundum, aliud consequens, aut omnino nihil commune est*, (quatenus scil. sunt talia) *aut parum*, inquit Philosophus III. Polit. cap. I. Quibus similia habet, III. Met. III. nec non Alexander I. Quæst. nat. XI. Quod si autem interdum communem aliquem conceptum reperiunt, qui omnibus, idem nomen obtinentibus, accommodari possit, is reverà unus non est, sed æquè ambiguis constat vocabulis, ac est illud ipsum, cujus conceptum se invenisse existimant, quod manifestum est vel solo entis exemplo. Hujus communem conceptum esse dicunt id, cui existere non repugnat. At existere (idem autem hoc illis est, quod actu esse) æque ambiguum est, ac ipsum ens. Aliter enim existunt ignis & aqua, nempe per seipsa & ut substantiæ: aliter longitudines & latitudines, videlicet, ut quantitates eorum, quæ

per ſe exiſtunt; aliter æqualitas & ſimilitudo, ſcilicet ut σχέσεις entium, quæ aliàs πρός τι dicuntur, & ſic deinceps. In eundem ſcopulũ impingunt, qui unam rationem formalem & adæquatam, ut loquuntur, inquirunt, ob quam omnia, quæ viſum ferire apta ſunt, ſint viſibilia. Nec enim omnia æquè ſunt viſibilia, ſed lumen primò, reliqua ſecundariò, quatenus participant quid de lumine. Quâ de re diximus plura lib. I. de variis ſciendi generibus cap. VI. n. IV.

LXXXIII. Sed & aliæ in ſcriptis Philoſophi ſunt loquendi formulæ, quæ, cum cognationem aliquam habeant, ſub ſpecie hâc perfectam ταυτότητα mentiuntur, multosque in fraudem inducunt, ut contradicere illum ſibi exiſtiment, non advertentes diſcrimen, quod iſtis formulis intercedit. E. gr. V. Phyſ. c. I. *formas, locum, quantitatem, paſſiones* dicit eſſe *immobiles*, & tamen paulò poſt motum in illis ſolis ſtatuit. At aliud eſt, formas ipſas, paſſiones &c. moveri; aliud motum juxta illa, v. e. ex paſſione in paſſionem, ex calido in frigidum, ex húmido in ſiccum, item ex loco in locum, ex loco ſupero in inferum fieri, aut contra. Hoc veriſſimum, illud falſiſſimum eſt; quod cumprimis in motu locali perſpicuè apparet. Neqve enim cum ignis ex inferiori loco ad ſuperiorem ſcandit, locus inferior mutatur, ſed ex eo fit mutatio ſive motus, ipſo immobili exiſtente. Deinde Lib. I. de Cœlo cap. II. dicit, *omne corpus naturale* eſſe *mobile*: & tamen cap. III. ac expreſſius Lib. II. cap. XIV. contendit *terram in centro mundi quieſcere immotam*. At aliud rurſus eſt eſſe per naturam ſuam mobile, quod de terrâ negari non poteſt, cum ſenſus doceat, terram, ſi ſurſum projiciatur, ſuopte nutu ferri deorſum: aliud autem in certo aliqvo loco non moveri, ſed conſiſtere immotam. *Lib. II.* de Cœlo cap. III. t. 17. vult, *Deo ineſſe motum ſempiternum*: & nihilominus IIX. Phyſ. aſſerit *primum movens*, (quod eſt Deus) *eſſe prorſus immobile*. At non aſtruit
hoc

hoc περὶ τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ περὶ τοῦ θείου, *non de Deo, sed de divino.* Deo quidem isto loco ἐνέργειαν tribuit, eamqve ἀθανασίαν sive ζωὴν ἀΐδιον esse dicit. Τῷ θείῳ autem, sive divino, perpetuum motum tribuit, nihil aliud per illud intelligens, quàm ipsum cœlum, uti ipse mox exponit. Porrò lib. III. de cœlo cap. IX. (XII.) t. 61. *sensibilium principia* dicit esse *sensibilia*, & *corruptibilium corruptibilia*, & tamen Physicorum materiam docet esse *ingenerabilem* & *incorruptibilem*, eoque non officiente *generabilium* & *corruptibilium principium* facit. Ast non scribit Aristoteles, quòd omnia principia corruptibilum sint corruptibilia, sed loqvitur indefinitè. Indefinita autem propositio æquipollet particulari. Ulterius Lib. I. de Gen. cap. VII. t. 53. de Medicinà dicit, quod *sanitatem efficiat citra passionem.* Hoc non nemo in Exercitiis suis Paradoxicis ita accipit, qvasi Aristoteles medicamenta statuat nihil pati, aut non alterari à corpore, cui sanitatem conferunt, cum tamen non de medicamentis, sed ἰατρικῇ, id est, *medendi arte*, expreßè loqvatur. Cap. X. ejusdem libri *mistionem* dicit *non fieri per divisionem in partes minutulas*, sive atomos: & tamen paulò post censet debere fieri *ex miscibilibus, quæ sint facilius terminabilia & divisibilia.* At numquid id, quod parvum & terminabile est, jam idem quod ἄτομον est? Lib. V. Hist. Anim. cap. XIX. animalium qvorundam mentionem facit, quæ in igne nascantur in Cypri insulæ fornacibus ærariis, ut visum nobis supra: ast in II. Gen. An. III. negare videtur ullum animal in igne generari posse. Verùm aliud est πῦρ φύειν, aliud φύεσθαι ἐν πυρί, aliud, inquam est, *generare ignem*, aliud *generari in igne.* Illud fieri non posse, vel ipsos Poëtas haud latuit, qui idcircò Vestam, quam ignem vocant, pro virgine habebant. Quò pertinet illud Ovidii ex V. Fastor:

Nec tu aliud Vestam, quàm puram intellige flammam;
Nataq; de flammà corpora nulla vides.

Jure igitur Virgo est, quæ semina nulla remittit,
Nec capit, & comites Virginitatis amat.

Id tamen non obstat, quo minus in igne aliquando sit humor aliquis calidus aliunde eductus, qui materiam præbeat generationi ignis: maximè in tàm amœna & fœcundâ regione, qualis Cypri regio est, hâc ipsâ de causâ Veneri dicata ab eruditâ vetustate, per quam, ut Lucretius habet lib. I. de rerum naturâ,

— — *genus omne animantum*
Concipitur, visitq; exortum lumina Solis.

Jam autem Aristoteles in II. de Gener. nihil aliud asserit, quàm hoc, ignem non posse generare ullum animal, cujus contrarium docuit nusqvam. Neqve enim in Historiâ Animal. ait ignem generare eos vermes, qui in fornacibus Cypri reperiuntur, sed generari eos in igne. Sed neqve hoc obstat, quod citato loco ex II. Gen. Anim. scribit: οὐδὲ φαίνεται συνιστάμενον πυρουμένοις, οὔτ' ἐν ὑγροῖς, οὔτ' ἐν ξηροῖς οὐδὲν, *Nihil videtur consistere in ignitis ullis, sive humidis, sive siccis.* Nam vox συνίσταται non una gaudet significatione: interdum verò etiam idem significat, quod consistere, constare. Quo sensu III. de Partibus Animalium Philosophus usurpat, cum scribit: φάρυγξ καὶ ἡ ἀρτηρία συνέστηκεν ἐν χονδρώδει σώματι, *guttur & arteria constitit in cartilagineo corpore*, id est, *ex tali corpore fuit constituta.* Ita ergò & altero isto loco sumitur, ut sensus integer sit, neqve architectum animalium ignem esse, neqve materiam, nempe per se solum. Verum inde non sequitur, quod nullum animal in igne nasci aut vivere possit. Quot enim animalia sunt, quæ in aëre nascuntur & conservantur, & tamen aërem, neqve parentem, neq; materiam agnoscunt, nisi ut omnia elementa ad generationem concurrunt? quâ ratione & ignis, aut potius ἀνάλογον ejus, confert ad rerum procreationem. Et si vel maximè ob certam causam & propriam

quan-

quandam naturam suam ignis illarum fornacum animalia produceret ac generaret: non seqveretur tamen, igni per se & omni convenire vim generandi animalia, quod solum in II. de Gen. Philosophus negat. Deniqve lib. I. Met. cap. I. *Socrati* ait *accidere* εἶναι ἀνθρώπῳ, cùm tamen Socrates per ipsam suam essentiam nihil aliud, quàm homo sit. At aliud Philosopho est, εἶναι ἄνθρωπον, *esse hominem*; aliud εἶναι ἀνθρώπῳ, hoc est, *rationem hominis cum aliis habere communem*. Qvorum hoc sine dubio accidit Socrati, qui homo esset, ejusqve ratione sive essentiâ totâ gauderet, etiamsi nullus alius, præter ipsum, in rerum esset naturâ. Ex quo una & lumen accedit alteri isti loco ex II. Topic. III. §. 3. ubi æquilatero triangulo ait accidere τριγώνῳ εἶναι; qvod minus rectè Pacius vertit, *accidere ei, ut triangulum sit*; cùm vertendum esset, accidere ei, ut rationem trianguli cum aliis, veluti cum triangulo, quod scalenum vocatur, habeat communem. Esset enim æquilaterum triangulum reverâ triangulum, etiamsi scalenum nullibi extaret. Necnon isti ex I. de animâ cap. I, ubi *animal aut nihil* ait *esse*, *aut posterius*. Animal enim illic accipit non secundum essentiam, quâ animal est, sed juxta generis rationem spectatum, quæ consistit in similitudine essentiali plurimum specierum sub genere animalis comprehensarum: quæ talis est, ut hinc Aristoteli non τόδε τι significare dicatur, sed τοιόνδε τι, ἢ πρός τι, ἢ πῶς, quemadmodum & *homo* & *omne commune*, ἄνθρωπος καὶ πᾶν τὸ κοινόν, lib. Sophist. Elench. c. XXII. §. 17.

LXXXIV. Præterea, cùm in scriptis suis acroamaticis in iis tractandis sæpè versatus fuerit Aristoteles, quibus vulgò nomen non erat impositum, coactus aliquando fuit, cum in promptu non esset alia, quæ per cognationem quandam rebus propositis accommodaret, fingere vocabula nova. Quæ res itidem aliquam parit obscuritatem. Argumento est vel unica vox ἐντελεχείας, cujus genuina significatio cum non omnibus mani-

manifesta esset, factum est, ut non paucas quæstiones moverint, quibus facile supersedere potuissent, & absque dubio supersedissent, si vim vocis istius habuissent perspectam: velut illâ, quâ quæritur, quomodo fieri possit, ut ἐντελέχεια sit genus animæ & motus, cum motus sit actus imperfectus, anima autem perfectus? Non convenit autem per omnia, quantum expositionem huius vocis attinet, vel inter ipsos Philosophi interpretes, etiam Græcos. Themistio quidem ἐντελέχεια idem est, quod ἕξις τελειότητος, *habitus perfectionis*. Philoponus autem in II. de An. I. putat ἐντελέχειαν dici ἀπὸ τοῦ ἕν, id est, *unum*, τέλειον, *perfectum*, & ἔχειν, *habere*, quod forma, quæ dicitur ἐντελέχεια, *causa sit materiæ unionis ac perfectionis, atque contineat ipsam*. Quam nominis notationem habet & Suidas in collectaneis suis. Ita enim ille: Ἐντελέχεια παρὰ τὸ ἕν, καὶ τὸ τέλειον, καὶ τὸ συνέχον· καὶ γὰρ ἑνώσεώς ἐστι τῇ ὕλῃ τὸ εἶδος αἴτιον καὶ τελειώσεως· ἐπεὶ καὶ τελειότης ἐστὶ τοῦ ὑποκειμένου, καὶ ἔχει αὐτό. ἀπὸ γὰρ τῆς οἰκείας ἐντελεχείας μάλιστα ἕκαστον, ὅ ἐστι καὶ ἐκεῖνο λέγεται), Ἐντελέχεια *dicitur, quod unum quoddam & perfectum, & continens sit. Etenim forma unionis & perfectionis causa est materiæ. Nam & perfectio est subjecti, idque continet & ab ἐντελεχείᾳ suâ unumquodque dicitur id, quod est.* At miror, quod non viderint, cum aspiretur nomen ἕν, non potuisse inde commodè vocabulum ἐνδελεχείας, quod levigatur derivari: ut taceam, ἐνδελεχείας nomen non substantiis solùm, sed & accidentibus passim tribui, quibus tamen descriptio illa ἐνδελεχείας accommodari non potest. Longe major autem adhuc inter Latinos in expositione hujus vocis est dissensus. Et Cœlius Rhodiginus quidem Lib. II. Lectionum antiquarum c. XXII, ex quarundam sententiâ ait ἐνδελέχειαν ἐνδελεχῶς dici, quasi συνοχὴν h. e. *corporis perfecti coaptationem comprehensionemve*. At motus dicitur ἐνδελέχεια ejus, quod mobile est III. Phys. I. & tamen hic non est coaptatio corporis mobilis. Sed nec

nec albedo, calor, frigus sunt coap taiones corporum: & tamen singulæ ἐνἐλεχείας nomine veniunt passim. Cicero I. Tuscul. Q. ἐνἐλέχειαν vertit *continuam quandam & perennem motionem*. Verba ejus hæc sunt n. XXII: *Aristoteles ipsum animum ἐνἐλέχειαν appellat novo nomine, qs. quandam continuatam motionem & perennem.* Sed parum commode ita reddidit. Nam uti secundum Aristotelem V. Met. VII. *videns* & *sciens*, dicuntur bifariam, δυνάμει scilicet & ἐνἐλεχείᾳ: ita & quiescens. Ubi si ἐνἐλέχεια idem esset, quod continuata motio, ἐνἐλεχείᾳ quiescens esset idem, quod continuatâ motione quiescens, quo quid absurdius? Præterea III. Phys. t. 6. motum definit per ἐνἐλέχειαν. Quod si jam illa vox ipsi significa et motionem, idem definivisset per idem. Taceo, quod Aristoteles ἐνἐλέχειαν duplicem faciat, nempe *primam*, quæ est habitus & forma, ut scientia, & *secundam*, quæ est actio manans ab illâ formâ, ut contemplatio II. de An. t. 2. At qui sic distinguere potuisset ἐνἐλέχειαν, si ea idem esset, quod motio perennis? Neque enim habitus, à quo actio manat, motio dici potest. Taceo item, Aristotelem id, quod ἐνἐλέχεια est, dividere in decem categorias. Ait enim, *omne id, quod est, esse aut δυνάμει, aut ἐνἐλεχείᾳ: hoc autem esse vel τό δε τι, vel tantum, vel tale & in cæteris categoriis similiter* III. Phys. c. I. Quibus similia habentur V. Met. VII. Ubi sanè ἐνἐλέχεια idem esse non potest, quod motio. Quid enim hoc est dicere, motione substantia, motione quantum, motione quale, motione relatum, ut duplum & dimidium &c? Quô accedit, quod motio secundum Aristotelem non cadat in omnes categorias, sed solùm in substantiam, quantitatem, qualitatem, & ubi, uti demonstrat in V. Physic. Mittimus alia, quæ apud *Monlorium* in aureo Tractatu de ἐνἐλεχείᾳ videri possunt. Mittimus & interpretationes aliorum. Plures enim adduci possent, si ex professo hac de re agere hoc loco nobis propositum esset. Fecit autem hæc interpretationum

tionum varietas, ut Hermolaus Barbarus, vir alioqvin doctissimus, cùm aliquando casu aliquo colloqvium cum dæmone nactus esset, nihil aliud ab eo petierit, quàm ut sibi, quid Aristoteles voce, ἐντελέχεια, significatum vellet, exponeret. Et tamen mirum, si ille de industria vocem adeò obscuram finxit. Ipse enim diserte II. Ethic. VII. scribit, Philosopho operam dandam esse, cùm fingit nova nomina, *ut id faciat causâ perspicuitatis.* Verisimile ergò omninò est, vocis istius sensum non esse usqve adeò obscurum, ut primo intuitu videtur. Quis autem ille sit, facile advertetur, si ad vocabulum, quod isti opponitur, respiciamus. Diximus paulò antè, omnia, quæ sunt, dividi apud Aristotelem κατὰ δύναμιν καὶ ἐντελέχειαν. Opponuntur itaque sibi εἶναι δυνάμει, καὶ ἐντελεχείᾳ. Δυνάμει autem illud esse dicitur, quod nondum est, potest tamen esse v. c. quod nondum est calidum, potest tamen esse calidum, veluti aqua, frigida adhuc existens. Ἐντελεχείᾳ igitur esse ex opposito dicetur, quod reverâ est, non, ut ante, potestate, ut ignis dicitur ἐντελεχείᾳ calidus, quia reapse calidus. Quod si verò hoc est esse ἐντελεχείᾳ, non obscurum amplius est, quid futurum sit ipsa ἐντελέχεια. Nempe id, quod replet illam, quam diximus potestatem, seu id, ex quo dicitur esse quippiam reverâ aliquid, non solâ potestate. Ita calor est ἐντελέχεια rei calidæ, quoniam ex ea dicitur res aliqua calida, & albedo est ἐντελέχεια rei albæ, quia ex ea res aliqua dicitur alba. Hinc autem facilè intelligitur, & formam essentialem, qualis est anima, & motum rectè dici ἐντελέχειαν. Forma essentialis enim est ratio & τὸ τί ἦν εἶναι, ut dicitur II. Physic. III. & V. Met. II. ex quâ res reverâ est & dicitur esse id, quod est. E. gr. forma terræ est est ejus ἐντελέχεια, quia formæ hoc refert acceptum, quod sit terra. Motus autem est idipsum, ex quo res mobilis habet, ut revera moveatur, & non tantum dicatur mobile, quemadmodum ante, cum nondum movebatur, sed moveri solùm pote-

rat, verum etiam id, quod revera movetur. Dicitur autem motus ἐντελέχεια imperfecta, quia non explet omnem illam potestatem, cujus est ἐντελέχειαν, & cui succedit, sed manet simul cum potestate. Habet enim id, quod movetur, duplicem simul potestatem, unam ad finem motus, alteram ad ipsum moveri. Nisi enim & hâc gauderet, non posset amplius moveri: perficitur autem utraq; potestas in fine motus. Ex quo unà & hoc liquet, unde deductam esse vocem ἐντελεχείας existimandum sit, nempe ab ἐντελὲς, quod est *perfectum*, & ἔχειν *habere*, quoniam est perfectio rei, quæ eam habet ac possidet, ita, ut ex ea dicatur esse nō potestate amplius ut ante, sed reverâ. Quo fortè respexit Themistius, quando ἐντελέχειαν exposuit ἕξιν τελειότητος, quod Hermolaus Barbarus vertit *perfectihabiam*.

LXXXV. Ulterius & hoc notum est, quod Aristoteles in refutandis veterum placitis ita versari soleat, ut non solùm sententiam ipsorum, sed & verba aliquando reprehendat, aut certe sententiam, ipsorum verbis expressam. Jam non satis clarum interdum est, quid verbis istis indigitarint veteres: hinc item accidit, ut obscurus nonnunquam appareat Philosophus, quoad verba. Ita passim vellicat Platonem, quod ideas invexerit, easque labefactare conatur, velut I. Met. cap. VII. VII. c. VIII. I. Ethic. c. IV. Istas disputationes ut quis intelligat, necesse est, ut prius habeat perspectum, quid Plato per ἰδέαν intellexerit. Quod sanè ita planum non est, uti nonnullis quidem videtur. Neque enim omnes eodem modo Platonis mentem exponunt. Nonnulli existimant eum per ideam intelligere ὀσίαν aliquam, sive naturam à rebus singularibus separatam, sempiternam, immobilem, per se subsistentem, cui nomen quidem singularium indiderit, sed præfixâ voce αὐτ': ἰδέαν autem & εἶδος appellasse, ideò, quod esset quasi imago quædam & exemplar, cujus similitudine res singulares & sensibiles fierent & constarent. Ita omnium hominum, ajunt, statuisse unam aliquam ideam & speciem sepa-

 ratam,

ratam, quæ ſit forma incorporea, nares, manus, oculos & pedes incorporeos habens, & per ſe ſubſiſtens, ad quam velut ad exemplar Deus reſpiciens homines, qui hic apud nos ſunt, procrearit, & hanc ſpeciem vocitaſſe *αὐτάνθρωπον*. Neque tantùm ſubſtantiarum tales ideas ſtatuiſſe, ſed & accidentium, ut *αὐτοδίκαιον, αὐτοκαλὸν, αὐτόμοιον, αὐτανόμοιον*, & iſtiusmodi alia. Aliis autem nimis inepta videtur hæc ſententia, quam ut tanto Philoſopho tribui queat. Aliter ergò de mente Platonis judicant, nempe per ideam eum intellexiſſe cujusque rei eſſentiam & quidditatem, quæ eadem eſt in omnibus ſingularibus, quamque Ariſtoteles nunc *ἐσίαν*, nunc *τὸ τί ἦν εἶναι* appellat. Quæ ſententia non parum probabilis eſt. Paſſim enim Plato hoc ſenſu voce *ἰδέας* videtur eſſe uſus, veluti in Euthyphronte, ubi indagat *definitionem juſti*, eâque inventâ, ait, *ſe inveniſſe ipſam ideam juſti*. Ex quo apparet ideam & definitionem, aut id, quod definitione exprimitur (hoc autem Ariſtoteli *ἐσία* dicitur & *τό τί ἦν εἶναι*) Platoni idem eſſe. Porro in Theæteto dicit *animam quædam per ſe, quædam per corpus comprehendere*. V.c. quod hoc molle aut durum, pulchrum aut turpe ſit, item quod hoc iſti ſimile aut diſſimile ſit, comprehendere animam per ſenſum: *eſſentiam* autem *ipſam*, quam *ideam* vocat alio nomine, *duri & mollis* aliorumque talium, per ſe comprehendere, factâ ante collatione aut comparatione ſingularium inter ſe: Τέτων, inquit, *μοι δοκεῖ ἐν τοῖς μάλιςα πρὸς ἄλληλα σκοπεῖσθαι τὴν ἐσίαν, ἀναλογιζομένη ἐν ἑαυτῇ τὰ γεγονότα καὶ τὰ παρόντα, πρὸς τὰ μέλλοντα*, *Horum*, (ſimilis, diſſimilis, pulchri, turpis, boni, mali,) *mihi videtur maximè omnium eſſentiam invicem conſiderare* (anima) *reputans atque comparans in ſeipsâ præterita præſentiaque ad futura*. Addit: Ἔχε δὴ, ἄλλό τι ἢ μὲν σκληρῦ τὴν σκληρότητα, διὰ τῆς ἐπαφῆς αἰσθήσεται, καὶ τὸ μαλακῦ, τὴν μαλακότητα ὡσαύτως. τὴν δὲ γε ἐσίαν, καὶ ὅτι ἐςὸν, καὶ τὴν ἐναντιότητα πρὸς ἀλλήλω, καὶ

τὴν

τὴν ὀσίαν ἂυ τῆς ἐναντιότητ☉· αὐτὴ ἡ ψυχὴ ἐπανι ἔσα καὶ συμβάλλεσα πρὸς ἄλληλα κρίνειν πειρᾶται ἡμῖν, *Adverte & hoc, rei duræ duritiem per tactum sentiet* (anima), *& mollis simili ratione mollitiem. Essentiam verò & quòd quid mutuamq́, contrarietatemq́, ipsius contrarietatis essentiam ipsa anima per se volutans, & invicem conferens, discernere nititur.* Hæc ibi Plato. Quibus nō obscurè ideam ponit esse ὀσίαν rei, quam anima, notionem ejus ab ipsis rebus, factâ earum inter se mutuò comparatione, quasi excerpens intelligit. Quòd iterum non abludit à sententia Aristotelis, passim dicentis, animam formare universale collectum ex collatione multorum particularium convenientium simul in re illâ universali. Quâ de re legendum cumprimis est II. Post. caput ultimum. Similia habet Plato in Philebo, ubi itidem docet ideas rerum inveniri ex consideratione convenientiæ, quam invicem habent multa singularia: *Ea*, inquit, *quæ non semper sunt*; h. e. singularia, *constant ex uno & multis, & terminum & infinitatem in se habent, & ideò cum hæc constituta sint, opus est, nos semper unam ideam circa unumquodq́, ponentes inquirere*: Εὑρήσειν γδ ἐνῦσαν, *Invenimus enim eam inexistentem.* Quibus verbis docet modum inveniendi definitiones, quomodo scilicet multa sint reducenda ad unam essentiam, s. ἰδέαν, quam inesse dicit ipsis rebus. Alia loca, quæ ex Cratylo, epist. X. ad Dionem & aliis Dialogis afferri possent, nunc præterimus.

LXXXVI. Sed habeat aliquando vocabulum ideæ apud Platonem hanc significationem, ut idem, quod essentiam, notet in singularibus existentem, non tamen hic est primarius apud illum vocis hujus sensus, ad quem Aristoteles respexit, ideas evertere laborans. Alibi enim passim à rebus singularibus ἰδέας, à quibus illæ participantur, separatas esse statuit, velut in Parmenide, ubi ex professo de ideis disputat. Sic enim inter alia Parmenides ad Socratem: Καί μοι εἴδη αὐτὰ ἄττα,

χωρὶς ἢ τὰ τούτων αὖ μετέχοντα. καί τί σοι δοκεῖ εἶναι αὐτὴ ὁμοιότης χωρὶς ἧς ἡμεῖς ὁμοιότητος ἔχομεν. Καὶ ἓν δὴ καὶ πολλά, καὶ πάντα ὅσα δὴ νῦν Ζήνωνος ἤκουες, *Verum mihi dicas, oro. Tu ita, ut dicis, seorsum quidem ipsas species* (ideas) *discrevisti, seorsum etiam speciebus participantia, videturq; tibi quiddam esse ipsa seorsim similitudo, cujus & nos participes sumus, & quiddam seorsum unum, seorsum multa, & omnia, quæcunq; nuper à Zenone audivisti?* Ad quæ Socrates: Ἔμοιγε, *mihi quidem ita videtur.* Jam verò notum est, ea, quæ sub personâ Socratis tradit Plato, ipsius Platonis esse dogmata, advertentibus etiam Hesychio & Diogene Laërtio in vitâ ejus. Statuit igitur hîc ἰδέας non in singularibus existentes, sed à singularibus separatas, &, quod hinc sequitur, Platoni ἰδέα & εἶδος hîc idem non sunt, quod Aristoteli οὐσία. οὐσία enim est in singularibus, quorum est οὐσία. Alii igitur arbitrantur ἰδέας ex Platonis sententiâ nihil aliud esse, quàm exemplaria in puro aliquo intellectu, aut ipso Deo, ad quorum simulacrum omnes res sensibiles & singulares sint productæ. Hanc sententiam Platoni quam plurimi ex veteribus tribuunt. Sic enim de illo Clemens Alexandrinus Lib. V. Stromat: *In Phædro*, inquit, *Plato veritatem declaravit esse ideam.* ἡ δὲ ἰδέα, ἐννόημα τοῦ Θεοῦ, ὅπερ οἱ βάρβαροι λόγον εἰρήκασι τοῦ Θεοῦ, *Idea verò est Dei intelligentia, quam barbari vocant Dei notionem & verbum.* Et lib. IV. Εἰκότως Πλάτων τὸν τῶν ἰδεῶν θεωρητικὸν, θεὸν ἐν ἀνθρώποις ζήσεσθαι φησι. νοῦς δὲ, χώρα ἰδεῶν. νοῦ δὲ, ὁ Θεός, *Merito Plato eum, qui ideas speculatur, dicit victurum esse DEum inter homines: mens autem est locus idearum, mentis verò DEUS.* Plutarchus, aut quicunque tandem auctor est librorum de placitis Philosophorum Lib. I. c. X: Σωκράτης καὶ Πλάτων χωριστὰς τῆς ὕλης οὐσίας τὰς ἰδέας ὑπολαμβάνει. ἐν τοῖς νοήμασι, καὶ ἐν ταῖς φαντασίαις τοῦ θεοῦ, τουτέστι τοῦ νοῦ ὑφεστώσας, *Socrates & Plato ideas putaverunt à materia secerni, & in intellectu & imaginatione DEI subsistere.* Theodoretus serm. IV. de curand. gent. de Platone hæc habet:

πρό-

παράδειγμα δὲ οἶμαι λέγειν αὐτὸν, ἢ τὸν θεὸν, ὡς ἕνα. ἢ τὴν ἰδέαν, ἣν ἔννοιαν εἶναι τοῦ Θεοῦ λέγει, *Exemplum illum* (Platonem) *dicere arbitror vel Deum, utpote unum, vel ideam, quam Dei conceptum esse ait.* Sic & alii quamplures mentem Platonis exponunt, laudati à nobis alio loco. At obstare videtur, quod Plato passim species illas, quas ἰδέας vocat, per se subsistere dicat. Velut in Timæo, ubi dicit, considerandũ esse, sitne aliquis ignis seorsum à materiâ ipsâ permanens in seipso alia talia, quæ dicamus αὐτὰ καθ' αὑτὰ ἕκαστα ὄντα, *ipsa per seipsa existere, an hæc sola sint, quæ corporis sensu percipimus.* Et subjicit: Εἰ μὲν νοῦς καὶ δόξα ἀληθής ἐστιν δύο γένη, παντάπασιν εἶναι καθ' αὑτὰ ταῦτα ἀναίσθητα ὑφ' ἡμῶν, εἴδη νοούμενα μόνον; *Si intellectus & vera opinio duo genera sunt (ut sunt) necesse est hujusmodi species esse; quæ per se ipsa sint & intelligentiâ potius, quàm sensibus comprehendantur.* In Parmenide quoque disertè ait ideas non esse νοήματα, notiones, sed ὥσπερ παραδείγματα ἑστάναι τῇ φύσει, consistere velut *exemplaria* in natura; τὰ δὲ ἄλλα, τούτοις ἐοικέναι, καὶ εἶναι ὁμοιώματα, *cætera verò iis similia fieri atq; esse simulacra.* Et hinc factum est, ut aliqui eam, quam primo loco posuimus, Platoni tribuerent sententiam. Inter quos videtur fuisse & Tertullianus. Sic enim scribit Lib. de Animâ c. XVIII: *Vult Plato esse quasdam substantias invisibiles, incorporales, supermundiales, divinas, & æternas, quas appellat ideas, id est, formas, exempla & causas naturalium istorum manifestorum, & subjacentium corporalibus sensibus; & illas quidem esse veritates, hæc autem imagines earum.* Sed & Ammonius non obscurè indicat, Platonem per ideas non notiones in mente divinâ intelligere, sed substantias aliquas separatas. Ita namq; ille comment. in præfat. Porphyr: Οὐ γὰρ δὴ ἁπλῶς, inquit, νοήσεις αὐτὰ εἶναι τοῦ δημιουργοῦ βούλεται (ὁ Πλάτων) ἀλλὰ πάντως οὐσίας τινὰς νοητὰς, πρὸς ἃς ἀφορῶντα τὸν δημιουργὸν ὡς πρὸς ἀρχετύπους εἰκόνας τὰ τῇδε ποιεῖν, *Plato negat ideas absolutè opificis*

notiones

notiones esse, sed substantias quasdam, quæ animo cernantur, & ratione intelligantur, in quas opificem intueri vult, ut ea, quæ hic sunt, ad illarum primarum imaginum exemplum efficiat, ac condat. Alii autem Platonem inconstantiæ arguunt, quod ideas nunc per se subsistere, nunc ἐν τοῖς νοήμασι dixerit esse habere. τῷ εἴδει, inquit de eo Justinus Martyr in Parænesi ad Græcos, ἀρχὴν ἰδέαν πρότερον δεδωκὼς, καὶ καθ' ἑαυτὸ οὐσιῶδες ἀποφήνας, ὕστερον ἐν τοῖς νοήμασιν αὐτὸ γοῦν εἶναι λέγει, *Cum ante proprium ortum tribuisset ideæ & per seipsam constitisse censuisset, deinde in notionibus mentis eam esse ait.* Idem de eo judicat Cyrillus Alexandrinus Lib. II. in Julianum, sic scribens: *Plato cum ideam interdum per se subsistere concedat, inventis ipse suis repugnat, nec meminit alicubi dicere, in DEI mente & cogitatione ipsam esse, neq; propriam habere existentiam vel essentiam.* Igitur hactenus obscurum adhuc est, quid Plato vocet ideas, voce hac πρώτως καὶ κυρίως acceptâ. Quo non intellecto quis speret se mentem Philosophi adversus illas disputantis plenè assecuturum?

LXXXVII. Quicquid sit, id certum & extra omnem controversiam est positum, non alio Platonem consilio invexisse ideas, quàm hoc, quod statuerit Deum esse causam efficientem propriè dictam totius universi, eorumque, quæ in illo sunt, ad eum modum, quo Architectus est causa efficiens domus, aut in universum artifex operis. Jam hic in producendo opere seqvitur exemplar aliquod, ad quod, quamdiu operatur, respicit, ut ejus similitudinem in subjecta materiâ exprimat: & hoc exemplar vocatur propriè idea. Solet autem illud esse duplex, sive *externum & internum*, ut distinguere solent. *Externum* dicitur forma aut species oculis conspicua, unde simulacra ducuntur, quam proponit sibi artifex ad imitandum, ut ad similitudinem ejus efficiat aliquid propriè quæ εἶδος dicitur & ab idea est distincta. *Illa enim*, inquit Seneca epist. LIIV. *exemplar est: hæc*

ma;

ma, ab exemplari sumta, illam artifex imitatur, hanc facit. Internum autem exemplare est conceptus, ut loquuntur, mentis actionem vel opus faciendum repræsentans & dirigens artificem, ut convenienter operetur. *Ab arte* enim *fiunt, quorum εἶδος, species, est in anima* VII. Met. VII. Indeque ars dicitur ratio operis sine materiâ I. Part. An. I. Cum igitur Deus juxta Platonem sit opifex aliquis totius universi, statuit similiter illud construxisse secundum aliquod exemplar, quod fuerit imitatus, & quidem æternum ac semper eodem modo se habens. ὅτου γὰρ, inquit in Timæo, ὁ δημιουργὸς πρὸς τὸ κατὰ ταὐτὰ ἔχον βλέπων ἀεὶ, τοιούτῳ τινὶ προσχρώμενος παραδείγματι τὴν ἰδέαν, καὶ δύναμιν ἀπεργάζεται, καλὸν ἐξ ἀνάγκης οὕτως ἀποτελεῖσθαι πᾶν. οὗ δ' ἂν εἰς τὸ γεγονὸς γεννητῷ παραδείγματι προσχρώμενος, οὐ καλόν, *Quando enim opifex in operis alicujus constructione ad id, quod eodem modo se habet, semper aspicit & hujusmodi quodam usus exemplo ideam vimq; in opus educit, pulchrum tunc fieri opus omne necessarium est, quando verò ad id, quod factum est, respicit, minimè pulchrum.* Et nonnullis interjectis: Εἰ μὲν δὴ καλός ἐστιν ὅδε ὁ κόσμος, ὅ τε δημιουργὸς ἀγαθὸς, δῆλον ὡς πρὸς τὸ ἀΐδιον, ὁ μὲν γὰρ κάλλιστος τῶν γεγονότων ὁ δ' ἄριστος τῶν αἰτίων, οὕτω δὴ, γεγενημένος πρὸς τῷ λόγῳ καὶ φρονήσει περίληπτον καὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχον, δεδημιούργηται. Τούτων δε ὑπαρχόντων ἂν καὶ πᾶσα ἀνάγκη τόνδε τὸν κόσμον, εἰκόνα τινὸς εἶναι, *Si igitur pulcher est hic mundus & opifex mundi bonus, sempiternum certè exemplar maluit imitari. Sin secus, quod ne dictu quidem fas est, generatum exemplar est pro æterno secutus. Manifestum vero omnibus est, quod sempiternum sit secutus, quoniam & mundus omnium genitorum pulcherrimus est, & ejus autor causarum omnium optimus. Si igitur generatus, ad id est effectus, quod ratione & sapientia sola comprehendi potest & immutabile permanet; exque efficitur, ut necesse sit hunc mundum alicujus simulacrum esse.* Theodoretus loco superius citato adhuc alium ex eodem Dialogo

alogo adducit locum, (τὸν Θεὸν) αὐτὸν τὸν οὐρανὸν πρὸς τὸ νοητὸν
" δημιουργῆσαι παράδειγμα, Deum ipsum cœlum ad intellectile
" exemplum efformasse. Ad hæc & similia loca respiciens Seneca ait: *Quid sit idea*, id est, quid Platoni esse videatur, *audi. Idea est eorum, quæ naturâ fiunt, exemplar æternum*, Epist. LIIX. Quibus similia leguntur apud eundem epist. LXV. itemque apud Augustinum VII. de C. D. c. *XXVIII*. aliosq; quamplures. Fieri autem potuit, ut à principio Plato statueret, Deum internum aliquod exemplar fuisse intuitum, ad cujus similitudinem res singulares produxerit, postea autem, ob rationes allatas à nobis lib. II. Analys. Poster. c. XIII. n. 16. mentem mutarit, & omnium rerum formas in aliâ mente à Deo distinctâ collocârit, & quidem ita, ut existimarit cujusq; producendi operis in eâ propriam quandam & ab aliis distinctam esse ideam. Nempe ut ædificator aliam speciem sequitur, cum domũ, aliam cum theatrum, aliam cum templum exstruit, ac in erigendo quoque pariete aliud spectat, quàm cum tectum superponit: sic Plato à primâ causa unumquodq; juxta proprium exemplum formari asseruit, sicut ipse Simplicius aliiq; Platonis partes tuentes sententim ejus exponunt, hancq; specierum discretionem necessariam esse propter generationem, & propter scientiam. At Aristoteles utrumque negat. Et posterius quidem refellit ex professo lib. I. Met. V. prius autem cùm in Physicis, tùm in Metaphysicis. Statuit enim, Deum nõ esse causam efficientem totius universi (sic enim per motum, ait, foret productum) sed finem & τὸ τί ἦν εἶναι. Deum enim primam formam esse, quàm cætera entia consequātur, sicut interdum formam quædam consequi solent, velut radii lucem, quamq; participantes res omnes habeant τὸ εἶναι II. de Cœlo t. 64. XII. Met. VII. Et quamvis omnia inferiora etiam secundum Aristotelem comprehendantur in primâ causâ, non tamen in ea ex ipsius sententia sunt secundum propriam uniuscujusq; ratio-

nem

nem. Hæ namqve multitudinem quandam præ se ferunt. Deus autē usqveqvaq; purus & simplex est, nihil duplex, nihil coagmentum habens: neq; ex potentiâ constat, ut constaret, si recipiendo species rerum intelligeret: sed nec negotiosa aut laboriosa ulla ex parte est ejus operatio, quin potius perfectissima & jucundissima XII. Met. t. 39. qualis secundum Aristotelē iterum non foret, si ideæ in mente ejus generarentur. Hæ enim non sui ipsarum gratiâ sunt, sed operis ergo, quo etiam vilior esset Dei cognitio, si per modum specierum fieret: moveretur enim ab intelligibili ad intelligendum XII. Met. t. 81. id autem quod movet, quà movet, honorabilius est: & præterea finis semper est præstantior iis, quæ sunt propter finem III. Top. I. Alia ergò, & quidem longè eminētiore, ratione Deus omnia cognoscit & intelligit. Nempe in seipso, ceu primo actu & longè perfectissimo, cujus intellectio & reliquorum actuum ab ipso descendentium intellectionem continet: unde & totum hoc universum prodiit, sicut ex mente ducis exercitus, seipsum intelligentis, exercitus ordo. Quod quia prolixè loco citato exposuimus, nolumus hîc repetere, ne actum jam denuo agere videamur. Quæ igitur hominis, equi, plantæ, aliorumq; talium producendorū vis in Deo, ceu primo principio, continetur, juxta Aristotelem non est verus homo, vera planta, aut verus equus, sed causa solum, à qua verè talia producuntur, causis omnibus secundis, vim obeundi, quæ unicuiqve naturæ conveniat, ab illa ut primâ suscipient bus, simili modo quodam, quo in horologio pulsante ex unius rotæ motu fit, ut partes ejus continuò moveantur, pōdus deorsum tendat, malleus singulis quadrantibus horæ, aut saltem horis singulis pulset, aliaque alios motus perficientes, quamvis in primo illo nulla reperiatur rationum distinctio, secundum quam singuli motuum perficiantur.

LXXXIIX. Prolixius aliquantò versati sumus in expositione *idearum Platonicarum*, quod sine ea multa in *Aristotele*

loca intelligi nullo pacto possint. Cæterum non semper Aristoteles cum adversus veteres disputat, vocabulis in eadem cum ipsis significatione utitur, sed tùm demum, cum ipsum ζητούμενον iis exprimitur. Exempli gratiâ lib. III. de Cœlo c. VII. t. 61. adversus *Platonicos* disputat, dicentes, elementa ex se mutuo generari per dissolutionem ejus, ex quo fit generatio, in plana, veluti si dissoluta domo ex eadem materia alia componatur domus. Quod impugnat *Aristoteles* inter alia ex hoc capite, quia inde sequeretur, non omnia elementa ex se mutuo generari, quod licet φαινομένοις repugnet, asserere tamen istos ait, idque inde provenire, quod non benè prima principia capiant, sed omnia ad præconceptas sive præfinitas opiniones reducere conentur, quarum amore eos, inquit, idem facere, τοῖς τὰς θέσεις ἐν τοῖς λόγοις διαφυλάττουσιν, i. e. *quod illi faciunt, qui theses in rationibus conservant.* Quid hic per θέσεις intelligat, non omnes similiter exponunt. Nobis persuasum est, hanc vocem eundem hîc habere sensum, quem obtinet lib. I. Topic. c. XI. §. 5. ubi *Philosophus* dicit, *thesin* esse *sententiam nobilis alicujus Philosophi receptæ opinioni repugnantem,* qualis erat ista *Antisthenis, non posse contradici:* itemque illa *Heracliti, omnia moveri.* Per λόγους autem intelligi *disputationes*, quo sensu & alibi vox λόγων venit, velut. I. Post. VI. §. 4. IV. *de Cœlo* c. IV. t. 33. IV. Met. IV. ut adeò hæc sit mens Philosophi, Platonicos, eam ipsam opinionem, quâ statuebatur elementa per dissolutionem in plana ex se mutuò generari, defendentes, iis fieri similes, qui sententiam aliquam παράδοξον disputando tueri nituntur. Quidvis enim potius concesserint, quàm ut θέσιν suam deserant, sicut statim addit Philosophus: ἅπαν γὰρ ὑπομένουσι τὸ συμβαῖνον, ὡς ἀληθεῖς ἔχοντες ἀρχάς, *Omne enim, quod ex thesi colligitur, admittunt esse verum, persuasi, quod vera habeant principia.* Utitur verò hoc sensu Aristoteles phrasi istâ, θέσιν διαφυλάττειν, & alibi, velut I. Ethic.

thic III. VIII. Topic. c. III. VIII. Politic. c. I. At aliis videtur magis congruum sententiæ Aristotelis esse, si dicatur, cum adducto loco, vocabulum, θέσις, alio, nempe eo, quô Platonici uti fuerant soliti, sensu adhibuisse. Vocabant autem Platonici θέσεις (Plato ipse in *Menone* & ὑποθέσεις appellat) eas enuntiationes, quæ utut causæ effectuum non sint, fingi tamen & ut causæ poni possunt, quod cum effectis conveniant & iis positis omnia φαινόμενα salvari queant. Qualis e. gr. θέσις aut ὑπόθεσις est ista *Copernici*, quam in Astronomiâ principii loco ponit, *terram moveri* & *cœlum stare*. Quamvis enim motus terræ & quies cæli non sint genuinæ causæ τῶν φαινομένων cœlestium, cum principiis tamen illis ita conveniunt ἀποτελέσματα, ut omnium φαινομένων causas continere minus circumspectè agentibus videri possint. Idem igitur fecisse *Platonicos* autumant, & hac de causâ reprehensos esse ab Aristotele: quod sanè in isto casu jure meritoqve factum fuisset. Sicuti namq; non sunt facienda mala, ut eveniant bona: sic nec falsa principia assumenda sunt, ut evincatur verum. Quamvis enim ex falso etiam verum colligi possit, causa tamen veri id non est, neque ex eo nasci potest scientia, docente ipso Aristotele II. Prior. cap. II. §. 2. & I. Post. c. II. §. 8. Verum nos non facilè persvadere nobis patimur, Aristotelem eo sensu vocem θέσις cit. l. usurpasse. Illi enim, qui θέσεις ponunt, talia assumunt, quæ congruunt φαινομένοις: quemadmodum & theses Aristoteli ita dictæ, quas collocat inter principia demonstrationis 1. Post. II. §. 14. & cap. X. §. 8, 9, semper φαινομένοις respondent: sed insuper hoc peculiare habent, quod non falsa sunt, sed vera 1. Post. II. §. 8. At *Aristoteles* Platonicis imputat, quod talia principia statuerint, quæ φαινομένοις essent adversa. Præferenda ergò videtur esse nostra, quam attulimus, expositio, licet fortè in ea significatione vox θέσις Platonicis, quos ibi refutat *Aristoteles*, non admodum fuerit usitata. In-

cidenter enim eâ utitur, & non in principali negotio, quod ipsi cum *Platone* ibi intercedebat. Interea cum vocabulis, quibus adversus veterum sententias in proprio loco disputans, utatur ex ipsorum mente, & tota fermè Philosophia ejus in reprehendendis Philosophis consumatur, utilissimum esset, si voces omnes, quibus quisqve Philosophus in sua familia usus fuit, per se explicarentur, ad quod apprimè conducere possunt eorum, qui illas secuti sunt, aut ipsorum sententiam retulerunt, commentaria, ex quibus non parum hinc inde excerpserunt Interpretes Græci. Sed satis de obscuritate, quæ in verbis ipsis spectatur, quæ quidem prima in ordine erat.

XIC. Sequitur nunc altera, quàm dicebamus consistere in *Grammatica rerum tractatione*. Aliquando enim transposita apud Philosophum hunc sunt aliqua, per σχῆμα, quod Græci ὑπέρβατον, Latini *trajectionem* vocant. Quale v. c. occurrit lib. III. Hist. Anim. cap. V, ubi de venâ arta verba faciens ita loquitur: Νευρώδης ἐστι φλὲψ, τὰ μὲν τελευταῖα, καὶ παντελῶς αὐτῆς, pro, τὰ μὲν τελευταῖα αὐτῆς, καὶ παντελῶς, *Vena aorta appellata nervosa est, tam quoad extrema ejus, quàm in universum.* Item lib. V. cap. VII, ubi de genere malocostracorum agens hæc habet: ὀχεύεται δὲ ἀρχομένου πρὸς τῇ γῇ ἔαρος, pro, ὀχεύεται πρὸς τῇ γῇ ἀρχομένου ἔαρος, *Coëunt ineunte vere circa terram.* Et cap. XXIII: γίνονται δὲ χάδονες οὐκ ἐν τῷ ἔαρι ἐκ τούτων, ἀλλ' ἐν τῷ μετοπώρῳ, *Fiunt verò ex his*, crabronibus, *nympha* (quæ sunt crabronum species,) *non vere, sed autumno.* Lib. III. de partibus animalium hæc leguntur. τὸ μὲν ἄνω, καὶ κάτω, ἐν τοῖς μᾶλλον ἐστιν ἄνω, pro, ἐν τοῖς ἄνω μᾶλλον ἐστιν. Nonnunquam porrò *desunt* nonnulla. Velut in initio primi Priorum, ubi, quis scopus sit istius πραγματείας, declarat his verbis: πρῶτον εἰπεῖν περὶ τί, καὶ τίνος ἡ σκέψις ἐστιν. Hic omissum esse aliquid, nempe verbum δεῖ, oportet, figurâ illa, quæ apud Atticos recepta est & ἔλλειψις dicitur, quivis facilè videt, & monet

net quoqve *Philoponus* in comm. Eodem lib. c. IV. §. 4. hæc habentur: Εἰ γὰρ τὸ α κατὰ παντὸς τοῦ β, ubi subintelligendum est, κατηγορεῖται: Lib. I. Post. XII. §. 10. docet, quod paralogismi in scientiis non eodem modo fiant, ut in λόγοις i. e. *disputationibus* Dialecticis. In causa esse dicit medium terminum dupliciter acceptum. Quoniam enim, inquit, Dialectici non versantur circa res determinatas, neque medios terminos habent determinatos, hinc multæ sunt deceptionis occasiones, & aliquando quidem accidit terminum aliter accipi in majore, aliter in minore. Velut in syllogismo, quem profert Philoponus in comm: Homo est animal, animal est trisyllabum, homo ergo est trisyllabus. Dupliciter enim dicitur homo & de substantia, & de nomine. Item in isto: *Olera excedunt terram*, excedens autem est excesso majus, olera ergo sunt majora terrâ. Excedere enim aut secundum *magnitudinem* dicitur, aut supra *superficiem* esse. In *scientiis* autem aliter se rem habere ait. Definitæ enim res secundum unamquamque scientiam, ut error per æquivocationem in ipsis non facilè committatur. V. gr. Circulus & *versus* dicitur, & *figura*. At si quis interrogaret Geometram, an circulus sit figura, statim in circulum descriptum animum intendet, neque anxius erit, de quo circulo sit sermo. Circulum enim nullum alium norunt Geometriæ, quàm ab una linea contentam figuram. Hæc ibi Philoponus, mentem Aristotelis perspicuè exponens. Cæterum Philosophus ipse discrimen istud ita proponere incipit: Ἐν δὲ τοῖς μαθήμασιν οὐκ ἔστιν ὁμοίως ὁ παραλογισμός, ubi hæc verba: καθάπερ ἐν τοῖς λόγοις, malè in codicibus nonnullis omissa esse ex serie contextus est manifestum. Simile quid & alibi passim in hæc Philosopho advertere licet. Admodum enim familiaris illi est βραχυλογία seu breviloquentia. Cujus exemplum etiam occurrit lib. VIII. Phys. text. 80. in verbis istis: ὃ εἶναι οὐδὲ ἐν ἀπείρῳ πεπερασμένην, *itaq; ne in infinitâ quidem finitam.* Ubi sub-

ſubintelligenda ſunt omnia illa, quæ in ſuperioris textus initio ſcripſerat, nempe, μεγέθει δύναμιν ἐνδέχεται εἶναι, *ne in infinita quidem magnitudine fieri poteſt, ut ſit poteſtas finita.* Ad quæ verba ita Averroës: *Sicut in magnitudine finitâ non poteſt eſſe poteſtas infinita: ſic viciſſim non poteſt eſſe finita poteſtas in magnitudine infinita, ſed finitam in finitâ, & infinitam in infinitâ eſſe oportet.* Lib. I. Hiſt. Anim. cap. II. in verbis iſtis: *Ea verò excrementa cum duum generum ſint*, ſubintelligendum humidum alterum, alterum ſiccum. *Et quæcunque quidem partes habent liquida excrementa excipientes, eadem habent & partes, quæ ſicca ſunt, excipientes.* Item lib. II. de partibus animal. c. XIII. in verbis iſtis: *Cilium habent palpebris adjectum omnia, quæ habent pilos.* ὄρνιθες δὲ καὶ τῶν φολιδωτῶν οὐδέν, *aves vero & quæ cortice integuntur, carent, ut quæ non habeant pilos.* Alius ſcripſiſſet: ὄρνιθες δὲ οὐκ ἔχουσιν, οὐδὲ τῶν φολιδωτῶν οὐδέν. Rurſus lib. de mirabilibus auſcultationibus hæc habet: *In Lipara Inſulâ* inquit, *Xenophanes alterum* (ignem) *interdum prorſus extingui annis ſexdecim* τῷ δὲ ἑβδόμῳ ἐπανελθεῖν, ubi ſubintelligendum ἐν δεκάτῳ. Senſus enim eſt, decimo ſeptimo rurſus redire.

XCIV. Quemadmodum autem interdum in Ariſtotele aliqua deſunt, ſic ex adverſo nonnunquam aliqua in eo ſuperſunt, v. c. quæ ab interpretibus dicuntur ἐκ τοῦ παραλλήλου, ut ſunt voces hæ, δοκεῖ, ἴσως, φαίνεται, & ſimiles in ſententiis planè certis ac neceſſariis. Uſitatiſſimum enim eſt huic Philoſopho, ut ubi firmiſſimè etiam alicui ſententiæ fidit, molliſſime tamen & quaſi dubius, ſecumque adhuc diſputans per particulas tales loquatur vel ex modeſtiâ, aut etiam elegantiæ causâ; vel quod confirmare id, de quo agit, ad aliam πραγματείαν pertineret, & alii Philoſophorum eſſent, qui Athenis tunc fortiter oppoſitum ſuſtinerent. Exemplum poſterioris habemus in XII. Met. III. ubi cauſa illa, quæ ita dicitur, ut ὁ λόγος, id eſt, forma, perhibetur eſſe ſimul cum eo, cujus eſt λόγος, nec poſſe

ſepa-

separetur. *οἷον, εἰ ἡ ψυχὴ τοιοῦτον, μὴ πᾶσα, ἀλλ' ὁ νοῦς, veluti, si anima tale sit, non omnis, sed intellectus.* πᾶσαν γὰρ, pergit, ἀδύνατον ἴσως, *Omnem namque separari fortassis impossibile est.* Ubi videmus, additam esse particulam ἴσως, *fortassis*, cum tamen apud *Aristotelem* nihil certius sit, quàm hoc, non omnem animam separari posse à corpore, sed solùm intellectum, imò, ne hunc quidem omnem, sed istum solùm, quem agentem vocat, quod patet ex pluribus locis, imprimis verò ex III. de animâ c.III.t.21.c.IV.t.1.c.V.t.19,20,26. Sed propter *Pythagoreos & Platonicos*, qui animas hominum per μετεμψύχωσιν censebant in corpora brutorum migrare, sic suam sententiam emollit, aliiq; loco negotium hoc decantandum relinquit. Ita cum nihil in Lycéo magis fixum & resolutum esset, quàm hoc, continuum non componi ultimò ex indivisibilibus, quod & prolixè demonstratum videmus cum VI. Phys. I. tum in tractatu peculiari de hac re, libro XIII. tamen Metaph. cap. II. quasi dubitans ait: Οὐθὲν ἐκ γραμμῶν, οὐδὲ ἐπιπέδων, οὐδὲ στιγμῶν φαίνεται συνεστάναι δυνάμενον, *nihil ex lineis, aut ex superficiebus, aut ex punctis* VIDETUR *consistere posse*, quod istius loci non esset hanc rem ex professo discutere. Prioris autem exempla passim occurrunt, velut I. Ethic. c. I. quod ita incipit: Πᾶσα τέχνη καὶ μέθοδος, πρᾶξίς τε καὶ προαίρεσις ἀγαθοῦ τινὸς ἐφίεσθαι δοκεῖ. Cur addit, δοκεῖ? Dicam verbis Simplicii in I. de Animâ, οὐχ ὡς ἀμφισβητῶν, ἀλλὰ ὡς καὶ ὑπὸ τῶν ἄλλων ὁμολογούμενον. ἢ διά τινα φιλόσοφον εὐλάβειαν, ut idem ait in I. de cœlo *non quasi dubitaret de veritate effati istius, sed quod ab aliis quoque pro confesso haberetur, aut ob circumspectionem quandam Philosophicam.* Quâ de causâ etiam alii veterum nonnunquam hoc verbo, de rebus certissimis loquentes, usurparunt, quod & Ulpianus in Orat. I. Olynthiacam Demosthenis advertit his verbis: Τὸ δοκεῖν καὶ τὰ τοιαῦτα, οὐ πάντως ἐπὶ ἀμφιβόλου τάττουσιν οἱ παλαιοὶ, ἀλλὰ πολλάκις καὶ ἐπὶ τοῦ ἀληθεύειν, *Veteres voce* δοκεῖ *& aliis*

talibus non semper de rebus dubiis adhibent, sed sæpiusculè etiam de rebus veris agentes. Eadem ratio est vocis, ἴσως, adhibitæ in I.Prior. c. XXVII. §. I. & alibi. Sed quis omnia, quæ quantum ad tractationem vocum attinet, in Aristotele supersunt, aut desunt, contulerit in unum? Neque opus est hoc labore, dummodo quis loquendi rationem, Græcis usitatam, cumprimis Atticam, quam secutus est Aristoteles, calleat. Non sine fructu tamen hâc in parte quis Græcos interpretes evolverit, quippe qui omnes professione Grammatici fuêre, & modorum loquendi cum aliis, tum Philosopho huic, usitatorum apprimè gnari.

XCI. At sunt, qui ne hanc quidem diligentiam, quæ impenditur in linguam Græcam, existimant necessariam esse: quod jam omnia ad nos conversa à viris utriusqve linguæ, Græcæ, inquam, & Latinæ, peritissimis pervenerint, velut à Boëthio, Perionio, Bessarione, Argyropylo & aliis, quo ipso omnium facillimè eam difficultatem, quæ ex primâ obscuritatis causâ proveniebat, declinare se posse confidunt. Verum utut hisce doctissimis viris laudem suam non invideamus, neque laborem, quem insumserunt in convertendo *Aristotele*, improbemus, res ipsa tamen ostendit versiones plerasq; ita esse comparatas, ut semper iis fidere non possimus. Interdū Auctores illarum secuti inveniuntur erroneam lectionem, atq; hâc occasione sententiam scriptis Philosophi intulerunt aut falsam, aut minus convenientem. Exempli gr. Lib. II.Prior. c.XXVI. §.6. vulgati codices pleriq; ita habent: *ἀνάγκη πρὸς τὸ καθόλου τῶν προτεινομένων τὴν ἀντίφασιν εἰπεῖν.* Quæ verba ita communiter exponunt, quod instantia propositioni universali sit opponenda. Ast id absolutè verum non est. Potest enim propositio, adversus quam instantia datur, etiam particularis esse, etiamsi plerumque sit universalis. Veluti, si quis dicat, quædam animalia, ἄλογα dicta, instructa esse ratione

tione, & alter reponat: imò nullum ejusmodi animalium est præditum ratione. Ex qua & §. 2. Philosophus instantiam non dicit necessariò esse ἐπὶ μέρους, particularem, sed ἐνδέχεσθαι εἶναι ἐπὶ μέρους, *posse esse particularem*. Et subsequente §. 2. instantiam dicit esse ἢ καθόλου, ἢ ἐν μέρει, *aut universalem, aut particularem*. Quin eo ipso, quem primo loco ex hoc capite citavimus, paragrapho ad illustrandum id, quod proposuerat, exemplum ponit propositionis particularis. *Veluti*, inquit, *si postulante aliquo sibi concedi, non eandem esse omnium contrariorum scientiam, alter dicat, imò omnium oppositorum eadem est scientia.* Unde dubium non est loco vocis προτεινομένων legendum esse τῷ προτεινομένῳ. Quomodo legit & Boëthius, qui sic transtulit: *Necesse est ad id, quod universale est proposito, contradictionem dicere, ut si non unam existimet contrariorum omnium, dicere oppositorum unam.* Ut adeò universale ei, quod proponitur, dicatur id, quod magis est universale, ac sub se alterum continet. Veluti omnium oppositorum esse eandem scientiam, universale est, collatum cum isto pronunciato, contrariorum omnium eadem est scientia, quod contraria sub oppositis contineantur. Deinde lib. I. Post. cap. VIII. §. I. in nonnullis codicibus hæc habentur verba: Μὴ καθόλου ὅτι ὁ μὲν ἔσται, ὁ δὲ οὐκ ἔσται. Quam lectionem secutus Pacius locum ita transtulit, *quoniam aliud erit, aliud non erit*. Ast correctiores codices habent, τὸ μὲν ἔσται, τὸ δὲ, οὐκ ἔσται, *quoniam partim erit, partim non erit*. Talis enim est conditio eorum, quæ non sunt universalia. V. c. animal partim est bipes, partim non est. Est enim homo, cum sit animal, bipes: equus autem bipes non est, quantumvis animal sit & ipse. Subsequente c. XIX. text. 35. (inedit. Pacii est capitis XXII. §. 4.) translatio Nicolai Gruchii ita habet: *Ac si hic mihi legem ponere certumque aliquid statuere liceat*, quod argumento est eum codicem habuisse, in quo νομοθετῆσαι scriptum invenerit: quod in quibusdam editio-

ditionibus certum eſt reperiri. Aſt malè. Scribendum enim fuerat νομοθετῆσαι, & vertendum: *Quod ſi nomina ponere licet, ita dicere, vocetur κατηγορεῖν.*

XCII. Porrò I. Ethic. cap. VII. poſtquam Philoſophus definitionem beatitudinis Practicæ poſuiſſet, atque addidiſſet, non eſſe hìc nimiam ἀκρίβειαν requirendam, rationem hanc ſubdit: *Neq; enim requirenda cauſa in omnibus ſimiliter, ſed ſufficit in nonnullis, ſi τὸ ὅτι rectè explicetur, veluti in principiis.* Hic verò porrò ſubjiciuntur aliqua in translationibus diverſis, quæ ſenſum parùm congruum habent, ſi cum præcedentibus conferantur. Ita enim habet verſio Lambini: *Rem ita eſſe autem primum & principium eſt.* At quid hoc eſt dicere: *Satis eſt in principiis, ſi τὸ ὅτι rectè explicetur. Hoc verò ipſum eſt principium?* Datur ne ergò principii principiū? Et annon ſunt quamplurima, in quæ cadit quæſtio ὅτι ἐστὶ, indigentia demonſtratione. Unde manat illud demonſtrationis genus, quod demonſtratio ὅτι Philoſopho dicitur lib. I. Poſt. cap. XI. Non melior eſt translatio Riccoboni, qui connectens ſequentia cum antecedentibus ità vertit: *Quemadmodum & de principiis primum ac principium quoddam eſt rem eſſe.* Principium enim & primum idem ſunt I. Poſt. II. & V. Met. I. Atque in axiomatibus & hypotheſibus ipſum eſſe principium eſt, verbi cauſa, totum eſſe majus quâlibet ſuâ parte: item, quæ naturâ conſtant, quieſcere aut moveri. Sed quod impoſuit utrique, hoc eſt, qvod in codicibus ſuis ſcriptum invenere: Τὸ δ᾽ ὅτι, πρῶτον καὶ ἀρχή. In correctioribus autem codicibus non eſt ὅτι. Neque agnovit illud vetus interpres: Sublato verò illò ſenſus eſt planus, videlicet is: Hoc verò, nempe τἀγαθὸν, quod hactenus definitum fuerat, primum eſt & principium. Eſt enim illud finis in practicis: hic verò eſt principiū & quidem omnium primum. Vel etiam ſic intelligi poteſt: Hoc verò, nempe, circa principia non διότι quærendum eſſe, ſed ἐν τῷ ὅτι ſubſiſtendum, principium eſt, ſubintellige omnium ſcientiarum.

Principia enim sunt prima, indeque prius quid non agnoscunt: agnoscerent autem, si causam aliquam, propter quam est, haberent, cum semper causa sit prior eo, cujus est causa I. Post. II. §. II. Et sic intellexit locum Aristotelis Andronicus Rhodius. Sic enim ille in Paraphrasi suâ: *Neq; similiter causa est quærenda in omnibus. Sufficit enim in quibusdam, planè ostendisse, quod sint, licet non addatur, cur sint. Illud autem in disciplinarum*, ἐπιστημῶν, *scientiarum quoq; principiis fieri solet: in quibus non cur sint, quærimus, sed an sint.* Καὶ τοῦτο ἐν πάσαις ἐπιστήμαις ἀρχή ἐστιν, *Atq; hoc omnibus scientiis commune est principium. Si enim*, pergit, *principiorum semper rationem quærimus, nunquam desinemus, sed in infinitum potius abibimus.* In translatione quoque Latinâ lib. II. Oeconom. error manifestus occurrit. Dicitur enim illic Cleomenes, Satrapes in Ægypto, fuisse Alexandrinus. Ast non multò post Aristoteles de ipso scribit, *quod ab Alexandro mandatum acceperit condendi urbem ad Pharum, quæ ipsa est Alexandria.* Qvod si verò ille huic urbi ædificandæ præfuit, quomodo Alexandrinus dici potest? Sine dubio Interpres iste in codicem incidit, in quo Ἀλεξανδρεὺς scriptum invenit, pro quo fortassis, si conjecturæ hic locus est, scribendum fuerat Ἀλλὶξ Ἀνδρεῖος. Ex quibus prius illud nomen fortè fuit cognomentum Cleomenis, qui ita dici potuit ab usu freqventi generis alicujus vestimenti, hoc nomine insigniti, de quo Hesychius: Ἀλλίκα, χλαμύδα, ἐμπόρπημα. ἀλλὶξ, χιτὼν χειριδωτὸς παρὰ Εὐφορίωνι. Nam & Cajus ab usu caligarum nomen Caligulæ accepit. Ἀνδρεῖος autem forsitan dictus fuit à loco natali, quod ex urbe Macedoniæ Andriâ ortus esset, cujus mentionem facit Stephanus Byzantius, scribens: Ἀνδρεία, πόλις Ἠλείας, καὶ ἑτέρα Μακεδονίας, ὡς Φιλέας ἐν περίπλοις· ὁ πολίτης Ἀνδρειεύς, *Andria, urbs Elidis, & alia Macedoniæ, ut Phileas in Periplis. Civis Andrieus.* Atque ita quidem conjicit Samuel Petitus lib. IV. Miscellaneorum cap. XII.

Sed certi quid hic definire non licet, cùm Cleomenis præter Aristotelem, quod sciam, vix ullus meminerit, excepto Curtio lib. IV. Histor. Lib. III. Rhetor. cap. XII. Philosophus istud locutionis genus, quo *eadem sententia crebrò repetitur*, damnat, ἐν ἀγωνιστικῇ tamen, hoc est, *dictione concertationibus exprimendis accommodata* locum habere dicit, & *Oratores quoq; ibi illud usurpare.* Ast quidam pro ἀγωνιστικῇ in codicibus suis scriptum invenerunt ὑποκριτικῇ: indeque sensum textui huic intulerunt parum idoneum. Quod ἀγωνιστικῇ autem sit legendum, nobis quidem tàm planum esse videtur, quàm quid esse potest. Nam & ante Philosophus locutionem partitus in eam, quæ rebus scribendis & monumentis literarum mandandis esset accommodata, & in eam, quæ studiis Oratorum ac contentionibus exprimendis inserviret, posteriorem hanc eadem insigniverat appellatione. Adhæc antiquissimi codices, etiam ille, quo P. Victorius usus fuit, ita habuerunt. Deniqve & Aquila quidam Rhetor, qui libellum conscripsit de figuris verborum ac sententiarum, ubi πολυλογίας exponit, eamqve non ad ornandam solùm orationem, sed & ad pugnam dicendi accendendam valere docet, roborans illud testimonio Aristotelis ex hoc loco non aliter citat: *Ideoque*, inquit, *& Aristoteli & iteratio ipsa verborum ac nominum, & repetitio frequentior, & omnis hujusmodi motus actioni magis & certamini, quàm stylo videtur convenire. Quâ de re in III. Rhetoricum libro artium disserit: actionem enim & certamen dicens*, ἀγωνιστικὴν λέξιν *exprimere voluit, ut stylum appellans* γραφικήν. Sequentia quoqve verba aliqui haud rectè transtulerunt. Inciderunt enim in corruptum codicem, in quo ita legerunt: ἔστι γὰρ ὑποκριτική, cum in antiquissimis libris sic legatur: ἔστι γὰρ ὑποκριτικά. Quo nomine intelligit dissoluta membra, nullisque copulis illigata, nec non earundem rerum, de qvâ hic disseruerat, iterationem. Ulterius lib. de arte Poëticâ cap.

XII.

XII. in translat. Riccoboni hæc leguntur: *Jam quoniam agnitio quorundam est agnitio, aliæ quidem sunt alterius ad alterum solū, cum fuerit manifestus, quis sit: aliquando verò ambos oportet cognoscere, ut Iphigenia ab Oreste agnita est ex missione epistolæ, illi autem erga Iphigeniam alia opus fuit agnitione.* Ast hic in posteriori commate aliquid est omissum, cujus causa sine dubio fuit codex corruptus, in quo scriptum invenit: Ἀναγνωρίσεις αἱ μὲν εἰσι θατέρου πρὸς τὸν ἕτερον μόνον, ὅτ' ἂν ᾖ δῆλος ἅτερος τίς ἐστιν· ὅτε δὲ ἀμφοτέρους δεῖ ἀναγνωρίσαι. Ast hic omissum αἱ δὲ. Hæ enim duæ particulæ, μὲν, &, δὲ, perpetuo sibi respondent. Hîc autem nullum δὲ reperitur: quod particulæ μὲν in verborum serie positæ, videlicet in verbis istis, αἱ μὲν εἰσὶ θατέρου, respondeat. Locus igitur ita supplendus: αἱ δὲ, ὅτε δὲ ἀμφοτέρους. Quam lectionem & Paccius in suâ translatione expressit, correctiore codice usus.

XCIII. Adhæc lib. VIII. Phys. textu 53. in translatione Johannis Argyropyli Byzantii hæc leguntur: *Est autem hoc manifestum quidem & ex eo, quod non alter esset generatio & corruptio, & mutatio in aliis, nisi aliquid moveat id, quod movetur. Quod autem movetur, ab eo quidem, quod movetur, ab immobili autem movetur.* Sic namque & ille in codice suo scriptum invenit: τὸ δὲ κινούμενον ὑπὸ τοῦ κινουμένου μὲν, ὑπὸ τοῦ ἀκινήτου δὲ κινουμένου, quomodo & alia vulgata exemplaria habent. Ast hæc lectio manifestè est adversa consilio Aristotelis de primo cœlo, moto à primo movente immobili, quod nullo modo movetur, agentis. Ita enim sonat theorema paulò ante propositum: *Necesse etiam est, ut id, quod primum ab hoc,* à pulmo scilicet movente immobili *movetur æternum esse.* Aliter ergò omninò legendum, nempe uti Themistius & Simplicius legerunt: Τὸ δὲ κινούμενον, ὑπὸ τοῦ ἀκινήτου δὲ κινουμένου, *Id vero quod movetur, aut ab immobili movetur, aut ab eo, quod & ipsum movetur.* Adhæc Lib. II.

de

de cœlo cap. VII. text. 42. Argyropyli verſio ita habet: *Calor autem ab ipſis* (ſtellis) *& lumen generatur attrito aëre, ab illorum latione.* Ex quo colligitur, illum legiſſe ἡ θερμότης καὶ τὸ φῶς. Aſt non ita legendum, ſed τὸ φῶς, quod *uſtionem* ſignificat, à verbo φώζειν, quod eſt ardere. Atque hæc duo, calorem, inquam, & ardorem ſive æſtum Philoſophus & alibi de hâc ipsâ materiâ loquens conjungit, videlicet lib. I. Meteor. cap. III. quando ad hunc modum ſcribit: Τὸ μὲν οὖν γίγνεσθαι τὴν ἀλέαν, καὶ τὴν θερμότητα, ἱκανή ἐστι παρασκευάζειν καὶ ἡ τοῦ ἡλίου φορὰ μόνον, *ut æſtus gignatur, atque calor vel ſola Solis latio ſatis eſt effectum dare.* Lib. V. Hiſt. Animal. cap. XXII. in verſione Gazæ hæc leguntur de apibus: *Deinde cibi causâ mellificant, tàm æſtate, quàm autumno.* Ita enim incuriâ librarii ille in codice ſuo ſcriptum invenit: Τὸ δὲ μέλι τρέφειν. Sed quid hoc eſt? Et quis claſſicorum ſcriptorum ita unquam eſt loqvutus? Ex iis autem, quæ ſeqvuntur, conſtat τὸ μέλι φέρειν eſſe legendum. Quod Virgilio IV. Georgicon v. 164. & 165. eſt *mella ſtipare.* Subſequente cap. XXIX. ejusdem libri V. Hiſt. Ariſtoteles de locuſtis agens: Τίκτουσι δὲ, inquit, λήγοντος τοῦ θέρους, *pariunt æſtatis exitu*, quod habet etiam Plinius lib. XII. cap XXIX. Aſt Theodorus Gaza pro, æſtatis, habet, veris. Quod ſententiam parit falſam. Adhæc lib. de mirabilibus auſcultationibus in vulgatâ verſione hæc occurrunt: *In Pantheo olea eſt, quam Calliſtephanum vocant, omnia folia reliquis olivis contraria forma producens: quippe quæ ſupinam, non pronam, partem habeat viridiorem.* Nempe legit Auctor illius: Ἔξω γὰρ ἀλλ᾽ οὐκ ἐντὸς ἔχει τὰ χλωρά. Aſt Suidas legit, λευκά. Sic enim ille verba Philoſophi in Κοτίνῳ στεφάνῳ citat: Ἔξω γὰρ ἀλλ᾽ οὐκ ἐντὸς ἔχει τὰ λευκά, *exteriorem enim non interiorem partem habent albam.* Atque ita omninò eſt legendum. Si enim non intus, ſed foris viridis eſſet hæc oleæ ſpecies, quomodo reliquis contraria dici poſſet, quippe in quibus idem advertere li-

cet?

cet. Tandem tribuitur Aristoteli & libellus de ventis, cujus Interpres inter alia ita: *In Olbia propè Mygalum Pamphiliæ, Gaureus dicitur, quia flat ab insula, cui nomen Gauris.* Quod argumento est, illum, Γαυρὶς, legisse. Sed probabilius est Auctorem libri Γαῦλος scripsisse, quæ una fuit ex tribus insulis à Carthaginensibus olim habitatis. Fuere enim illæ Melite, Gaulus, Lampas, auctore Scylace. Erat autem in Siculo freto versus Africam, ut memorat Mela lib. II. de situ orbis cap. VII, inque eà *nec servus nascebatur, nec aliunde invectus vivebat, quin etiam jactus ex ea quocunque gentium pulvis arcebat angues: scorpiones quoque superjactu illius terræ pulveris illicò perimebantur*, auctore Solino cap. XXXII. Meminit insulæ hujus & Strabo lib. VI, ubi pro Γαῦδω Γαῦλον putamus legendum. Meminit etiam Plinius, qui libro III. cap. IIX: *Insulæ sunt in Africam versæ Gaules, Melita.* Et lib. V. cap. VII: *Mox Gaulos & Gaulata, cujus terra Scorpionem dirum animal Africæ necat.* Deniqve & Stephanus Byzantius, cujus hæc sunt: Γαῦλος, νῆσος πρὸς τῇ Καρχηδόνι, *Gaulus insula propè Carthaginem.*

XCV. Deinde cum codicem correctum habuerunt Interpretes Latini, non semper tamen mentem Philosophis fuerunt assecuti. Inde aliquid interdum in translationibus ipsorum redundat. E. gr. lib. I. Ethic. cap. I. Lambinus in versione suâ hæc habet: *Politica quas in civitatibus scientias esse oporteat, & quas quisque discere debeat, & quatenus, seu usque ad quod tempus ea statuit, ac præscribit.* Ast in fonte nihil habetur, quod respondeat verbis istis, seu, usqve ad qvod tempus. Loco enim illorum atqve præcedentis, quatenus, illic nihil nisi hæc verba, μέχρι τίνος, habentur. His autem non negamus quidem Aristotelem etiam ad tempus respicere. Vult enim ipsemet in Politicis, videlicet lib. IIX. cap. I. pueros ingenuos Musicam quidem discere & exercere debere, sed quamdiu pueri sunt; grandiores autem effectos ab eâ exer-

cendâ abstinere, atqve de aliis judicare debere. Sed nec inficiamur, aliis scriptoribus phrasin istam, μέχρι τίνος, hoc sensu venire interdum, ut idem notet ac, usqve ad qvod tempus, velut Platoni in Gorgiâ, ubi Callicles Philosophiæ tractationem adolescentibus quidem ait concinnum quid esse & elegans, sed vider dum esse μέχρι του. Senibus enim eam arbitratur esse indecoram. Verùm quod Aristoteles id solum modo hoc loquendi loco citato indicare voluerit, nobis verisimile non videtur. Vocula μέχρι enim non solùm quousqve significat, sed & adhibetur, cum rei alicui rectum modum ac terminos statutos esse significatur. At horum Politica non minus ac temporis rationem habet in statuendo de scientiis & facultatibus addiscendis. Verbi causâ constituit, Astrologiam esse quidem in civitate ferendam, quatenus de corporum cœlestium magnitudinibus, motibus, intervallis disserit, aut etiam morbos, tempestates, sterilitatem, quæqve iis contraria sunt, prædicit: non autem, si longius progrediatur, atqve de cujusq; fortunâ, moribus, statu, aut etiam exitu vitæ, ausit pronuntiare. Hactenus enim illa legibus, civilibus etiam Romanis, apertè est interdicta. Deinde lib. VI. Ethic. cap. IIX. in translatione paulò ante dicti Interpretis, Lambini, hæc occurrunt: *Civilis* SCIENTIA *& prudentia idem sunt.* At in Græco textu vox nulla reperitur, quæ respondeat scientiæ voci. Sic enim ibi verba sonant: ἔστι δὲ καὶ ἡ πολιτικὴ, καὶ ἡ φρόνησις, ἡ αὐτὴ μὲν ἕξις· Πολιτικὴ, ait, non πολιτικὴ ἐπιστήμη. Inter πολιτικὴν autem simpliciter & scientiam πολιτικὴν non exiguum est discrimen, nempe tale, quale inter Architectum est & eum, qui scientiâ quidem rerum Architectonicarum imbutus est, eamqve profitetur, universè expendens, quæ eo pertinent, at e interim, quæ in Architecto est, atqve, quomodo hæc vel ista domus ædificanda sit, ratione habitâ omnium circumstantiarum, operariis præscribit, non item. Unde & à Politicâ

qui-

quidem quis Politicus simpliciter dicitur; à scientiâ autem Politicâ, quæ Philosophia est circa res civiles, non item, sed cum addito, Philosophus Politicus, si aut, eam doceat, Politices Professor. Plura hic non addimus, cum discrimen inter scientiam practicam & prudentiam alibi fusè à nobis sit explicatum, nempe in libris de variis sciendi generibus, & quidem lib. I. c. XVI. Porrò lib. VII. Ethic. cap. IV. (VI.) verbis istis: *Quoniam verò ex cupiditatibus & voluptatibus* αἱ μὲν εἰσὶ τῷ γένει καλῶν καὶ σπουδαίων, *quædam sunt genere honesta ac proba*, Agyropolus de suo addidit, *alia non sunt*. Cujus tamen nihil in fonte apparet. Nec opus est ista additione, cum jam antè ostenderimus, apud Aristotelem non rarò aliqua omitti, à lectore supplenda, qvod ex iis, quæ ipse profert, & ista facilè intelligi possint: quod & hîc factum esse non dubitamus. Ulterius lib. de arte Poëticâ cap. XV. de Iphigenia verba faciens inter alia hæc habet: οὐδὲν γὰρ ἔοικεν ἡ ἱκετεύουσα τῇ ὑστέρᾳ. Quæ verba à Paccio sic redduntur: *Ut cui posterior supplicatio priori non consonet*. Ast in fonte nihil est de posteriori supplicatione. Neque legitur in Tragœdia de Iphigenia conscriptâ illa bis patri supplicasse. Sic autem vertenda erant: *Non enim similis erat supplicans posteriori*, hoc est, non talis videbatur illa supplicans, quàm quidem postea se gessit. Subsequente cap. XVIII, ubi in fonte hæc occurrunt: Ἐν δὲ τοῖς δράμασι πολὺ παρὰ τὴν ὑπόληψιν ἀποβαίνει, quæ sic vertenda erant: *In dramatibus vero multum præter opinionem accidit*, Paccii translatio ita sonat: *In actibus vero multum præter id, quod susceptum negotium exposcit, longiores evaderent*, in quâ aliqua reperiuntur, quorum in textu nullum vestigium extat. Præterea lib. IV. Phys. cap. XII. text. 118. al. cap. XIX. §. 8. post verba illa: *Quoniam autem est mensura motus, est etiam quietis mensura*, à Paccio & aliis additur, *ex accidenti*. Ast verba hæc, κατὰ συμβεβηκός, neque Alexander, teste Philopono, agnovit, neque reperiun-

riuntur in codicibus plerisqve. Adhæc lib. I. Hist. Animal. cap. I. Philosophus de partibus animalium humidis agens hæc usurpat verba: τὰ ὑγρὰ [μόρια] ἢ ὅλως, ἢ ἕως ἂν ᾖ ἐν τῇ φύσει, *Partes humidæ aut omninò, aut quamdiu in suâ naturâ sunt*, & addit, *ut sangvis, cruor, adeps, serum, medulla, semen genitale, fel, lac.* Ast Theodorus Gaza verba ista, ἕως ᾖ ἐν τῇ φύσει, ita transtulit, *quamdiu in sede manent naturali.* Ubi illud, sede, intulit de suo. Sed malè. Possunt enim etiam in sedibus quoque suis sanguis, semen, lac &c. exire è suâ naturâ: neque enim natura solà sede circumscribitur, sed &, & quidem quàm maximè, officii ratione, cum nihil faciat frustra. Ulterius lib. IIX. Hist. Animal. cap. XII. de gruibus verba faciens, ita scribit: Μεταβάλλουσι γὰρ ἐκ τῶν Σκυθικῶν εἰς τὰ ἕλη τὰ ἄνω τῆς Αἰγύπτου, ὅθεν ὁ Νεῖλος ῥεῖ, ἔστι δὲ ὁ τόπος οὗτος, περὶ ὃν πυγμαῖοι κατοικοῦσιν. οὐ γάρ ἐστι τοῦτο μῦθος, ἀλλ' ἔστι κατὰ τὴν ἀλήθειαν γένος μικρὸν μὲν ὥσπερ λέγεται καὶ αὐτοί, καὶ οἱ ἵπποι τρωγλοδύται δ' εἰσὶ τὸν βίον. Quæ Gaza ita vertit: *Quæ (grues) ex Scythicis campis ad paludes Ægypto superiores, unde Nilus profluit, veniunt, quo in loco pugnare cum Pygmæis dicuntur. Non enim id fabula est, sed certè genus tum hominum, tum etiam equorum pusillum, ut dicitur, est, deguntq; in cavernis, unde nomen Troglodytæ à subeundis cavernis acceperunt.* Ast ne verbo quidem in textu dicitur, grues cum Pygmæis pugnare. Sic enim ad verbum ille habet: *Ex Scythicis oris migrant* (grues) *ad paludes, quæ supra Ægyptum sunt, unde Nilus profluit. Est autem locus hic, circa quem Pygmæi habitant. Neque enim id fabula est, sed revera, ut traditur, genus ibi parvum est, & ipsi, & equi. Quoad vitam autem Troglodytæ sunt*, hoc est, in cavernis sub terrâ degunt. Dicit ergò Philosophus quidem, ad fontes Nili pusillos homines pariter ac eqvos degere. Quod & confirmat Nonnosus, qui sub Justiniano claruit, circa hæc loca navigans, ut ex Homeritis ad Auxumitas iret. Sic enim de illo Photius in Biblio-

bliotheca in Excerptis ex Nonnosi historia Codice III: ἐνέτυχέ ποτι μορφὴν μὲν καὶ ἰδέαν ἔχουσιν ἀνθρωπίνην, βραχυτάτοις δὲ τὸ μέγεθος, καὶ μέλασι τὴν χρόαν· ὑπὸ δὲ τριχῶν δεδασυμμένοις διὰ παντὸς τοῦ σώματος· εἵποντο δὲ τοῖς ἀνδράσι καὶ γυναῖκες παραπλήσιαι, καὶ παιδάρια ἔτι βραχύτερα, τῶν παρ' αὐτοῖς ἀνδρῶν, *Incidit in quosdam formâ quidem & figurâ humanâ, sed brevissimos, & colore nigros, totoq; corpore pilosos. Sequebantur viros æquales fœminæ, & pueri adhuc breviores.* Verùm qvod pugna iis cum gruibus intercedat, non dicit. Quin potius hoc commentum est Homeri, qvod auxerunt Megasthenes & Daimachus, fabulosissimi scriptores, de quibus Strabo lib. II. Geographiæ: Ἐνσκευάνισι δὲ τὴν Ὁμηρικὴν τῶν Πυγμαίων γερανομαχίαν, τρισπιθάμους εἰπόντες, *Homericam Pygmæorum in grues pugnam interpolarunt, trium palmorum eos esse dicentes.* Quos secutus fuit Plinius, cujus ex lib. VII. natural. hist. cap. II. hæc sunt: *Supra hos, Astomos, extremâ* in parte montium *Spithamæi Pygmæi narrantur; ternas spithamas longitudine, hoc est, ternos dodrantes non excedentes, salubri cœlo, sempérq; vernante, montibus ab aquilone oppositis: quos à gruibus infestari Homerus quoqve prodidit.* Sed & Ctesias Cnidius gemina his habet in Indicis apud Photium codice LXXII. Ait enim & ipse, *in mediâ Indiâ homines reperiri nigros, qui Pygmæi appellentur: eosq; linguâ, quâ reliqui Indi, uti, & valdè esse parvos, adeò, ut maximi duorum cubitorum, plerique autem unius duntaxat cubiti cum dimidio altitudinem non excedant.* Legi potest etiam Juvenalis Satyrâ XIII. & Oppianus I. de piscibus, necnon A. Gellius lib. IX. cap. IV. Ut taceaam Meneclem, qui I. Collectaneorum, referente Athenæo lib. IX. ulterius adhuc progressus tradit, eos non cum gruibus tantùm, sed & cum perdicibus decertare.

XCVI. Interdum contra desunt aliqua in translationibus Aristotelis Latinis. Veluti lib. I. Poster. cap. II. §. 14. post verba illa: ἣν δ' ἀνάγκη ἔχειν τὸν ὁτιοῦν μαθησόμενον ἀξίωμα. ἔστι

τὰ δ' ἔνια τοιαῦτα, in nonnullis codicibus Græcis hæc ſequuntur; ἃ εἴωθεν ὁ μανθάνων, προβάλλεσθαι καθ' ἑκάστην ἐπιστήμην. Aſt hæc in plerisque verſionibus Latinis non ſunt expreſſa, ne quidem ipſius Boëthi. Agnoſcit tamen ea Themiſtius, nec non Philoponus, qui hinc duas ponit differentias theſi & axiomati intercedentes. Quarum *altera* hæc eſt, quod *axiomatibus magis per ſe fides habeatur, quàm poſitionibus*: *altera* autem hæc, quod *axiomata ex nobis ipſis proferamus*, (προβαλλόμεθα eſt in Græco:) *theſes autem à Præceptore hauriamus in ſcientiâ unaquâq;*. *Ponit enim*, pergit, *Arithmeticus, eſſe unitatem indiviſibilem, & Geometra, quod in circulo omnes lineæ rectæ, à centro ad circumferentiam ductæ, inter ſe ſint æquales, & quod à quovis puncto ad quodvis punctum duci poſſit linea recta, punctum autē ſit indiviſibilē, & triangulus omnis tribus rectis contineatur. Porrò Medicus, conſtare corpora ex quatuor elementis*: *Phyſicus autem, omnia naturalia corpora eſſe ex materiâ & formâ.* Lib. de arte Poëticâ cap. IX. ſcribit, Poëtam fabularum magis, quàm carminum, eſſe ποιητὴν, id eſt, artificem, vel effectorem, & ſubdit: ὅσῳ ποιητὴς κατὰ τὴν μίμησίν ἐστι, *Quatenus Poëta eſt ſecundum imitationem*, innuens, Poëtam utriusque eſſe effectorem, tàm imitationis, quâm carminis, quanquam ab imitatione potiſſimum dicatur. Aſt Paccius vocem, ποιητὴς, hic omiſit, atq; ſic tranſtulit, *ut qui ſemper circa imitationem verſetur*, omninò præter Ariſtotelis intentionem. Sequente c. XIV. Philoſophus hæc habet: Ἡ μὲν οὖν κατὰ τὴν τέχνην καλλίστη τραγῳδία ἐκ ταύτης τῆς συστάσεώς ἐστι, *Secundum artem igitur quidem pulcherrima eſt Tragœdia, quæ ex hujusmodi conſtiterit compoſitione.* Aſt Paccius in tranſlatione ſua verba illa, SECUNDUM ARTEM, omiſit. Non rectè. Multa enim ex arte ſunt pulchra, quæ vulgo hominum pulchra eſſe haud videntur. Sed & in fine ejusdem capitis ejusdem Paccius aliquid omittit. Cum enim in textu hæc extent: Περὶ μὲν οὖν τῆς τῶν πρα-

γμά-

γμάτων συστάσεως, καὶ ποίυς, καὶ ποίας εἶναι δεῖ τοὺς μύθους εἴρηται ἱκανῶς, quæ ita vertenda erant: *Ac de rerum quidem constitutione, & quales, & quasnam fabulas esse oporteat, satis jam dictum*, illius translatio ita habet: Igitur tum quales esse fabulas „oporteat, satis jam dictum. Porrò cap. XVIII. postquam Aristoteles dixisset, eos Poëtas scopum attingere, *qui peripetiis utuntur, simplicibusq́ fabulis, non duplicibus*, quales sunt, qui Epopœiæ constitutionem habent, sed unius duntaxat personæ fortunam ex insperato mutatam exprimunt, affert mox ejus causam: *Quoniam*, inquit, *tragicum est & φιλάνθρωπον*, hoc est, *moratum atq́ societati humanæ conducens*, quo sensu φιλανθρωπίας vox etiam apud Demosthenem in Midiâ accipitur, & quidem in verbis istis: Ἀκύετε ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι τῦ νόμυ τῆς φιλανθρωπίας, ὃς ὐδὲ τὺς δύλυς ὑβρίζεσθαι ἀξιοῖ. Inde verò subdit: Ἔστι δὲ τῦτο, ὅταν ὁ σοφὸς μὲν μετὰ πονηρίας δὲ ἐξαπατηθῇ, ὥσπερ Σίσυφος, *Est verò hoc, cum vir sapiens, id est, sagax, sed improbus & dolis scatens decipitur, ut Sisyphus*. Ast Paccius tria priora verba, Ἔστι δὲ τῦτο, in sua translatione prætermittit, quod facere haud debuerat. Non omittendus quoque nobis hic locus ex capite vigesimo quarto libri modo laudati, ubi de Homero testatur, quod ille inprimis ostenderit modum mendacia rectè constituendi, nempe paralogismi interventu, qui alioqui Philosopho fallacia dicitur consequentis. *Putant enim*, inquit, *homines, quando hoc existente aut facto, alterum fit, si posterius est, etiam prius esse vel fieri: quod tamen falsum est*. Exempli gratiâ, raptâ Helenâ atque in Ægyptum ductâ, secutum est excidium Trojæ, ast non evenit id necessariò ex illo raptu, sed ex aliâ causâ: interim, cum homines vident Trojam humi prostratam, quod ponitur à Poëta, putant & alterum, quod subinfert, verum esse. Hinc subdit Philosophus: διὸ δεῖ, ἂν τὸ πρῶτον ψεῦδος, ἄλλο δὲ τούτου ὄντος ἀνάγκη εἶναι, ἢ γενέσθαι, προσθεῖναι. διὰ γὰρ τὸ εἰδέναι τοῦτ' ἀληθὲς ὄν, παραλογίζεται ἡμῶν

ἡ ψυχὴ

ἡ ψυχὴ καὶ τὸ πρῶτον, ὡς ὄν. Quæ verba ita transtulit Paccius: *Sed ob id ſanè mendacium primum eſt, quod alio quopiam exiſtente, hoc idem eſſe, vel fieri neceſſe ſit, ſiquidem cum hoc eſſe verum ſciat, anima noſtra paralogiſmo colligit, etiam primum eſſe verum.* Aſt hic neglecta eſt vox, προσθεῖναι, quæ tamen haud fuerat negligenda. Invenitur enim in omnibus Græcis codicibus, niſi quod loco iſtorum verborum, ἄλλου δε, in nonnullis habeatur ἄλλο δὲ, in Lampridii autem libro, ἀλλ' οὐδὲ, Feliciani denique codice ἀλλὰ δεῖ, delatâ ea, quæ ſubſequitur, voculâ ἢ, reperiatur. Sic enim integra ibi lectio habet: Ἀλλὰ δεῖ προσθεῖναι. In margine autem loco, ἢ, adſcripta eſt vocula εἰ, quam Madius retinendam putat, atque locum ita reſtituendum: ἀλλά εἰ τούτου ὄντος, ἀνάγκη εἶναι ἢ γίνεσθαι δεῖ προσθεῖναι, id eſt: *Sed ſi hoc exiſtentente neceſſe eſſe vel fieri oportet addere*, atque hunc vult loci valdè obſcuri eſſe ſenſum. Sunt aliqua, quæ neceſſarium inter ſe habent nexum, & quidem talem, ut mutuo recurrant, atque in talibus non ſolùm antecedente poſito ponitur & conſequens, ſed & hoc poſito ponitur antecedens. Veluti, ſi ponatur Solem eſſe ſuper terram, dies quoque neceſſario ponitur, & viciſſim, poſito, quod dies ſit, Sol quoque ſuper terram ponitur. Cum ergò anima in his tale quid videt, putat, quantumvis falſò, idem etiam locum habere in his, quorum unum poſt alterum eſt, aut fit, ſed non neceſſariò, ut ſi quod poſterius eſt ponatur, & id quoque, quod prius eſt, ſit ponendum. Quod falſum eſſe dicit, quia ſequi oporteat neceſſariò, non autem contingenter, ſi rectè debeat ex conſequenti inferri antecedens.

XCVII. Ulterius lib. V. Phyſicor. cap. III. §. 5. juxta editionem Pacii verba iſta, αὕτη γὰρ ἡ κίνησις ἐξ ἄλλου εἴδους εἰς ἄλλο ἐστὶ μεταβολὴ, ita Pacius transfert: *Hic enim motus eſt mutatio ex uno in aliud.* Aſt ubi vox, εἴδους, manet? Sic ergò locus hic vertendus eſſet: "Hic enim motus eſt mutatio ex unâ

for-

formâ vel specie in aliam. Lib. I. Histor. Animal. cap. I. Philosophus de animalibus agnatis verba faciens genus aliquod illorum ita describit: τὰ δὲ προσπεφύκε, καὶ ἀπολύεται, idqve mox exemplo generis istius animalium, quod urticam vocant, declarat. Jam verba ista priora ita transtulit Theodorus Gaza: *Sunt item, quæ & adhærere solent, & quoties libuit absolvi.* Verùm non satis expressit mentem Aristotelis. Προσπεφυκέναι enim non est adhærere quocunqve modo, sed adhærere NATURA. Quod hinc addere debuisset Theodorus. Nam & lampreta non minus adhæret, sicut urtica: at non προσπέφυκε: quia non is hic, ubi hæret, aut inde, nata est, cum urticarum ortus indidem sit, ubi hærent, ut benè Scaliger. Lib. VI. Histor. cap. XXXVII. versio Gazæ ita habet: *Terra Persica parte quâdam mure fœminâ resciſsâ, fœtus fœminini pragnantes comperiuntur.* Nempe ita ille accepit verba Aristoteles, ut Plinius, qui lib. X. Natur. Hist. cap. LXV. de muribus hæc habet: *Ex una genitos CXX. tradiderunt: apud Persas verò pragnantes & in utero parentis repertas. Et salis gustatu fieri pragnantes opinantur.* Sed & Ælianus, quod mireris, quippe Græcus, lib. XVII. de Animalibus cap. XVII: Θαυμάσαι δὲ τῶν μυῶν τὸ δε ἄξιον ἄρα καὶ τοῦτο. ἐὰν ἀλῷ μῦς κύουσα, κᾆτα ἐξαιρεθῇ τὸ ἔμβρυον, αὐτῆς διατμηθείσης ἐκείνης, εἶτα μέντοι καὶ αὐτὸ διαιρεθῇ, καὶ ἐκεῖνο ἔχει βρέφος. *Hoc etiam in muribus admiratione dignum est. Si mus pregnans capta dissecetur, & eximatur fœtus, in eo quoque dissecto fœtus reperietur alter.* Et hos quidem sine dubio in translatione suâ seqvutus est Theodorus. Ast fontem si consulamus, videbimus eum rursus aliquid omisisse. Sic enim Græca sonant: Τῆς δὲ Περσικῆς, ἔν τινι τόπῳ ἀνασχιζομένων τῶν ἐμβρύων, τὰ θήλεα εἶσι κύουσα φαίνεται. Quæ ita sunt transferenda: *Terræ Persicæ loco quodam, sive parte quadam, discissis embryonibus mures, qui fœminini sexus sunt, quasi pragnantes apparent*, videlicet ob crassitiem, vel quod valdè sint obesi. Ast neqve τὸ εἶσιν, quasi, neqve

neq; τὸ φαίνονται, *sive apparent, videntur,* Theodorus expressit. Præterea lib. II. de Partibus animal. cap. VII. de cerebro Philosophus disserens hæc usurpat verba: Οὐδ᾽ ὅπων γὰρ αἵματος ἔχει ἐν αὐτῷ. Quæ verba Theodorus Gaza ita reddidit: *Quippe quod nihil sangvinis habeat.* Ast hîc transiliit ista, ἐν αὐτῷ, & hoc ipso occasionem præbuit malevolis, Philosophum calumniandi, quasi totum illud, quod vulgò cerebri appellatione venit, nihil quicquam sangvinis habere existimarit. Quod tamen ejus doctrinæ omninò est adversum. Scribit enim apertè lib. I. Histor. Animal. cap. XVI. quod μῆνιγξ sive involucrum ejus aut membrana, illud ambiens, sit φλεβώδης, id est, *venulis plena.* At venæ quid sunt nisi vasa & conceptacula sangvinis? lib. III. Hist. Animal. cap. XIX. Sed & ipso illo, quod ex II. de partibus animal. capite citatum est, docet venas ad membranam cerebri devenire *ex utrâqve venâ,* majore & aorta, sed ἀντὶ μεγάλων ὀλίγων πυκνὰς καὶ λεπτὰς, *loco paucarum magnarum multas & tenues,* atqve ἀντὶ πολλοῦ καὶ παχέος αἵματος λεπτὸν καὶ καθαρὸν, *loco sangvinis copiosi & crassi, tenuem & sincerum eò subire,* idqve ideò, *ut & illa pars aliquo fruatur calore, non tamen nimio, sed modico.* Quod autem Aristoteles de cætero in verbis initio citatis negat, hoc est, cerebrum sangvinem habere ἐν αὐτῷ. Ubi ante omnia nosse oportet, quid per cerebrum (ἐγκέφαλος in fonte est) ibi intelligat. Nempe, nihil aliud ibi hâc appellatione notat, quàm partem illam cerebri, quæ μυελὸς, sive medulla cerebri, aliâs vocatur. Quo sensu hæc vox etiam aliâs passim venit. Veluti apud Homerum Iliade III. v. 300. ubi de fœdifragis hæc habentur:

Ὧδέ σφ᾽ ἐγκέφαλον χαμάδις ῥέοι ὡς ὅδε οἶνος,

Sic ipsorum cerebrum in terram fluat, sicut hoc vinum.

Timæus qvoqve apud Platonem: Καὶ τὴν μὲν τὸ θεῖον σπέρμα, οἷον ἄρουραν, μέλλουσαν ἕξειν ἐν αὑτῇ, περιφερῆ πανταχῇ πλάσας, ἐπωνόμασε τοῦ μυελοῦ ταύτην τὴν μοῖραν, ἐγκέφαλον, *Ceterum eam*

am partem, quæ divinum semen, velut ager, receptura erat in se, undiquaqve rotundam faciens natura *cognominavit medulla hanc partem, cerebrum.* Ruffus quoqve Ephesius eodem sensu lib. de partibus hominis cap. II: Ἐν τῇ κεφαλῇ τοίνυν, inquit, ὑπόκειται κατὰ τὴν κοιλότητα τοῦ κρανίου, σὺν ταῖς περὶ αὐτὸ μήνιγξιν ὁ ἐγκέφαλος, *In capite itaqve sub concavo cranii continetur cerebrum cum suis membranis, quibus est involutum.* Ubi ἐγκέφαλος nil nisi μυελὸν, hoc est, medullam cerebri denotare potest, cum à membranis distingatur, quibus dicitur esse involutum. Julius Pollux qvoqve non aliter vocem usurpat lib. II. Onomastici cap. XXIII. ubi has duas voces, ἐγκέφαλον, & μυελὸν, permutat. Verba ejus hæc sunt: Τὸ δ᾽ ἔνδον ἐν τῇ κεφαλῇ ἐγκέφαλος διπλοῦς κατὰ συμβολὴν, εὐρυνόμενος κατὰ τὴν βάσιν τὴν ὄπισθεν, προνεύων εἰς τὸ πρόσθεν· περιειλήφασι δ᾽ αὐτὸν μήνιγγες δύο· ἡ μὲν ἔνδοθεν, ἐρυθροτέρα· ἡ δὲ ἔξωθεν στερεωτέρα· καλοῦνται δὲ καὶ εἰλαμίδες, διότι περὶ μυελὸν εἰλοῦνται, *Quod verò capiti inest, cerebrum duplex juxta commissuram, dilatatum secundum posteriorem sedem & ad anteriora prominens: hoc verò ambiunt binæ membranulæ, interior quidem rubicundior, exterior verò solidior.* Vocantur etiam εἰλαμίδες, *involucra*, eò quod circa medullam volvantur. Quibus mox subjiciuntur seqventia: Ὑπὸ δὲ τὴν τοῦ ἐγκεφάλου βάσιν, ἡ παρεγκεφαλίς· μυελὸς, ἐγκεφάλῳ προσόμοιος, πλὴν ὅσον ἐπὶ μᾶλλον ἐπίξανθος τὴν χρόαν, *Sed sub sede ipsius cerebri est cerebellum, medulla cerebro persimilis, nisi quod colore magis flavescit.* Hoc itaque sensu etiam Aristoteles d. l. vocem ἐγκέφαλος adhibet. Nam primò de cerebro loquitur in eâ significatione, in quâ voce hâc usi sunt veteres, qui cerebrum medullam esse senserunt, quod cit. loco refellit Aristoteles, hoc argumento nixus, quod cum medulla naturâ suâ calida sit, cerebrum contra naturâ frigidum existat. Deinde lib. I. Hist. cap. XVI. de eodem dicit, quod in medio ejus plerisqve sit κοῖλον τι μικρὸν, *cavum quoddam exiguum* .

 μῆνιγξ

μῆνιγξ autem ſive membrana *περὶ αὐτὸν, circa cerebrum*, ſit *φλεβώδης*. At hoc intelligi non poteſt, niſi de parte illâ, quam vulgò cerebri medullam appellant. Hoc igitur ſenſu vocatum cerebrum dicit Ariſtoteles venas & ſangvinem non habere, verùm nec hoc ſimpliciter, ſed *ἐν αὐτῷ, in ſe ipſo*, ſive intra ſubſtantiam ſuam. Sic enim verba ejus lib. II. de Partibus Animal. cap. VII. ſonant: *οὐδ' ὅπερ ἄναιμον ἔχει ἐν αὐτῷ, Nihil enim ſangvinis illud*, cerebrum, *habet* IN SEIPSO. Et lib. I. Hiſt. Anim. cap. XVII: *ἄναιμος δὲ ὁ ἐγκέφαλος ἅπασι, καὶ οὐδεμίαν ἔχων ἐν αὐτῷ φλέβα, Cerebrum omnibus privatum ſangvine eſt, neqve ullam* IN SEIPSO *venam habet*. Sed & lib. III. Hiſt. c. III: *Αὐτὸς δὲ*, inquit, *ἐγκέφαλος ἄναιμος πάντων ἐστί, καὶ οὔτε μικρὸν, οὔτε μέγα φλέβιον ἀποτελευτᾷ εἰς αὐτόν, Ipſum verò cerebrum omnibus ſangvinis expers eſt, neq; tantillum venæ cujusquam, ſive majoris, ſive minoris, in ſe*, hoc eſt, ſubſtantiam ſuam, *recipit*, ſed quod ſubintelligendum eſt, membranas intertextas vel adjacentes, in quibus venæ intercurrunt, etiamſi & ipſæ in ſe ſive naturâ ſua exangves deprehendantur. Non in libris autem ſolùm de partibus animalium, ſed & capite decimo ſexto ex I. Hiſt. Animal. laudato occurrunt verba aliqva de cerebro, quæ truncata ſunt in translatione Latinâ. Sic enim inter alia ibi Ariſtoteles: *Ἔχει δὲ ἐν τῷ μέσῳ ὁ τῶν πλείστων πᾶς, κοῖλόν τι μικρόν. Η δὲ αὐτὸν μῆνιγξ, φλεβώδης ἐστίν. ἐστι δὲ ἡ μῆνιγξ, ὑμὴν δερματικὸς, ὁ περιέχων τὸν ἐγκέφαλον.* Quæ ita ſunt vertenda: *Habet verò cerebrum in medio puſillum quoddam cavum. Meninx autem, circa illud cerebrum, venis abundat. Eſt autem meninx membrana cutis ſpecie cerebrum ambiens*, ſive, quâ cerebrum amicitur. Aſt Theodorus ita reddidit: *Habet in ſuo medio pleriſq; omnibus cavum quoddam exiguum, membranâ obhærente venoſâ cutularíq; obducitur*. Denique & integri interdū textus in fonte occurrentes in translationibus deſiderantur. Veluti in verſione Theodori Gazæ problema ſecundum, ter-

tium,

tium, quartum & octavum ſectionis VIII. In tertio quoqve problemate ſectionis XIV. in fine aliqvot lineæ ſunt omiſſæ. Sed & lib. de Phyſiognomonia multa habentur in Græco textu, quæ in verſione Latinâ deſunt. Quod etiam fit lib. IX. Metaph. cap. VI, ut alia nunc prætereamus.

XCIIX. Id qvoque fit interdum, ut Interpretes diviſim accipiant, quod conjunctim fuerat accipiendum, aut cum eo quidpiam conjungant, cui jungere illud non debebant. E. gr. lib. III. Rhet. cap. II. & lib. de Poëticâ cap. XXII. Ariſtoteles mentionem injicit ænigmatis ita ſonantis: Ὅιον ἄνδρα, ἴδον πυρὶ χάλκον ἐπ' ἀνέρι κολλήσαντα, *Vidi virum igne æs ſuper viro agglutinantem*, hoc eſt, vidi virum ſuper viro cucurbitulam æneam interventu ignis applicantē. Veteres enim non ex vitro ſolum, ut hodiernus mos fert, cucurbitulas conficiebant, ſed & ex ære, uti inter alia ex Paulo conſtat, qui lib. VI. περὶ συνιάσεως non ſolùm ænearum cucurbitularum meminit, ſed & vitreis eas anteponit, cum ait: Ἀλλὰ ὁλκιμώτεραι μᾶλλον εἰσὶν αἱ χαλκαὶ, πλεόνως ἀνεχόμεναι φλογὸς τ̃ ὑαλίνων ἐνίμως καταγνυμένων. Ænigmatis autem dicti mentionem injicit etiam Athenæus, ubi de Griphis agit, atqve inter alia ita ſcribit:

Πολλοὶ δὲ γρίφων καὶ τοιοῦτοι τινές εἰσιν, οἷον,
Ἄνδρ' εἶδον πυρὶ χαλκὸν ἐπ' ἀνέρι κολλήσαντα
Οὕτω συγκόλλως ὥστε σύναιμα ποιεῖν,

Feruntur & hujusmodi alii Griphi multi, ut:

Hominem vidi igneum æs ſuper homine glutinaſſe,
Tam tenaci glutino, ut ea, quibus applicuit, conſanguinea fecerit,

& ſubdit: Τοῦτο δὲ σημαίνει σικύας προσβολήν, *Hoc vero ſignificat cucurbitulam admotam.* Plutarchus illud Eumetidi tribuit in convivio ſeptem Sapientum, ſcribens: Ac Eumetis quidem " cum, ut apparebat, dicere aliquid adverſus Cleodemum cu- " peret, præ verecundia ſeſe cohibuit, facieſq; ejus tota rubore "

 opple-

" oppleta fuit. Sed Æsopus, veluti ulciscens eum: *An vero*, " ait, *non magis ridiculum est, non posse nos illa solvere?* quale est, " quod paulò ante cœnam nobis exposuit:

Ἄνδρ' εἶδον πυρὶ χαλκὸν ἐπ' ἀνέρι κολλήσαντα,

Igni hominem as humano in corpore figere vidi.

" Potesne explicare, hoc quid sit? Ad quod Cleodemus: *Ne scire quidem opus habeo.* Sed ille: *Et vero*, inquit, *nemo te melius istam rem novit ac usurpat, quod si inficias ire velis, testes habeo cucurbitulas*, σικυωνίας. Ast quidam Interpretum ex vocibus, πυρὶ χαλκὸν, unam, πυρίχαλκον, fecerunt, quod probari non potest. Deinde lib. I. Hist. Animal. cap. XIII. ita Philosophus: τοῦ δὲ, inquit, διεξοδικοῦ, τὸ μὲν οἷον ἑφέδρανον γλουτός. Ex quibus, ista ἑφέδρανον, divisè legit Gaza, nempe ita, ἐφ' ἕδρανον, atque inde ita reddidit: *Partis vero excretoriæ quod subditum quasi stragulum est.* Ast nos non dubitamus conjunctim rursum hæc esse legenda, nempe, ἐφέδρανον, quod est natium prominentia, super quâ sedetur. Ita enim vocem usurpavit & Ruffus Ephesius, cujus lib. I. ὀνομασιῶν τῶν κτ᾽ ἄνθρωπον hæc sunt: πυγαὶ δὲ τὰ μετὰ τὴν ὀσφὺν σαρκώδη, καὶ ἐφέδρα ἀνκαλεῖται, *Nates vero dicuntur carnosæ istæ partes, quæ post lumbos sunt, & super quibus sedemus.* Julius Pollux quoque eodem sensu lib. II. Onomast. cap. LVII: ἰσχία μέν εἰσιν αἱ ἑκατέρωθεν μετὰ τὴν ὀσφὺν σαρκώδεις προβολαί. τὰ δὲ ὑπερέχοντα ἀπὸ τούτων γλουτοὶ, καὶ ἐφέδρανα, *Femora sunt utrinq; illæ post lumbos carneæ prominentiæ, ab his vero partes prominentes clunes & sedilia.* Ἕφεδρον enim sella firmior est, & stabile sedile. Ex quo ἑδραῖον apud Hippocratem lib. de fract. Galenus exponit ejusmodi, quod stabile est & firmum, in quo quis firmiter desidere possit, Lib. II. qvoqve de morbis purulentum, ἐπὶ ἑδραίου ὅ τι μὴ ὑποκινήσει καθίσας, in sellâ firmâ aut stabili sedili locatum accommodat ad concussionem. Lib. I. Ehic. cap. XII. Philosophus Deos dicens non esse objectum ἐπαίνων laudum, rationem addit: Γελοῖοι γὰρ φαίνονται πρὸς ἡμᾶς

ἀνα-

αἰ ἀμειρόμενοι. Quod, ut supra quoqve jam notavimus, vetus Interpres & Argyropylus ad Deos retulerunt, quasi diceret Aristoteles, Dii fierent ridiculi, si ad nos referrentur, quasi scil. nostrâ, causâ sive ad nostram utilitatem aut honorem aliquid agerent, cum nos potius ad illos cuncta nostra referre debeamus. Sed rectiùs diximus vocabulum, γελοῖοι, ad ἐπαίνες sive laudes hoc referri sensu: Ridiculæ essent laudes nostræ, si ad nostrum morem dii laudarentur, sive eâ ratione, quâ homines solent, qvi laudantur, qvod fortiter, aut castè egerunt. Hujusmodi enim actiones in Deum non cadere probat lib. X. Ethic. c. IIX. Ubi & repetit, quod I. Ethic. scripserat, & quidem his verbis: φορτικὸς ὁ ἔπαινος, ὅτι οὐκ ἔχουσι φαύλας ἐπιθυμίας; *Abjecta est laus Deorum futura, vitiosis cupiditatibus eos carere.* Et mox: Διεξιοῦσι δὲ πάντα φαίνοιτ' ἂν τὰ περὶ τὰς πράξεις, μικρὰ καὶ ἀνάξια Θεῶν; *Quod si omnia, quæ in actionibus versantur, persequamur, exigua sanè Diisq; indigna reperiuntur.* Deniq; huc pertinet etiam locus ex lib. I. de partibus Animal. cap. I. ubi translatio Gazæ habet: *Ars condendarum statuarum prior est statuis, quando spontè fieri nequeunt.* Quod argumento est, eum legisse, οἷον ἀνδριάντος ποιητική, quam lectionem expressit etiam Isingrinius. Ast Leonicus & Camotius, aliique, conjunctim habent, οἷον ἀνδριαντοποιητική, quod sine dubio est melius.

IC. Ulterius, quod deterius adhuc est, nonnunquam, quæ affirmatè leguntur in Aristotele, in translationibus Latinis, per negationem exprimuntur, & contra. E. gr. Lib. I. Post. cap. IX. §. 3. hæc habentur verba: ἕκαστον δ' ἐπιστάμεθα μὴ κατὰ συμβεβηκός, ὅταν καθ' ἐκεῖνο γινώσκωμεν, καθ' ὃ ὑπάρχει, ἐκ τῶν ἀρχῶν τῶν ἐκείνου ᾗ ἐκεῖνο; *Unumquodque non secundum accidens cognoscimus, cum secundum illud cognoscimus, secundum quod inest, ex principiis, quæ illius, quâ illud ipsum est, principia sunt.* Atqve Vetus interpres, quem nonnulli Boëthium fuisse pu-

ſe putant, (ſed falsò, ut ex ſcriptis ejus ſuperſtitibus apparet) & qui eum ſeqvuntur, ita legunt, ſenſu planè contrario: *Unumquodque ſecundum accidens eſt, cum ſecundum illud non cognoſcimus.* Lib. II. cap. XVI. §. 1. Ariſtoteles ait: Εἰ δ' οὕτως, ἅμα ἂν εἴη καὶ δεικνύοιτο δι' ἀλλήλων, *Si igitur ſic, ſimul itaq; erunt & reciprocè demonſtrabuntur.* At vetus interpres & Dd. Latini eum ſecuti ſic legunt: *Si igitur non, ſimul itaq; erunt.* Eodem lib. cap. XVII. §. 2. hæc habentur: Ἢ εἰ μὲν καθ' αὑτὸ ἀποδέδεικται, ἢ μὴ κατὰ σημεῖον ἢ κατὰ συμβεβηκός, *An ſi per ſe demonſtratum eſt, non per ſignum, vel per accidens:* Aſt Vetus translatio ſic habet, itidem ſenſu contrario: *Aut ſiquidem per ſe demonſtrantur aut non, ſed ſecundum ſignum, aut accidens.* Quæ magis contradicentia excogitari po ſint? Non multò poſt vetus interpres habet, *imò videntur problemata eſſe*, cum apud Ariſtotelem ſit, *atqui non videntur problemata eſſe.* Lib. V. Topic. cap. VII. §. 8. in fine hæc leguntur ve ba: Ἀδύνατον γὰρ εἶναι τὸ αὐτὸ πλειόνων ἴδιον. Quæ Pacius rectè ita tranſtulit: *Fieri enim nequit, ut idem plurium proprium ſit.* Cujus ratio in aprico poſita eſt. Si enim pluribus competeret, non eſſet proprium. Aſt Gruchius vertit: *Ejusdem multa eſſe propria non poſſunt.* Quod apertè falſum e t. Annon enim hominis proprium eſt non ſolùm diſciplinæ capax eſſe, ſed & facultate ridendi, numerandi &c. eſſe inſtructum, & alia plura. Notabilis quoque eſt locus ex lib. de Arte Poëticâ cap. XVI, ubi Philoſophus ſecundam ἀναγνωρίσεως, agnitionis, ſpeciem his exprimit verbis: Δεύτεραι δὲ, αἱ πεποιημέναι ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ, διὸ ἄτεχνοι. Ita enim pleraque excuſa exemplaria habent, nec aliter legit ipſe Valla. Senſus hic eſt: *Secundæ autem ſunt, quæ à Poëta fiunt, atq; idcirco artis expertes ſunt.* Aſt Paccius negandi verbum appoſuit. Sic enim ille tranſtulit: *Ordine huic proximæ ſunt, quæ quoniam à Poëtis confinguntur, artificio non carent.* Forſan, quod abſurdum ei viſum, dicere, agnitionis hoc genus à Poëta

fieri,

fieri, & tamen arte carere. Sed aliter ſenſiſſet, ſi ſequentium verborum, διὸ ἐγγὺς τῆς εἰρημένης ἁμαρτίας ἐστὶν, ſenſum plenè aſſecutus fuiſſet. Requirit enim Philoſophus ad agnitionem artificioſam, ut non à fingente Poëta, ſed à fabulâ ipsâ, ſive ſerie rerum fictarum, enaſcatur. Quod ſi id non fit, agnitionem ait deſtitui arte. Inde primam agnitionis ſpeciem, quæ in oſtenſione ſignorum conſiſtit, veluti ſi quis lanceam oſtendat ſimilem illi, quam geſtaſſe finguntur gigantes, ut ex iis illi agnoſcantur, aut Herculis clavam, ut ex ea innoteſcat, quod ille notetur, omnium maximè dicit arte carere. Ex quo & plerumque illi, qui in promptu non habent, quid dicant, hoc agnitionis genere utantur. Quo quidem præferendum eſſe dicit alterum genus, cum Poëta fingit ſermonem à perſonâ aliquâ habitum, aut alia talia, ut ex illis cognoſcatur. Aliquid enim artificii magis apparet, cum verbis ſignum aliquod effertur, quo fides fit, quàm cum ſolùm oſtenditur, unde dignoſcatur. Nihilominus dicit etiam hoc genus priori eſſe affine, ſive alienum ab arte, quod, ut mox addit, *ingerat aliquid ex rerum ſerie haud manans.*

C. Porrò cum reliqua omnia rectè ſe habent, deprehenduntur tamen lapſi interdum Interpretes ex ignorantiâ indolis vocum, aut phraſium, quibus Philoſophus eſt uſus. E. gr. lib. Categ. cap. XII. explicans tertiam ſignificationem prioris, διαγραμμάτων mentionem facit, quod vocabulum cum vetere interprete Perionius vertit *ea, quæ deſcribuntur*, cùm debuiſſet ex Cicerone *lineamenta* vertere, aut, ut vulgò loquimur, *figuras*. Hoc enim vult dicere iſto loco Philoſophus, elementa Geometriæ, quæ ſunt definitiones, axiomata, & hypotheſes, priora eſſe figuris Geometricis, quæ in Problematibus & Theorematibns explicantur, ſicut exponit quoqve Boëthius & Ammonius. Lib. de interpr. cap. IX. totum, quod de futuris contingentibus agit, perturbat Perionius & alii, dum,

μέλλοντι, vertunt *futuris*, quasi Aristoteles ibi disputaret de futuris singularibus cujuscunq; materiæ, cum τὰ μέλλοντα solùm significent contingentia futura, quo sensu vox etiam venit Philosopho II. Gen. & Corr. Idem Perionius *axiomata* vertit *postulata*, quasi idem sint αἴτημα & ἀξίωμα, quæ tamen ipse Aristoteles disertè distingvit 1. Post. X. §. 7. quod & Euclides facit in elementis. Lib. I. Prior. c: XXX. translatio Gruchii ita „habet: Si in investigandâ *rei naturâ* nihil sit prætermissum, „quod illi reverâ & planè insit, licebit sanè rerum omniũ, quæ „ostendi possunt, demonstrationem instituere. At in Græco est, κατὰ τὴν ἱστορίαν. Vocem, προαίρεσις, quoq; non rectè transtulit Perionius. Reddidit enim *propositũ*, omninò præter Philosophi mentem. Propositum enim *finis* est, ut patet vel ex illo Ciceronis loco ex lib. V. de finibus, quo *omnem naturam* ait *esse conservatricem sui, idq; habere propositum, quasi finem & extremum, se ut custodiat in quàm optimo sui generis statu.* Ast proæresis juxta Aristotelem lib. III. Ethic. non finis est, sed eorum, quæ sunt ad finem. Nec tamen etiam rectè vox hæc à Dionysio Lambino *consilium* versa est. Consilium enim intellectus est. Ast proæresis est appetitus. Sic enim eam definit Philosophus lib. III. Ethic. ad Nicom. III. (VI): Προαίρεσις ἐστὶ βουλευτικὴ ὄρεξις τῶν ἐφ' ἡμῖν. Alii ergò, quantum quidem ad sensum attinet, rectius *praelectionem* transtulerunt. Porrò lib. II. Rhet. loco quodam vocem διαψεύδονται Petrus Victorius exponit, *labuntur* ac *decipiuntur*. In quo sanè ipse labitur. Nam is, qui cognoscit, quid sit factu optimum, & nihilominus tamen, aut malitiâ, aut odio ductus, aliud suadet, διαψεύδεται ex Aristotelis eodem loco sententiâ, neque tamen labitur ac decipitur, sed fallit ac decipit. Ideò διαψεύδονται potius vertendum est, *fallunt*. Sic γνώριμα ferè omnes reddunt *nota*, & γνωριμώτερα *notiora*, cum tamen nihil prohibeat suaptè naturâ γνώριμα, imò γνωριμώτατα esse, quæ tamen nemi-

nemini nota ſunt, II. Met. I. Ideò rectius Græci Interpretes γνωριμώτερα exponunt, σαφέστερα, καὶ ῥᾷον ἄν τις καταλάβοι. Solent namqve hujusmodi nomina, quæ talem, qualem γνώριμος, terminationem habent, velut ἐδώδιμος, πότιμος, ἁλώσιμος, & ſimilia, non ἐνεργείας, ſed ἐπιτηδειότητος potius alicujus ſignificantia eſſe.

CI. Adhæc lib. I. Ethic. cap. III. Philoſophus ait, pleroſque homines, καὶ φορτικωτάτους in voluptate quærere ſummum bonum. In hac voce vertendâ, mirum, quantum diſſentiant tralatores. Vetus interpretatus eſt, *graviſſimos*. Aretinus, *oneroſiſſimos*. Argyropylus, *importuniſſimos*. Lambinus, *odioſiſſimos* & *inſolentiſſimos*, cum vertere debuiſſent, *viles, ineptos, ſordidos, illiberales*. Φόρτος enim & φορτίον onus dicuntur. Unde φορτικοὶ, qui ſibi victum vehendis oneribus quærunt. Quod quoniam abjectiſſimum genus hominum eſt, inde factum, ut φορτικοὶ dicantur homines *inepti, abjecti, viles, ſordidi*: & τέχναι φορτικαὶ *artes ſordida* atque *illiberales*, quæqve nonniſi à viliſſimis hominibus exercentur. Quo ſenſu apud Athenæum quoqve adverbium φορτικῶς uſurpatur. Φορτικῶς ὀρχήσασθαι enim pro eo ponit, quod eſt *indecorè & ineptè ſaltaſſe* lib. XIV. cap. V. Porrò eodem lib. I. Ethic. cap. X. (XI.) ubi Philoſophus dixerat, *fieri poſſe*, ut *qvum vita beata uſque ad ſenectutem quempiam proſecuta ſit, aut etiam ſupremum vitæ diem convenienter actæ jam ætati obierit, eum tamen in poſteris multæ mutationes ac varietates excipiant*, ſubdit: Δῆλον δ' ὅτι καὶ τοῖς ἀποστήμασι πρὸς τοὺς γονεῖς παντοδαπῶς ἔχειν αὐτοὺς ἐνδέχεται. Quæ verba ita tranſtulit Argyropylus: *Conſtat autem & diſtantiis ad parentes multis, variisq; modis ipſos ſeſe habere poſſe*. Quæ ſatis ſunt obſcura. Clarius Lambinus: *Atque hoc perſpicuum eſt etiam magno ſpatio interjecto magnam in eis morum ac fortunæ diſſimilitudinem ac varietatem, ſi cum parentibus conferantur, evenire poſſe*. Ubi Lambinus ἀπόστημα-

de tempore accipit, intelligens per illud longum hujus intervallum. Ast simplicius sine dubio est, si ἀπόστημα hic positum dicamus pro ἀποστάσει, perque hanc intelligamus degenerationem sive defectionem à moribus. Accidit enim sæpè, ut liberi à parentum moribus desciscant. Unde & illud: *Heroum filiæ noxæ.* Sed & alibi, videlicet, lib.II.Rhet. cap. XV. [XIX.] rursum idem docet Aristoteles ipse. Disputans enim de fortunæ bonis, & speciatim quidem de nobilitate, distinguit initio inter *nobilem* & *generosum*, atque nobilitatem quidem in familiæ virtute consistere ait: generosum autem eum dici, qui à naturâ, videlicet rectè comparatâ, non degenerat. Hinc autem subdit: *Quod plerumque non contingit nobilibus: quorum multi sunt haud magni pretij. Nam ut in agris, iisq́, quæ terrâ gignuntur: ita in familiis quoque proventus quidam est: & interdum si bona familia fuerit, nascuntur in eâ ad aliquod tempus viri eximij: ac deinde rursus ex intervallo alios emittit. Degenerant autem illæ quidem familiæ, quæ ingenio excellunt, in mores insaniores, ut qui ab Alcibiade & Dionysio superiore orti sunt. Quæ autem stabili & firmo ingenio præditæ sunt, in ignaviam & stoliditatem: ut qui à Cimone, & Pericle, & Socrate.* Sensus ergò verborum Aristotelis hic esset: Perspicuum verò est, liberos multis modis à parentibus desciscere posse. Quomodo verba ejus intellexit etiam Eustratius, pro, ἀπόστημα, ἀπόστασιν expresse ponens. Sic enim ille: Δῆλον δὲ, ὅτι καὶ τὸν πρὸς τοὺς γονεῖς τῶν ἀπογόνων ἀπόστασιν πολυειδῆ εἶναι καὶ ποικίλην ἀναγκαῖόν ἐστιν. lib. VI. Ethic cap.2. in translatione Leonardi Aretini hæc leguntur: *Non enim de præterito electio est, sed de futuro possibili: factum autem ne factum sit fieri non potest. Itaque* Rectè Agat Homo. *Hoc solo Deus privatur, infecta facere quæcunque sunt facta.* At in Græco est: Διὸ ὀρθῶς Ἀγάθων, *quamobrem rectè Agathon*, quod nomen fuit Tragici Poëtæ, sicut & Eustratius advertit. Idem lib. IX. Ethic. cap.I. in tra-

in translatione sua hæc habet: *Nam qui primo dat, videtur permittere, quod ajunt & Pythagoram servasse.* At in Græco codice legitur, non, πυθαγόραν, sed πρωταγόραν, *Protagoram*, qui Rhetorices Doctor fuit. lib. VII. Ethic. cap. IV. (VI): Ἡ ἀκρασία, inquit, οὐ μόνον φευκτὸν, ἀλλὰ καὶ τῶν ψεκτῶν ἐστί. Quæ verba plerique, ut Argyropylus, Lambinus, Riccobonus, ita intelligunt, ac si Aristoteles iis significare voluisset, ἀκρασίαν esse ex numero τῶν ψεκτῶν, *vituperabilium*, quæ sanè illic Aristotelis mens non est. Quod enim fugiendum in se, & morum ratione, est, id utique est & vituperabile. Hoc potius indicare voluit, incontinentiam nō solùm fugiendam esse ac vituperatione dignam, sed & versari circa talia, quæ vituperationem mereantur. Fit enim non rarò, ut reprehensionem incurrat etiam in re honestâ ac laudabili occupatus, videlicet, si circumstantias non attendat eâ, quâ par est, ratione, veluti si quis hostem citra necessitatem adoriatur die sacro; aut liberalitatis opera exerceat, non quod ita facere honestū sit, sed vanæ ostentationis ergò, & si quæ sunt id genus alia. Eodem capite, postquam Arist. eorum, quibus natura causam præbet, incontinentem neminem dici affirmaverat, declarat id exemplo: ὥσπερ οὐδὲ γυναῖκας, ὅτι οὐκ ὀπύουσι, ἀλλ' ὀπύονται. Quod vetus Interpres ita reddidit, *quemadmodum nec mulieres, quia ducunt, non ducuntur.* Quâ translatione deceptus Thomas putavit, hunc loci esse sensum, mulieres non idcirco dicendas esse incontinentes, quòd affectus & appetitum suum rationi obedientes non præbeant, sed ab affectibus suis trahantur. Ast ita sentire Aristoteli nunquam in mentem venit: estque ejus illic sententia non alia, quàm hæc, mulieres ideò incontinentes non esse dicendas, quod non subigant mares, sed ab his subigantur; id enim esse mulieribus tributum ab ipsa natura.

CII. Ulterius lib. I. Polit. c. II. Aristoteles civitatem de-

finit ἐκ πλειόνων κωμῶν τέλειον. Ubi τέλειον Aretinus reddidit confectam, Caliagninus collectam, tollentes hoc ipso potiorem definitionis partem. Vertendum autem fuisset, perfectam. Mox addit Philosophus: Ἤδη πάσης ἔχουσα πέρας τῆς αὐταρκείας, ὡς ἔπος εἰπεῖν, quæ posteriora verba Leonardus Aretinus & Petrus Victorius ita transtulerunt, *ut ita dicam*. At rectius Acciajolus, ut *summatim* dicam: vel, ut alii, *ut verbo dicam*. In hôc enim uno elogio, *summa omnis sufficientia*, omnia comprehenduntur, quæ requiruntur, ut contenta sit vita humana, quantumvis ea non pauca sint, sed satis multa. Subministrat autem ista cuncta societas civilis. Sed nec ineptè fortè quis verba ista sic reddiderit, *ut rudi Minervâ dicam*. Quo sensu modum hunc loquendi usurpavit etiam Plato lib. I. de Republ. verbis istis: Διόρισαι ποτέρως λέγεις τὸν ἄρχοντά τε καὶ τὸν κρείττονα, τὸν ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἢ τὸν ἀκριβεῖ λόγῳ, *explana, utro modo principem & potentiorem dicas, utrum crassâ, seu pingui minervâ, an secundum exactam rationem*. Porrò in calce dicti capitis his utitur verbis: ὁ ἄνθρωπος ὅπλα ἔχων φύεται φρονήσει καὶ ἀρετῇ: οἷς ἐπὶ τἀναντία ἔστι χρῆσθαι μάλιστα. Quæ verba nonnulli ita transferunt: *Homo autem nascitur armis, munitus prudentia & virtute, quibus uti in contrarium maximè potest*. Nec aliter Lambinus. Sic enim ille vertit: *Homo armis instructus nascitur, prudentiâ & virtute: quibus ad res contrarias maximè uti licet*. Denique Leonardus Aretinus ita reddidit: *Homo verò arma tenet per innatam prudentiam atq; virtutem, quibus plurimum valet in contrarium uti*. Atq; hinc prolixa suborta est apud quosdam, illos sequentium, disputatio, quomodo fieri possit, ut homo virtutibus & prudentià malè uti possit: ex quibus nonnulli eò devenerunt, ut existimarint, licere homini, ideò, quod libero arbitrio sit instructus, tàm benè, quàm malè uti & vitiis, & virtutibus. Eandemque esse & prudentiæ rationem. Quæ sententia tàm absona est, quàm quid esse potest. Quomodo enim virtute & pru-

prudentiâ quis abuti posset, cum ista sit optimus facultatis appetitivæ, hæc autem facultatis deliberativæ habitus, ut passim docet ipse Philosophus? Aliis quidem bonis, nihil prohibet, quò minus quis abutatur. Etsi enim sint bona, non tamen ideo jam sunt optima. Quid autem tàm bonum est, inter homines, cujus non detur abusus? Abutuntur illi divitiis, sanitate, robore, quæ tamen in bonis censentur. Abutuntur Dialecticâ, Rhetoricâ, Poëticâ: abutuntur Physicâ, Mathematicâ, aliis scientiis, quæ & habitus, & bona, sunt, optima tamen non item. Ast optimum esse habitum, & tamen abusui esse subjectum, contradictionem manifestam importat. Est sanè prudentia habitus cum rectâ ratione activus lib. VI. Ethic. cap. V. ast quomodo cum rectâ ratione agere dici potest, qui re, in se bona, abutitur ad malè agendum? Facere quidem quis opus aliquod cum verâ ratione potest, & tamen eo abuti. Nec enim qui bonus artifex est, è vestigio est & vir bonus, sive bonus simpliciter. Ast prudenter agere nemo dici potest, qui malè agit. Ex quo & vir prudens absolutè est bonus. Eadem verò & virtutis moralis est ratio, quippe quæ nihil aliud est, quàm habitus proæreticus in mediocritate positus, quæ ad nos comparatur, quæque ratione est definita, & ut prudens definiret lib. II. Ethic. cap. VI. In prudentiam ergò & virtutem non cadit abusus. Quod & Aristoteles ipse passim inculcat. Et de *prudentia* quidem lib. VI. Ethic. cap. ult. ubi expressè docet, neminem bonum absolutè dici posse sine prudentia, cum hâc autem bonitatem intimè esse conjunctam, quippe quæ comites habeat omnes virtutes. Auctor quoque libri de virtutibus, qui & ipse Aristoteles fuisse nonnullis putatur, prudentiæ opus inter alia & hoc esse dicit, τὸ χρῆσθαι πᾶσι καλῶς τοῖς ὑπάρχουσιν ἀγαθοῖς καὶ τὸ ὁμιλῆσαι ὀρθῶς, *in bonis, quæ naturâ nobis concessa sunt, benè uti & rectè cum hominibus conversari.* Denique & in primo Magnorum Moralium

pru-

prudentis dicit esse optima expetere & optimè agere. De *virtute* verò idem inculcat lib.I. Rhet. cap.I. quando ait, nullum bonum tàm præclarum esse, ut non contra, ac fas est, eo quis uti qveat, idqve declarat exemplo roboris corporis, firmitatis valetudinis, opum affluentiæ, ductandorum exercituum scientiæ; virtutem tamen hinc eximit. Quod ipsum repetit etiam lib.II. Magn. Moralium c.IV. scribens: *Reliqua bona cum eximia fuerint, deteriores faciunt, veluti opum affluentia elatos facit, truculentos, vel morosos: idemq; facit & dominatus, honor, pulchritudo &c. At virtutis etsi multa alia opera sunt, est tamen inter ea in primis & hoc, ut is, qui reliquis istis bonis instructus est iis rectè uti,* ὀρθῶς χρῆσθαι, *possit.* Cap. VII. quoqve apertè dicit, οὐ κακῶς χρῆσθαι ἐνδέχεται ἀρετῇ, *Fieri non potest, ut quis virtute abutatur.* Deniqve & lib. III. Polit. cap. X. *virtutem* ait *nunquam corrumpere id, quod eam habet.* Patet ergò vel ex his, quod Aristoteles lib. I. Polit. Cap. II. per arma, quorum usum in contrarium valere ait, prudentiam & virtutes intelligere nequeat. Quod vel ex iis quoqve, quæ illic seqvuntur, satis colligi potest. Statim enim subjungit, hominem, qui sine virtute est, animal iniquissimum esse & maximè agreste. Quod si hoc, facit ergò virtus, ut homo iniqvus esse desinat, & compositis sit moribus ac mansuetus. Consequenter vitium hæret in omnibus prædictis translationibus: quod facilè est ex fonte corrigere. Sic enim ille ad verbum sonat: *Homo arma habens nascitur ad prudentiam & virtutem, quibus,* nempe armis, *in contrarium uti plurimum valet.* At aliud est, hominem arma habentem nasci ad prudentiam & virtutem, aliud arma ista prudentiam esse & virtutem ipsam. Sunt autem arma illa δεινότης, quæ nihil aliud est, quàm solertia quædam in rebus agendis rem expediendi, cujus in VI. Ethicorum I. M. M. & alibi passim fit mentio; nec non naturalis illa ad virtutem proclivitas sive propensio, quæ in nonnullis deprehenditur, vel-

veluti ad liberalitatem, fortitudinem & ſimiles, quam Ariſtoteles ἀρετὴν φυσικὴν vocat lib. VI. Ethic. cap. ult. Quibus dubium non eſt, quin & benè, & malè homo uti poſſit, niſi accedat habitus prudentiæ & virtutis acquiſitus, qui rectitudinem conciliant omnibus actionibus humanis. *Virtus enim ſcopum rectum facit, prudentia ea, quæ collineant ad ſcopum.* II. Eud. XI. Ita qui propenſus eſt ad fortitudinem, facilè illâ propenſione abuti poteſt ad audaciam: & qui ad liberalitatem naturâ pronus eſt, facilè eò adigi poteſt, ut facultates ſuas profundat, niſi aliter educatus & actionibus rectis aſſvetus medium didicerit tenere. Porrò cap. VII. de Syracuſis verba faciens Philoſophus ita ſcribit: Ἐκεῖ γὰρ λαμβάνων τις μισθὸν, ἐδίδασκε τὰ ἐγκύκλια διακονήματα τοὺς παῖδας. Quæ verba ita vertit Aretinus: *Nam ibi quidam mercede pueros docebat ſervitutem.* At ἐγκύκλια διακονήματα, circularia (uti ad verbum ſonant) miniſteria, non ſervitutem in genere notant, ſed ea ſervorum officia, quæ identidem recurrunt & quaſi in orbem redeunt, ſive trivialia & quotidiana, ut ſunt induere & exuere Dominum, comere, tergere veſtes & calceos, menſam apponere, diſcos & pocula miniſtrare, veſtimenta in balneis cuſtodire, libros deferre, & ſi quæ ſunt id genus alia. Quâ ratione & Iſocrates in Nicocle communia ſive obvia & quotidiana reipublicæ negotia ἐγκύκλια vocat, qvum ait: Οὐ μόνον δὲ ἐν τοῖς ἐγκυκλίοις καὶ τοῖς καθ' ἡμέραν γιγνομένοις, αἱ μοναρχίαι διαφέρουσιν: ἀλλὰ καὶ τὰς ἐν τῷ πολέμῳ πλεονεξίας ἁπάσας περιειλήμασι, id eſt, interprete Hieronymo Wolfio: *Neque verò in quotidianis tantùm, ac velut in orbem redeuntibus Monarchia negotiis excellunt; ſed omnes etiam belli gerendi commoditates complectuntur.* Plura legi poſſunt in Prodromo num. XX. Non multo poſt Philoſophus eodem capite ſeptimo primi Politicorum de ſcientiâ δεσποτικῇ loqvens ita differit: *Hæc autem ſcientia nec magnum quid continet, nec præclarum. Quæ enim ſervum*

scire facere oportet, hac illum, (qui scientiâ herili præditus est) *oportet scire imperare. Quapropter quibuscunque est facultas*, nempe, ut procuratorem, sive atriensem vel dispensatorem domus sibi substituere possint, *ne ipsi in hac molestia versentur, hoc munere* libenter supersedent, idque *vicario* committunt. Ubi in fonte hæc occurrunt verba: Ἐπίτροπ☉ λαμβάνει ταύτην τὴν τιμήν. Quæ Aretinus ita reddidit: *Vicarius quidem hunc honorem suscipit.* Ast quî vox τιμὴ Aristoteli hîc *honorem* designare potest, cum scientiam herilem adeò elevet? Melius ergò Calcagninus, Victorius, Montecatinus, & alii *munus* transtulerunt. Nam & Thucydidi, nec non Xenophonti τιμὴν ἔχειν idem aliquando est, quod *munere fungi*. Sed nec malè Lambinus *onus* reddidit. Est enim hæc vox mediæ significationis, atq; interdum etiam τὸ πρόστιμον, *mulctam*, denotat, seu *pœnam*, quod & Suidas observat adducens locum Homeri ex Iliade Γ: Εἰ δ' ἂν ἐμοὶ τιμὴν Πρίαμ☉, Πριάμοιό τε παῖδες, τίνειν οὐκ ἐθέλωσι, *Si verò mihi mulctam Priamus, Priamiq; filij persolvere noluerint.* Ulterius II. Polit. cap. ult. in versione ejusdem Aretini Philolaus Thebanorum legislator dicitur fuisse ex familia *Bachtadum*, cum in Græco sit βακχιάδων, *Bachiadum*. lib. VII, capite IV. autem apud eundem hæc occurrunt: *Nam quis dux esset tàm excessivæ multitudinis, aut quis præco non* STERTORIUS? cum in Græco habeatur, στεντόρει☉, *Stentorius*, hoc est vocalis vel clamosus, qualis in Achivorum exercitu legitur fuisse *Stentor*. De quo Homerus Iliad. E. Στέντορι εἰσαμένη μεγαλήτορι χαλκεοφώνῳ ὃς τόσον αὐδήσασχ' ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα, *Stentoris in specie validi cui ferrea vox, qui Quinquaginta alios æquans clamore, sonoq;*. Et Juvenalis Satyrâ XIII. *Tu miser exclamas, ut Stentora vincere possis.* Sed & proverbium hinc natum: *Stentore clamosior.* Et Suidas in Lexico ita scribit: Στεντόρει☉ φωνή, ἡ τοῦ Στέντορ☉. Sed & reprobanda ejusdem Aretini versio cap. XVI. modo laudati se-

ptimi

ptimi Politicorum: *In partu quoq; laborant magis puellæ, ac pereunt plures, ex quâ responsum oraculi TRICENIS datum,* pro, *Trœzeniis,* qui populo erant *fide societatis Atticæ illustres*, teste Pomponio Mela lib. II. cap. III. sic dicti ab urbe Trœzene in ipsa Argiæ Chersoneso, ad quos recto cursu ex Pyrreo commodissima navigatio est. Meminit eorum & Plutarchus in Themistoclis vitâ.

C I V. Lib. de arte Poëticâ cap. V. Philosophus his utitur verbis: καὶ γὰρ χορὸν κωμῳδῶν ὀψέ ποτε ὁ ἄρχων ἔδωκεν, ἀλλ' ἐθελονταὶ ἦσαν, quæ ita vertit Paccius: *Sero enim ab Archonte comœdorum chorus, ut quisq; se obtulisset, inductus est.* Nempe putavit ἄρχων esse nomen Comici cujusdam Poëtæ, à quo in comœdiam chorus sit inductus. Sed quis Archon ille? & apud quem probatum scriptorem διδόναι χορὸν idem est, quod inducere chorum, vel chori auctorem? Id interim constat ex Platonis Dialogo VII. de legibus, χορὸν διδόναι, idem esse, quod, admittere chorum in civitatem. Sic enim ille Tragœdos, in civitatem recipi volentes, ibi alloquitur: *Poëtæ vos estis: Poëtæ quoq; ejusdem Poëmatis ipsi sumus, & quasi æmuli ad opus pulcherrimum Tragœdiæ contendimus, quod sola lex vera, ut speramus, perficere potest. Verùm nolite credere facilè à nobis admitti, ut scenas in foro constituatis, & clamosos conducatis histriones, qui altius, quàm nos, exclament: atq; ita ad liberos nostros, ad uxores, ad turbam urbis omnem de eisdem rebus non eadem, quæ nos, sed contraria sæpe concionemini. Insaniremus enim, & nos omnino, & civitas omnis, si ante quàm magistratus viderint, quæ composuistis, & dicenda ad populum judicaverint, admitteremini.* Hinc subdit: Νῦν οὖν, ὦ παῖδες, μαλακῶν μουσῶν ἔκγονοι, ἐπιδείξαντες τοῖς ἄρχουσι πρῶτον τὰς ἡμετέρας ᾠδὰς, ἂν μὲν τὰ αὐτά γε ἢ καὶ βελτίω τὰ παρ' ὑμῶν φαίνηται λεγόμενα, δώσομεν ὑμῖν χορόν. εἰ δὲ μὴ, ὦ φίλοι, οὐκ ἄν ποτε δυναίμεθα, *Nunc igitur, ô viri*

optimi, mollium Musarum alumni, istos cantus vestros cum nostris apud Principes comparabimus : & si quæ dicentur eadem, aut meliora nostris esse videbuntur, chorum vobis dabimus, hoc est, potestatem chorum agendi. *Sin minus, nunquam, ô amici, poterimus dare.* Nil ergò obstat, quo minus etiam in verbis Aristotelis magistratum significare dicamus, absque cujus indultu fas non est, ut chorus in civitate agatur. Eodem libro cap. IX. verba ista: Διαφέρει γὰρ πολὺ γίνεσθαι τάδε διὰ τάδε, ἢ μετὰ τάδε, Paccius ita vertit: *Multum differt, fiant hæc per hæc, an ex his.* Ast μετὰ non ex, sed, post, designat, etiamsi non lateat nos aliquando voculam ἐξ, etiam post, significare, ut cum dicimus ex albo fit nigrū, & ex die fit nox, ceu observat ipse Philos. lib. II. Metaphys. II. Porrò in sequentibus modò laudati libri de arte Poëticâ cap. XIII. hæc occurrunt: *Necesse est igitur pulchram fabulam constare magis ex uno hoc genere, quàm ex duplici, ut nonnulli putant, cujus quidem ex miseriâ ad felicitatem mutatio non fit; sed contra ex felicitate ad miseriam*, μὴ διὰ μοχθηρίαν, ἀλλὰ δι' ἁμαρτίαν μεγάλην, ἢ οἵου εἴρηται, ἢ βελτίονος μᾶλλον, ἢ χείρονος. Quæ posteriora verba ita reddidit Paccius, *errore sanè non levi, minimè verò per dedecus, ex illo quidem virorum, de quo dictum est*, genere, *quodve potius ad meliores, quàm ad deteriores spectet.* Sed malè. Ad verbum enim ita sonant: *non malitiâ, sed errore magno, vel qualis dictum est, vel melioris potiùs, quàm pejoris.* Quorum verborum, ut benè Vincentius Madius, sensus hic est, in Tragœdia pulcherrimâ id operam dandam, ut cum unius solius hominis casus exprimitur, veluti Jocastæ ad Oedipi casum seipsam perimentis, ostendatur, quod non per malitiam aut ex proposito peccarit, sed ex ignorantiâ potius atque imprudentiâ scelus aliquod magnum patrarit. Quod si autem non possit talis effingi, effingendum alium esse, sed ad probitatem potiùs, quàm improbitatem, tenden-

dentem. Malus enim commiserationem aut timorem non excitat, ad quæ tamen Tragœdum omnino respicere oportere Philosophus ostenderat in antecedentibus. Adhæc Athenæus lib. XIV. ex Aristotelis libro de plantis sequentia refert: *Palmas*, inquit Aristoteles lib. de plantâ, *nonnullas tanquam testibus carentes ἀνόρχους vocant, quidam & εὐνούχους, castratas, alii ἀπυρήνους, nucleis carentes.* Quæ verba nonnulli de fructu palmæ intelligunt, sed malè. Omnis enim palmæ fructus recens natus ἀπύρηνος est: unde ineptus foret Aristoteles, si diversa genera faceret, maturam & immaturam palmam. De arboribus potius hujus nominis loquitur, quarum & Theophrastus lib. II. Hist. plantarum agnoscit alias ἀπυρήνους, alias πύρηνα ἔχειν, nucleos habere dicit, palmasq; reperiri, quibus os nullum intus sit.

C I V. Porrò lib. I. Phys. cap. IV. disputans Philosophus adversus Melissum, ex eo, quod universum unum est, immobile illud esse inferentem, inter alia hæc usurpat verba: Insuper cur est immobile, si unum est? Et subdit: ὥσπερ γὰρ καὶ τὸ μέρος ἓν ὄν, τοδὶ τὸ ὕδωρ κινεῖται ἐν αὐτῷ, διά τι οὐ καὶ πᾶν; Quæ verba ita transtulit Julius Pacius: *Sicut enim pars, cum sit unum, ut hæc aqua, movetur in eodem loco, cur non etiam universum ita movebitur?* Sed rectius Argyropylus αὐτῷ positum esse putat pro ἑαυτῷ, atqve ideò ita vertit: *Sicut enim & pars* (puta universi) *una cum sit, ut hæc aqua, movetur in seipsa*, videlicet circulo in seipsam conversa, sine mutatione vel substantiæ, vel qualitatum, sed manens penitus eadem, quæ prius erat, *quare non & totum.* Atque sic etiam vetus Interpres reddidit. Nec aliter intellexit Themistius, qui illud, ἐν αὐτῷ, interpretatur κατὰ τὰ μόρια. Quâ ratione cœlum moveri docetur lib. IV. Phys. V. (VII.) text. 43. Deinde lib. VI. Physico: cap. IIX. text. 74. (cap. XIV. §. 4.) *nec moveri, nec quiescere* dicit esse *in momento*, & mox addit: Ἀλλὰ μὴν κινεῖσθαι μὲν ἀληθὲς ἐν τῷ νῦν, &

εἶναι κατά τι. Quæ verba ſic vertit Pacius: *Sed non moveri quidem in momento verum eſt, & eſſe in aliquo:* Aſt κατά τι non eſt, *in aliquo*, ſed, *ſecundum aliquid.* Lib. VII. cap. I. hæc habentur verba: Ἐπεὶ δὲ κινούμενον πᾶν ὑπό τινος κινεῖται, ἀνάγκη καὶ τὸ κινούμενον ἐν τόπῳ κινεῖσθαι ὑπ' ἄλλο. Qua verba ita rurſum Pacius vertit: *Quoniam autẽ quicquid movetur, ab aliquo movetur, neceſſe eſt etiam quicquid movetur in alio, moveri ab alio.* Aſt pro, *in alio*, ponendum fuiſſet, *in loco.* lib. I. Hiſt. Anim. c. I. verba hæc: Βουλευτικὸν δὲ καὶ μόνον, οἷον ἄνθρωπός ἐστι τῶν ζώων, ita tranſtulit: *Homo unus ex numero animalium omnium vim habet cogitandi.* At βουλεύεσθαι non cogitare eſt, ſed deliberare. Subſequente cap. II. Philoſophus ita loquitur: *Omnibus autem animalibus communes ſunt illæ partes, qua cibum capit,* καὶ εἰς ὃ δέχεται, *& in quam recipitur.* Aſt Gaza poſteriora hæc ita reddidit, *& in quam devoratur.* At non omnia animalia devorant, quippe quod cum ſono & impetu eſt conjunctum, ſed quædam tantùm ſuctu vivunt: quædam etiam rore, ut muſcæ & cicadæ. Porrò tertio capite ejusdem libri rationem maris & fœminæ exponens fœminam ait eſſe, quod intra ſe jacit ſemen: & mox ſubdit de mare: Τὸ δὲ εἰς τοῦτο (θῆλυ, hoc eſt, fœminam) ἄῤῥεν, *quod verò in hanc jacit, mas.* Aſt Theodorus reddidit: *Mas, quod in alterum;* quaſi idem ſint, εἰς ἕτερον, &, εἰς τοῦτο. Ulterius lib. IIX. Hiſt. cap. XII. qvum Philoſophus grues ex Thraciâ migrare ſcribit τοῦ Μαιμακτηριῶνος, *Mæmacterione menſe*, Gaza reddidit, *menſe Septembri*, qui eſt primus inter menſes autumnales. At Ælianus lib. III. de Animalib. c. XIII. grues ex dictâ regione dicit migrare Φθινοπώρου ἤδη μεσοῦντος, *medio autumno.* Unde rectè colligitur, Mænacterionẽ non fuiſſe primum menſium autumnalium apud Athenienſes, ſed ſecundum. Quò accedit, quod grues, teſte experientiâ, haud mutent loca, niſi cogente frigore. Unde inter poſtremas aves ſunt aliò migrantes. Aſt menſe Septembri frigus nondum

dum

dum adeò insigniter appetit. Non prætermittendus quoqve nobis hic locus est ex lib. VI. Hist. Animal. cap. VII. ubi Gaza in translatione suâ originem pulli in *albumine* ponit, cum Aristoteles principium ejus non ἐν τῷ λευκώματι esse dicat, sed ἐκ τοῦ λευκοῦ derivet, intelligens hâc voce non id, quod vulgò albumen dicitur ovi, sed particulam istam albam & rotundam, in quâ id advertitur, quod primùm salit. Sed & alius adhuc pertinet huc locus ex capite XIV. dicti libri, ubi Gaza τοὺς γλάνεις vertit *siluros*, quod & alibi ab eodem fit passim. At quod diversa hæc sint piscium genera, satis constat vel ex lib. VII. Athenæi. Sic enim ille initio de Latis disserens: *Qui Lati in Nilo gignuntur, eâ nonnunquam inveniuntur magnitudine, ut plures, quàm ducentas libras pendant. Candidissimus hic piscis est, ac, quocunqve modo præparetur, delicatissimus, ὢν τῷ κατὰ τὸν Ἴστρον γινομένῳ γλάνιδι, Glanidi ex Istro similis.* Ast hinc demum meminit siluri. Pergit enim: *At Nilotici pisces, si meminisse queo, multis jam annis peregrè degens, sunt torpedo lautissima, Porcus simus, Phagrus, Oxyrrinchus, Allabes, σίλουρος, silurus.* Quibus verbis silurum Nilo tribuit, ut Glanidem non multò ante Istero, qui & Danubius vocatur. Ælianus quoqve lib. XII. cap. XIV. pisces hos, ut diversos, inducit, etiamsi eos sibi similes faciat: *Glanis*, inquit, *piscis, incola Mæandri & Lyci Asianorum fluminum & Europæi Strymonis σιλούρῳ μὲν τὸ εἶδος ὅμοιός ἐστι, speciem siluri, similitudinemque gerit.* Ait hæc piscium genera habere similitudinem inter se: ast ideò non statim sunt idem. *Conveniunt* enim, ut rectè Scaliger, *multi pisces inter se, qui tamen non solùm diversis nominibus, sed & diversâ naturâ, & moribus non similibus, alii ab aliis dignoscuntur.* Denique & Plinius ut diversas species enarrat in piscium catalogo, quem texit lib. XXXII. cap. XI. Ulterius lib. IX. Hist. Anim. cap. I. hæc leguntur: Καὶ τρυγὼν, καὶ πυῤῥαλίς. Ubi dubium non est, quin per πυῤῥαλλίδα Aristoteles intelligat certum columba-

rum genus, cujus Athenæus quoque meminit lib. IX. Dipnosophistarum, nec non Ælianus, cujus ex lib. I. Var. Historiæ c. XV. hæc sunt: Εἰ δέ τῷ Καλλιμάχῳ χρὴ προσέχειν φάσαι, καὶ πυραλλίδα, καὶ περιστερὰν, καὶ τρυγόνα, φησὶ μηδὲν ἀλλήλαις ἐοικέναι, *Quod si Callimacho fides est adhibenda, palumbus, pyrallus, columba, nihil habent inter se similitudinis.* Sed & Plinius lib. X. cap. LXXIV. eodem cum Aristotele sensu: *Dissident turtur & pyralis.* Ast Gaza transtulit πυραλλίδα *ignariam*, quæ appellatio quomodo ad genus istud columbarum quadret, nobis perspicere non datur. Videtur Gaza vocem, πυραλλὶς, deduxisse ἀπὸ τοῦ πυρὸς, *ab igne*, cum potius eam derivare debuisset ἀπὸ τοῦ πυροῦ, *à tritico*, in quod pabuli gratia hoc genus columbarum involat, adeoqve frugipetam potius transferre. Neqve enim in columbarum generibus reperiuntur, quæ ad lucernas, aut ad ignem advolent, ut in generibus insectorum, multò minus, quæ in igne vivant, ut quadrupes illud penantum majoris muscæ magnitudinis, quod cæteroqui & ipsum Plinio lib. XI. cap. XXXVI. pyralis, aliis autem pyrausta vocatur. Contra reperiuntur columbarum aliquæ, quæ sic fruges impetant ac sata triticea, ut legumina aliæ nonnullæ.

C V. Non alienus quoqve à proposito nostro est locus ex II. de Gener. Animal. cap. VI, ubi ita Philosophus: *Venæ ex corde tendunt diducta,* καθάπερ οἱ τοὺς κανάβους γράφοντες ἐν τοῖς τοίχοις, *more rivorum, qui in parietibus proficiscentes ab eodem fonte pinguntur.* Ubi translatio Gazæ, pro κανάβους *rivos* habet. Ast Hesychius κανάβους dicit esse τὰ ξύλα, περὶ ἃ τὸ πρῶτον, οἱ πλάσται τὸν κηρὸν τιθέασιν, circa quæ plastæ, id est fictores, primum ceram ponunt: indeque porrò idem κανάβιον κηρὸν nominari dicit, ᾧ χρῶνται οἱ ἀνδριαντοποιοὶ πρὸς πλάσιν, *quo statuarii ad fingenda simulacra utuntur.* Ubi per ἀνδριαντοποιοὺς intellexisse videtur eos, quos κοροπλάθους vocat Suidas, atque definit τοὺς ἐκ πηλοῦ ἢ κηροῦ, ἢ τοιαύτης τινὸς

ὕλης

ὕλης πλάττοντες κόρας, ἢ κόρους, eos, qui ex argillâ, vel cerâ, vel aliâ ejusmodi materiâ puellas, vel pueros, sive pupas, fingunt. Dicit ἢ τοιαύτης τινὸς ὕλης, qualis & gypsus est, cujus paulò ante mentionem fecerat, scribens: κοροπλάθοι, οἱ τὰς κόρας πλάττοντες κηρῷ, ἢ γύψῳ. τουτέστι, τὰ ζῶα πάντα, Κοροπλάθοι sunt, qui fingunt pueros ex cerâ vel gypso, quin imò omnia animalia. Sed nec prætereunda hic, quæ de voce κάναβος Julius Pollux lib. VII. Onomastici cap. XXXIII. scribit: Περὶ δὲ ὃ οἱ τὰς πίθους πλάττοντες τὸν πηλὸν περιτιθέντες πλάττουσι, τοῦτο τὸ ξυλήφιον κάναβος καλεῖται, Assula autem ista, circa quam ii, qui fidelias fictiles fingunt, argillam circumponunt, canabus vocatur. Atque ad hanc quidem vocis significationem, si Aristotelem etiam prædictis verbis respexisse dixerimus, à januâ non aberraverimus. Nam & sensus inde resultat congruus, nempe hic: Venæ ex corde tendunt diductæ, ad modum imaginum, quæ ex gypso aut simili materiâ in parietibus finguntur. Neque novum est Aristoteli, naturam comparare fictori. Facit enim hoc & libro secundo de partibus animal. cap. IX. hic verbis: *Ut qui ex argillâ aut aliâ massâ humidâ animal effingunt, firmo aliquo subdito corpore obducunt atq; efformant: sic natura ex carnibus animal condidit.* Sed nec permittendus nobis hic locus ex IV. de partibus animalium cap. VI, ubi ita Philosophus: *Pedes priores nonnulla* animalia *longiores habent, ut quoniam propter oculorum duritiem non exquisitè cernunt, prioribus illis pedibus id abstergunt, quod in oculos incidit. Quod & muscæ facere videntur, & quæcunq; mellifica sunt animalia.* Et subdit: Ἀεὶ γὰρ χαρακίζουσι τοῖς προσθίοις σκέλεσι, quod ita Gaza reddidit: *Semper enim prioribus cruribus vallant, & protegunt.* At χαρακίζειν hic non est *vallare & protegere*, sed μετεωρίζειν, *in sublime tollere*, qvem vocis sensum notat etiam Hesychius.

C V I. Deniqve prædictis annumerandi sunt & illi, qui

qui,cum Ariſtoteles mutationes qvasdam ἀθρόως fieri docet, ἀθρόως idem eſſe volunt, quod in inſtanti, ſive in momento, indeqve colligunt non omnes mutationes fieri in tempore, ſed quasdam, v. c. illuminationem & generationem, fieri in momento: cum tamen nihil magis Ariſtoteli ſit adverſum, quàm hujusmodi dogma. Docet enim hic apertè lib. VI. Phyſ. text 55. mutationem omnem fieri *in tempore*. Et quidem rectè. Mutatio enim omnis duos habet terminos, nempe terminum à qvo, & ad quem, qui ſemper ſunt oppoſiti, ſive ut *à ſubjecto*, id eſt, eo, quod affirmatione ſignificatur, *in ſubjectum*, veluti ex calido in frigidum, aut ex parvo in magnum &c: ſive ut *à non ſubjecto*, vel ab eo, quod negatione notatur, in ſubjectum, id eſt non ente in ens; aut contra *ex ſubjecto in non ſubjectum*, ut ex ente in non ens lib. V. Phyſ. cap. II. text. 7. Si ergò in momento aliqua mutatio fieret, nullo interveniente tempore, tunc aut idem ſimul eſſet & non eſſet: aut contigua eſſent inſtantia, quod de omnibus indiviſibilibus impoſſibile eſſe demonſtrat Philoſophus VI. Phyſ. text. 2. Concludit itaqve Philoſophus omne, quod mutatum eſt, prius mutari: & quod mutatur, ejus aliquid prius mutatum eſſe. Dividitur namque mutatio ad diviſionem temporis in ſemper diviſibilia, ut in momento intermedio ſit aliquid mutatum, quod finis ſit mutationis præſentis. Atque inde nec illuminatio fit in momento. Habet enim & hæc terminum à quo & ad quem: ex quibus ille tenebræ ſunt, hic lumen. Si ergò mutatio hæc fieret in momento, tum idem ſimul lucidum eſſet & tenebris obtectum. Paucis, omne id, quod mutatur, ex potentia tranſit ad actum: aſt ad hunc tranſitus non fit, niſi in tempore: alioqui idem ſimul eſſet quid actu & non eſſet, quod contradictionem manifeſtam importat. Non minus verò idem obtinet etiam in generatione. Ex quo & ejus, quod gigni-

gignitur, Philosophus prius aliquid ait esse genitum, adeoqve & in tempore generationem fieri omnem. Nam & *velox* ac *tardum* ait esse *differentias motus ratione temporis:* differentias autem has in omni esse mutatione, adeoque & generatione IV. Phys. t. 120. Ἀθρόως ergò cum Philosophus dicit quasdam fieri mutationes, non vult fieri earum aliquas in momento: sed hæc potius est mens ejus, non omnia ita mutari, ut una pars ejus, quod mutari dicitur, prius mutetur, quàm altera, qualis mutatio est, cum aqua in olla juxta ignem posita incalescit, neqve enim id simul fit ac semel: sed & dari aliqua, quorum partes simul mutentur, non una prius alterâ, in quibus ea propter præsens & præteritum coincidant, quale quid in prioris generis mutationibus non deprehenditur. Nec enim cum aqua incipit calefieri, jam tota calefacta est: ut aër cum illuminatur, jam hoc ipso est illuminatus. Quâ de re videri potest Philosophus IX. Met. VI. & X. Ethic. IV. (II.) Ἀθρόως ergò fieri non est in momento fieri, sed συνεγμένως, ὁμοῦ, ut Hesychius, *conjunctim* sive *simul.* Quanquam & idem aliàs notet, quod ταχέως, sive *celeriter* & *raptim*, quod præter Hesychium & Suidas observavit.

CVII. Placet verò & his coronidis loco addere unum atqve alterum locum ex Problematibus. Sit unus ille, qui extat sect. V. probl. XXXI. ubi quærit Aristoteles, cur semen iis in somno profluere soleat, qui aut labore lassescunt, aut tabe consumuntur? & subdit: Ἢ ὅτι ὅλως ἐξωνειρωκτικοὶ οἱ θερμοὶ, καὶ ὑγροὶ; Quæ ita transtulit Gaza: *An quod omninò ita continentes sunt, qui naturâ calida & humida constant?* Videtur legendum esse pro, ita continentes, incontinentes. Aliis tamen neq; hoc arridet, atq; sic emendant, *qui in nocte polluuntur.* Et rectè quidem. Hæc enim genuina est significatio vocis ἐξονειρωκτικοὶ, ductæ à verbo ἐξονειρώττειν, quod est, *pollui de nocte*, quo sensu vox hæc occurrit sect. III. problem. XXXII. nec non apud

Hippocratem VI. Epid. sect. VIII. scribentem: Σάτυρος ἐξονειρώσσε πλεονάκις, *Satyrus inter dormiendum sapè profluvium seminis est expertus.* Item lib. de geniturâ, ubi his utitur verbis: Καὶ οἱ ἐξονειρώσσοντες διὰ τοῦτο ἐξωνειρώσσουσιν, *Et qui Venerem somniant, propterea in somnis geniturам emittunt.* Hoc ergò vult Aristoteles, tale quid in somnis maximè evenire iis, qui sunt calidi & humidi. Talis enim est & seminis conditio, ut Philosophus ipse fusè docet lib. II. de generat. anim. cap. II. Qui & hinc sectione IV. probl. V. *corpus, quod concubiturum est,* scribit *calidum esse debere ac humidum.* Augeri autem intrinsecus calorem in somnis idem docet eodem loco. Gemina verò his habet etiam Theophrastus in Excerptis Henrici Stephani, in quibus hæc leguntur: ὅτι ἐξονειρωκτικοὶ οἱ κοπιῶντες, διότι θέρμα, καὶ κάθυγρα τὰ σώματα γίνεται, διὰ τὴν σύντηξιν, ἡ δὲ τοιαύτη διάθεσις σπερματικὴ, *Qui fatigati sunt, in somnis geniturâ pollui solent, eò quod corpora calida & humida sunt ob colliquationem: talis autem habitus seu affectio seminifera est.* Huic jungimus locum ex sect. XVI. probl. IX, ubi Aristoteles ita scribit: Διὰ τί τὰ μόρια τῶν φυτῶν καὶ τῶν ζώων ὅσα μὴ ὀργανικὰ πάντα περιφερῆ; τῶν μὲν φυτῶν ὁ στέλεχος, καὶ οἱ πτόρθοι. τῶν δὲ ζώων, κνῆμαι, μηροὶ, βραχίονες, θώραξ· τρίγωνον δὲ οὐδὲ πολύγωνον, οὐ δὲ ὅλον, οὐδὲ μόριον ἐστι; Quæ verba ita vertit Theodorus Gaza: *Cur partes tàm stirpium, quàm animalium, quæ nullis instrumentariis officiis deputata sunt, in orbem sese omnes colligunt? Stirpium quidem caudex, & rami formari in orbem solent, & animantium crura, femora, pectus, lacerti ad hanc eandem speciem enituntur, triangulum verò nullum, aut multiangulum nullum, neq; ex toto, neq; ex parte est?* Ast ipsa ocularis inspectio hanc sententiam refellit. Contrarium enim docent caules papyri, cyperi, aliarumque propemodum innumerarũ plantarum. Non est tamen etiam hîc, quod Aristoteli metuamus. Intelligit enim φυτῶν nomine plantas,

non quascunqve, sed majores, ut sunt arbores, quod satis ostendunt voces στέλεχος & πρέμνι. Arborum autem caudicem rotundum esse, aut saltem non triangularem, vel multangulum, experientia ubertim docet, nec facilè quis nominaverit arborem caudice ramisqve angularibus: in herbarum autem classe maxima fere pars est caule angulari.

C V I I. Tandem, quod omnium deterrimum, nonnunquam in uno eodemque loco exponendo non unô, sed diversis, ex prædictis modis, interpretes impingunt. Ex. gr. lib. VIII. Hist. Animal. cap. XXIV. in Gazæ versione de podagræ equorum indicio hæc leguntur: *Indicium morbi, ut alter testium dexter palpitet, vel, ut paulò circa nares cavum quiddam rugosumq; gignatur.* Ast hic initio κάτωθεν τῶν μυκτήρων non rectè transtulit *circa nares*, cum *infra nares*, vertendū fuisset. Deinde nec ἅλλεται satis commodè reddidit, *palpitet*, cum *subsiliat*, fuisset reddendum. Porrò vocula, *alter*, superflua est, quod in fonte solum hæc, ὁ ὄρχις ἅλλεται, ὁ δεξιὸς, occurrant. Et tandem præter hæc omnia omissum est, quod verba hæc, κατὰ μέσον, referat. Sic enim integer locus habet: Σημεῖον δὲ τῆς ἀῤῥωστίας. ὁ γὰρ ὄρχις ἅλλεται ὁ δεξιός. ἢ κατὰ μέσον ὀλίγον κάτωθεν τῶν μυκτήρων, ἐν κοῖλον γίνεται καὶ ῥυτιῶδες. Quæ verba hunc pariunt sensum: *Morbi indicium hoc est. Subsilit enim testis dexter: aut etiam paulò infra nares medio in loco cavum quid exsurgit & rugosum.* Pertinet quoque huc locus ex IX. Hist. animal. cap. XXXIX, ubi hæc in translatione Gazæ habentur: *Aranei statim cum editi sunt, fila mittunt, non intrinsecus, tanquam excrementum, ut Democritus ait, sed extrinsecus de suo corpore, veluti corticem aut more eorum, quæ suos villos jaculantur, ut histrices.* Verùm & hæc versio non uno ex capite rejici meretur. Nam primò quod in Græco hoc modô sonat: Εὐ δύνανται δ' ἀφιέναι οἱ ἀράχναι τὸ ἀράχνιον, Gaza ita vertit: *Aranei statim cum editi sunt, fila mittunt;* cum A-

 risto-

ristoteles contrarium scribat, atque locus ita sit reddendus: *Non possunt aranei è vestigio, cum nati sunt, mittere fila.* Quod ideò ponit, ut refutet sententiam, quam Democritus foverat de telis araneorum. Nempe putabat ille, materiam earum esse ceu fimum aut excrementum. Aristoteles contra dicit, id consistere non posse. Si enim excrementum telæ araneorum fieri οὐδ᾽ ἔσωθεν, Gaza illud transtulit, *non intrinsecus*, cum tamen Philosophus non de eo loquatur, quod in araneis fit, sed de eo, quod ab ipsis procedit. Unde vertere debuisset, *ab intus.* Denique ista, ἀλλ᾽ ἀπὸ σώματος reddidit, *sed extrinsecus de suo corpore*, illud, *extrinsecus*, de suo addens, quo ipso aliis Aristotelem cavillandi ansam dedit, quasi ille fila araneorum non intus exire putasset. Quod sanè experientiæ apertè repugnat. Sumat enim quis bacillo araneorum ex iis, qui circulares telas, nonnullis labyrinthos appellatas, conficiunt eumqve initio suo arbitratu liberè super baccillum incedere permittat, donec sese ex eo demittens in aëre suspensus maneat, capite deorsum & ventre sursum pendens, hic sanè, si opacæ cuidam rei araneum opponat, manifestè videbit filum ex secessu aranei prodire. Ast revera id non negat Aristoteles, sed hoc solùm, quod materia telarum, quas conficiunt aranei, sit fimus, sive excrementum illorum. Ex quo & pilis eos comparat, quos jaculantur histrices, qui sanè radicem intus habent in ipso corpore atque inde foràs mittuntur, ut barba ab adultis. Nec obstat, quod cortex sit foris, cum quo tamen fila ista itidem confert. Nam etiam visceribus sive interioribus corporis animalium saltem quorundam, partibus nonnullis adhærere interdum reperitur quidpiam, quod cortici respondeat, sive illam ambiat. In araneis autem sectis ad oculum apparet materia quædam ductilis & lenta, partes interiores omnes cingens, quæ quod materia sit telarum, quas illi nectunt, nobis ne dubitandum quidem videtur, qui materiam

hanc oculis nostris sæpius lustravimus, atqve hujusmodi operi, quale araneorum fila sunt, conficiendo apprimè aptá esse deprehendimus & accommodata. Notabilis quoque est locus ex sect. XXX. probl. I. Dixerat ibi Philosophus, plerosq; illorum, qui ingenio aut etiam in studiis Philosophiæ, vel Republicâ administrandâ, aut carminibus pangendis, vel artibus exercendis claruerunt, melancholicos fuisse, idqve probat inductione variorum exemplorum, inter alia verò & Herculis, de quo ex translatione Gazæ ait: *Hic enim eâ ipsâ fuisse naturâ putatur, & morbum comitialem sacrum ab illo & Herculeum prisci nominavere. Puerorum quoque motio mentis idem hoc explicat, & eruptio ulcerum, quæ mortem interdum antecedit. Id enim plerisq; atrâ bile consistit.* Hic in eo quidem laudem meretur Theodorus, quod antiquam restituit lectionem in descriptione morbi epileptici, vocans eum sacrum non solùm, sed & Herculeum. Testatur enim Ludovicus Septalius antiqvum manuscriptum, quem vidit, codicem habuisse, ἱερὰν νόσον καὶ ἡρακλείαν. Agnovitqve hanc lectionem etiam vetus Interpres. Sed & Hippocrates epilepsiam Herculeum vocat morbum lib. de morbis mulierum, necnon Galenus passim, Aretæus item lib. I. de signis & causis morborum, Trallianus, nec non Herotianus in Onomastico. Ast de cætero labitur Theodorus plus simplici vice. Nam primò verba ista, καὶ ἡ περὶ τοὺς παῖδας ἔκστασις, καὶ ἡ πρὸ τῆς ἀφανίσεως αὐτοῦ ἐν Οἴτῃ (ita enim legendum, non ἐν τῇ) ἑλκῶν ἔκφυσις γενομένη, ad pueros ille transfert mente motos, cum contra Aristoteles nihil aliud circa exemplum Herculis intendat, quàm ostendere, quod & ille melancholiâ seu atrâ bile fuerit vexatus, quod ipsum & mox de aliis heroibus, Ajace, Bellerophonte, Empedocle, reliquisque docet. Quis autem sibi persuaserit, Philosophum in mediis heroibus inspergere quid voluisse de pueris mente motis? præsertim cum bilis atra, quæ ad furorem inclinat, à

nullâ

nullâ ætate magis absit, quàm puerili, etiamsi de cætero morbo epileptico valdè etiam hæc, sed aliâ de causa (possunt enim unius rei plures esse causæ) sit obnoxia: atque ex ipsâ insuper quæstione manifestum sit, propositum ipsius non aliud esse, quàm ostendere causam, cur non pueri, nec quivis alii, sed maximi viri atrâ bile inquietentur. Deinde vocem, *interdum*, de suo addidit, cujus nec vola nec vestigium in fonte apparet. Denique illud, ἐν δίλῃ, planè omisit, quasi forte fortuna in textum irrepsisset: quod tamen nobis non facilè persvadebit quisquam. Equidem in libro manuscripto, cujus meminit Septalius hæc verba non leguntur expresśè, sed loco illorum, ἐν τῇ, qualem codicem habuit & auctor veteris translationis. Sed quivis facilè intelligit vel ex hac ipsa scriptione aliquid deesse. Supplendum ergò. Quod si prædictâ fiat ratione, nempe ut legatur. ἐν οἴτῃ, quod & reperitur in editionibus operum Aristotelis à Julio Pacio, Casaubono & du-Vallio curatis, sensus emergit perspicuus & planus, nempe hic: Herculem melancholicum sive atrâ bile præditum fuisse non solum morbus comitialis, quo infestatus fuit, demonstrat, sed & furor in liberos suos, & ante obitum ipsius in Oëta vulnerum eruptio. Nempe susceperat è *Megarâ, Creontis filiâ, filios Therimachum, Lamium, Creontiadem, & Deincontem*, ut tradit Apollodorus lib. II. quos postea, cum aliquamdiu abfuisset, atque interim Lycus Rex Megaram, Herculem mortuum ratus, uxorem ducere velle rescivisset, factus redux, insaniâ correptus, unà cum dicto Rege trucidavit. Oëta autem mons est in finibus Thessaliæ, quem describit Strabo lib. IX. Meminit verò ejus & Stephanus Byzantius montem eum vocans περὶ τραχῖνα, *circa Trachinem.* Trachis verò *urbs* est *Thessaliæ.* Sed & Poëtæ ejus passim injiciunt mentionem. Ut Silius Italicus lib. III. canens:

Inter quæ fulget sacratis ignibus Oëte,
Ingentemq; animam rapiunt ad sidera flammæ.

Item

Item Virgilius, cujus hæc ſunt ex Eclogâ IIX:

———*Tibi deſerit Heſperus Oëta.*

Ad quæ verba Servius: *Ita accipiendum, quod in eo monte ſtellæ videantur occidere, ſicut in Idâ naſci.* Cujus tamen contrarium ibi aſſerere videtur Virgilius, nempe, quod ab Oëtâ oriatur. Quod confirmari poſſe videtur & verbis iſtis Livii ex lib. XLVI: *Extremos ad Orientē montes Oëtā vocāt.* Item illis Senecæ in Hercule Oëtæo: *Hac, hac renatum prima quæ videt diem*

Oëta eligatur.

Quibus gemina ſunt & hæc ex Act. I. Herculis furentis, quibus ortum diei deſcribit:

Jam cœruleis evectus equis

Titan ſummum proſpicit Oëtan.

Neque his adverſum eſt, quod habet Auctor Carminis de culice, Virgilio tributi:

Et piger aurato procedit veſper ab Oëtâ.

Itemqve Catullus:

Jamdudum Oëtos oſtendit noctifer ortus.

Oriri enim Heſperum, illum videri, aut radios ab illo ſpargi, nuſpiam, quod ſciam, à Poëtis uſurpatur ad ſignandum occaſum, ſed potius ortum. Quin & montes non tàm facilè aſſumuntur ad ſignificandos occaſus, ſed ortus. Veluti Calab. lib. II. in ortu Luciferi infert ὀρέων ἄκρην, *montium juga.* Et Ammianus Marcellianus lib. XXVII. de Thraciâ loquens: *Per dextrum*, inquit, *quod auſtrale eſt latus, ſcopuli tenduntur Rhodopes, unde Eoum jubar exſurgit, finitur in fretum.* Sed quicquid iſtius rei ſit, id paſſim traditur, quod in hoc monte Hercules fuerit verſatus, atqve inſuper & diem extremum ibi obierit, poſtquam portari ſe eò, adhuc vivens, juſſiſſet à filio, Hyllo, ita eum compellans apud Euripidem in Trachin:

Noſti montis Oëtæ ſummum apicem Iovi ſacrum. - -

Eo te oportet meum corpus portare,

Tuis & amicorum, quos voles, manibus.

Quod & factum fuit, ipso acrius instante, & hinc vitam illic finiente. Unde & Silius lib. VI. monumenta rogi Herculei in monte hoc ponit, dum ita canit:

Vix dum clara dies summâ lustrabat in Oëtâ
Herculei monumenta rogi.

Atque hinc & Oëteus dictus fuit Hercules: indeqve & nomen factum tragœdiæ Senecæ, quæ titulum præse fert Herculis Oëtæi. Lucanus quoqve eâdem de causa Herculeam Oëten nominavit lib. III. v. 178. qvum ait:

——Tunc Mænala liquit
Arcas, & Herculeam miles Trachynius Oëten.

CIX. Sed tempus est, ut ad residua duo propositi argumenti capita progrediamur. Potissimum curæ enim, quod nobis impendendum est in lectionem Aristotelis, versatur in rebus ipsis & modo eas tractandi, qui, ut de posteriori prius dicamus, in duobus consistit, *methodo & ordine.* Qvid methodus sit, docet *Alexander* apud Simplicium in I. Phys. Nempe est illa ἕξις θεωρητικὴ τῶν ὑφ' ἑαυτὴν μετὰ λόγου, *habitus cognoscitivus eorum, quæ subjecta ipsi sunt cum ratione.* Cui definitioni gemina est illa apud *Eustratium* in *I. Ethic.* & *Johannem Grammaticum* in *I. Phys.* quâ definitur ἕξις ὁδοποιητικὴ μετὰ τοῦ λόγου, *habitus viam faciens cum ratione.* Ratio autem omnis aut definitio est, aut demonstratio, sicuti *Philosophus* ipse distinguit lib. I. *de Animâ* c. III. t. 48. scribens: Λόγος πᾶς, ἢ ὁρισμὸς, ἢ ἀπόδειξις, quod & *Theophrastus* facit apud *Eustratium* Comm. in *II. Post.* Circa utramqve methodum aliqua deprehenditur in Aristotele obscuritas. Et primò quidem, quod ad definitionem attinet, obscurum aliquando est, quo fine Philosophus definitionem alicujus rei alicubi posuerit, num demonstrationis gratia (principium enim demonstrationis definitio est *II. Post. XVI.*) an alterius finis causâ, veluti nonnullorum, quæ ibi traduntur,

duntur illustrandorum ergò. Unde tot sententiæ & explicationes interpretum, totq; eorum non rarò errores in singulis fermè libris commissi. E.gr. συνώνυμα in Categoriis definiri, ut intelligatur, ea admitti debere in Categoriis, cum ex ipso Aristotele satis clarum sit, ipsum hanc definitionem posuisse, ad demonstrandam secundam substantiæ proprietatem, quæ occurrit lib. *Categ.* V. §. 15. Sic in lib. de Interpr. ajunt *nomen* definiri, *quoniã est pars enunciationis*, cùm Aristoteles disertè scribat, se hoc principium posuisse ad eam demonstrationem conficiendam, quæ VII. cap. legitur. In principio priorum Analyticorum inter alia definit syllogismum perfectum & imperfectum. Hoc vulgò eo fine factum existimant, ut cognosceretur divisio syllogismorum, cum ex Aristotele ipso non obscurum sit, eo fine ipsum syllogismos hos definivisse, ut demonstraret omnes modos primæ figuræ esse perfectos, reliquos imperfectos. Ante omnia igitur, cùm de definitionibus, quas Aristoteles affert, judicare volumus, indagandum est, quo consilio adduxerit illas. Neqve enim iisdem utitur definitionibus, cum illustrandi causâ eas ponit, & cum ἀποδείξεως, sive demonstrationis ergò.

CX. Hoc ut eo melius intelligatur, nosse oportet, quod definitiones non sint ejusdem generis. Cum enim in definiti evolutione duo attendantur, nempe *nominis significatio*, & *res ipsa significata*, inde fit, ut definitio generaliter accepta alia sit *nominis*, alia *rei*. Ex quibus *illa* est, quæ exprimit, quid nomen significet, sive expositio illa fiat uno vocabulo, sive pluribus. Quales sunt definitiones, quæ ab *etymologia* ducuntur, veluti: Solstitium est statio solis, Triangulum est, quod habet tres angulos, φιλόσοφος est φίλος τῆς σοφίας. Item, quæ *notiori* & *magis perspicuo vocabulo* aut *oratione* exprimunt, quid definitum significet, velut illa ex 1. Topic. V. §. 2: *Honestum est, quod decet*; & istæ, *fari* est *loqui*, *condicere* est *promittere*. De-

niqve, quæ ex *accidentibus* & *proprietatibus* conflantur, evidentibus vel sensui, vel menti. Hæc enim συμβάλλεται μέγα μέρος πρὸς τὸ εἰδέναι τὸ τί ἐστι, *conferunt magnoperè ad cognoscendum, quid sit*, I. *de An.* cap. I. *Galenus* tales definitiones vocat λόγους ἐννοίας, item λόγους ἐννοηματικοὺς III. *de diff. pulsuum*. *Rei* autem definitio, quæ & οὐσιώδης appellatur, ea dicitur, quæ rei ipsius vim & naturam declarat. At nec ea uniusmodi est in omnibus. Cum enim in scientiis non solùm substantiæ, sed & πάθη τῶν οὐσιῶν, *affectiones substantiarum*, definiantur, hæ quidem duplicem habent definitionem, unam *essentialem*, alteram *causalem*. Qvarum *illa* æquè, ut substantiarum, constat ex *genere* & *differentiis*, veluti, si eclipsis Lunæ definiatur privatio luminis Lunæ: *hæc* autem *causam* exprimit, à quâ πάθος istud, quod definitur, pendet. Ut, si eclipsis Lunæ definiatur diametralis interpositio terræ inter Solem & Lunam: hæc enim causa est eclipseos Lunæ. Cum ergò Aristoteles substantiam aliquam definit eo solùm fine, ut cætera melius intelligantur, ἐννοηματικὸν affert λόγον: ast cum demonstrationis causâ, essentialem. Rursus, cum πάθος alicubi definit eo consilio, ut alia plenius cognoscantur, itidem aut ἐννοηματικὸν solùm adducit λόγον, aut definitione utitur essentiali, quæ nihil demonstrat. At cum demonstrare quidpiam ex definitione vult, non essentialem, sed causalem adhibet definitionem. Quod non intelligentes quidam præter meritum Aristotelicas, quas hinc inde ponit, definitiones vellicant, eò, quod genus in illis non deprehendant & differentias tales, quales in definitionibus ponendas esse VI. Topicorum docet, cum ipsi reprehensionem mereantur, nescientes, quid intersit inter Analyticas & Dialecticas definitiones.

CXI. Placet & hanc rem uno atq; altero illustrare exemplo. Primum esto exemplū *coloris*, quem aliter Aristoteles in II. *de Anima* c. VII. aliter in *libro de sensu & sensib.* c. III. definit

Ibi

Ibi quidem hoc modo: *Color est* κινητικὸν τοῦ κατ' ἐνέργειαν διαφανοῦς, *motivum diaphani actu*, quæ definitio essentialis est, exprimens essentiam coloris, sicuti ipse significat, subjungens: Καὶ τοῦτ' ἔστιν αὐτοῦ ἡ φύσις. Propositum namq; isto loco Philosopho erat exponere, qvodnam sit objectum visus, & quæ natura sit eorum, quæ sub ipso comprehenduntur, in quibus & color est. At hic, ubi ἀποδείξεως ἕνεκα colorem definivit, causalem affert, hanc scilicet: *Color est diaphani in corpore terminato extremitas*. Quæ definitio à paucis est intellecta. Diaphanum enim interpretantur aërem aut aquam, aut simile aliud corpus, planè diaphanum, medium inter oculum & objectum coloratum. Quod à mente Aristotelis quàm maximè est alienum. Nam diaphanum, de quo loquitur, est in corpore terminato, h.e. tali, cujus diaphaneitas, ut ita nobis loqui liceat, non est tanta, ut visum transmittat, sed opacitate admixtâ ita se restringit ac terminat, ut visui transitus non pateat. Cætera vero diaphana, velut aërem & alia, per quæ species visibilis transit, διάφανα ἀόριστα, *indeterminata*, vocat. Definitio autem ipsa, ut dixi, causalis est. Ex variâ namque commixtione diaphani & opaci in corporibus terminatis resultat lux quædam tenuis, magis clara aut umbrosa, prout plus aut diaphani aut opaci est in ea permixtione, quam vocamus colorem. Resultat autem in extremitate. Hinc colorem extremitatem definit diaphani in corpore terminato, non quod propriè extremitas sit, (id enim apertè negat ipse Philosophus, cum addit: *Color est in corporis extremitate, non ipsa extremitas corporis*,) sed quod in causalibus definitionibus ratio non habeatur istorum loquendi modorum, quorum magna habetur ratio in Dialecticis definitionibus. Sufficit enim scientifico Doctori in definitione expressisse causam, per quam affectionem ipsam demonstrare possit de genere ὑποκειμένου, cætera autem negligit, quod ad propositum suum parum faciant. Hinc si quis

definitionem illam coloris posteriori loco allatam reprehendere vellet ex eo cap. quod genere suo destituatur, aut, quod nō verè de definito dicatur in casu recto, is ostenderet quidem hoc ipso, se Dialecticæ quadantenus gnarum, sed Analyticæ prorsus esse imperitum, quod nesciat indolem causalium definitionum. Similis definitio est illa soni, quæ extat II. de Anima cap. VIII. Definitur enim ἀέρος πληγὴ, cum tamen formaliter non sit ictus aut motus aëris, sed qualitas tertiæ speciei, ex ictu & motu confligentium corporum resultans. Unde & à Ptolemæo vocatur πάθος ἀέρος πλησσομένου, *passio aëris icti.* Malleus enim e. gr. icit campanam, ictu rumpitur medius aër, rupturâ factâ exilit sonus. Unde tria Aristot. eodem loco requirit ad soni generationem, duo corpora inter se confligentia, & tertium, quod eorum complosione in medio frangitur. Quanquam contingat aliquando, ut unum idemque corpus, si liquidum sit, omnium trium vicem subeat, ut, cum aër ad aërem & ventus ad ventum, magno impetu alliduntur.

CXII. Cæterum & hoc interdum accidit, ut Aristoteles alicubi & causalem & essentialem, vel etiam ἐννοηματικὴν afferat rerum definitionem, quarum hanc præmittit, quod ipsi ducis quasi loco sit ad investigandam alteram accuratiorem definitionem. E. gr. in Ethicis acturus de beatiduine primum indagat definitionem ejus ἐννοηματικὴν, atq; definit id, quod bonorum omnium est perfectissimū, sibi ipsi sufficiens & optimum; tunc autem pergit & illam quoq; inquirit definitionem, ex quâ cætera demonstrat, quæ hæc est, *operatio animæ rationalis secundum virtutem perfectam in vita perfecta*, I. Ethic. VII. Idem observavit & alibi, velut in indagandâ naturâ sapientiæ, incrementi, loci, aliarum reconditarum rerum. Qvod & Galenus est imitatus in quærendâ naturâ morbi, pulsus, lassitudinis, & similium aliorum.

CXIII. Sed quid dicemus de tribus istis definitionum generibus, quæ enumerat Aristoteles I. Post. IIX. & II. Post. X? In priori enim loco hæc habet verba: *Definitio est vel* ἀρχὴ ἀποδείξεως, *principium demonstrationis:* vel ἀπόδειξις, θέσει διαφέρουσα, *demonstratio, positione differens: vel* συμπέρασμα ἢ ἀποδείξεως, *conclusio demonstrationis.* In posteriore autem sic scribit: *Definitionum alia est* λόγος τοῦ τί ἐστιν ἀναπόδεικτος: *alia verò* συλλογισμὸς τοῦ τί ἐστι, πτώσει διαφέρων τῆς ἀποδείξεως: *tertia denique est* τοῦ τί ἐστιν ἀποδείξεως συμπέρασμα. Quid, inquam per hæc definitionum genera Philosophum significare voluisse dicemus? Hæc res enim non parùm obscura est, & tamen multum ad intelligendum *Aristotelem* habet momenti. Unde sicco pede non est prætereunda. Equidem in eo omnes consentiunt, quod per conclusionem demonstrationis istis locis intelligenda sit ea τοῦ πάθους definitio, quam *essentialem* paulò ante dicebamus. Perinde enim est, sive demonstretur, Lunam pati eclipsin, sive, Lunam privari lumine suo. At hæc est definitio eclipseos Lunæ essentialis, privatio, dico, luminis Lunæ. Manifestum ergo est hanc esse demonstrationis, in quâ causa affertur eclipseos Lunæ, conclusionem. Porrò & in eo conveniunt, quod per definitionem solâ θέσει à demonstratione differentem intelligenda sit definitio τοῦ πάθους, quæ non solum genus exprimit & differentiam, sed & simul causam, à qua affectio pendet, qualis est illa eclipseos Lunæ, quâ definitur privatio luminis Lunæ, orta ab interpositione diametrali terræ inter Solem & Lunam. Hæc enim definitio facili negotio ad demonstrationem reducitur, si loco majoris termini ponatur definitum, πάθος ipsum, loco minoris autem subjectum, Luna, medii denique loco causa. Quamvis enim si ita instituatur reductio genus affectionis disertè in demonstratione non ponatur, penitur tamen in ipsa affectione virtute & implicite. Affectionis namque proprium nomen juxta Aristot.

lib.

lib. VII. Met. t. 17. 18. 19. & Elench. c. XXXI. duo includit, nempe *formam* ipsam & *subjectum*, quorum illam πρώτως significat, hoc autem connotat. E. g. Simitas, quæ est affectio propria nasi, non solùm curvitatem significat, quæ est ipsa forma simitatis, sed & subjectum connotat, nasum ipsum, nempe, si non expressè addatur. Tunc enim intellectus non quiescit, sed intelligens simitatem esse curvitatem quandam, pergit inqvirere, cujus sit curvitas, neque cessat ab inquisitione, donec pervenerit ad nasum, cujus ipsa per se est affectio. Cum autem additur nasus, tum simitas non amplius connotat subjectum, sed nudam curvitatem significat, neq; intellectus ultrà tendit, sed acquiescit, aliàs enim si & subjectum eo significaretur, nugatio committeretur. Quod autem de simitate & naso hic dictum est, idem verum est de omnibus aliis affectionibus & subjectis earum propriis, veluti de risibilitate & homine, eclipsi & Luna, tonitru & nube. Scilicet cum affectiones adjiciuntur ipsis subjectis suis, per se tantum formam significant, quæ est genus, velut eclipsis privationem luminis, non autem subjectum, quod aliàs connotare solent, quando non additur. Manifestum ergò est poni & genus affectionis, cum hæc prædicatur de subjecto in demonstratione, si non explicitè, virtute tamen & significatione, quod sufficit ad id, ut θέσει terminorum differre dicatur definitio à demonstratione. Quamvis enim eclipsis & privatio luminis non sint iidem termini quoad voces, sunt tamen quoad significationem, quod satis est, inprimis, cum definitio non sit actu demonstratio, sed solùm virtute & facultate.

CXIV. Cæterum quid per istud definitionis genus intelligendum sit, quod I. Post. VIII. Philosophus principium dicit demonstrationis, in eo non exiguus est dissensus. Communiter eo insinuari existimant definitionem illam affectionis, quæ causam solam affert, qualis erat illa eclipseos Lunæ, quâ definiebatur diametralis interpositio terræ inter Solem

lem & Lunam. Quæ & Philoponi est sententia in utrumque locum, ut & Eustratii in posteriorem ex II. Post. laudatum. Verùm premitur ea non exiguis difficultatibus. Si enim illa definitio, quæ causam solum exprimit affectionis per istud genus quod Philos. I. Post. IIX. principium vocat demonstrationis, ea ipsa erit positio τοῦ τί ἐστι indemonstrabilis, qum altero loco primùm recenset in generibus definitionum. At hoc genus definitionis Philosophus disertè tribuit illis solùm rebus, quæ non habent causam essentiæ à se diversam, & idcirco nequeunt demonstrari. Ita namque disertè scribit eo ipso capite §. 6: Ὁ δὲ τῶν ἀμέσων ὁρισμὸς θέσις ἐστὶ τοῦ τί ἐστιν ἀναπόδεικτος, *Immediatorum definitio est positio ejus, quod quid est, indemonstr abilis.* Affectiones è contrario habent medium, per quod insunt. *Præterea* describens illud definitionis genus, quod §. 7. loci posterius citati syllogismum vocat τοῦ τί ἐστι, ibidem §. 3. appellat λόγον δηλοῦντα διά τι ἐστιν, *orationem declarantem cur sit.* Hoc ipsum autem definitionis genus θέσει aut πτώσει ait differre à demonstratione. Ex quo fermè apparet, Aristotelem eam definitionem affectionis, quæ causam affert, & definitionem à demonstratione non nisi positione differentem pro unâ eademq; habere, cujus ratio hæc esse videtur, quia rarò definitio illa, cū modo definitionis profertur, sine essentiali definitione sumi solet. Veluti Astronomi, eclipsin Lunæ definientes, dicunt esse privationem luminis Lunæ ob interjectam terram, quomodo & Aristoteles definire solet, volens afferre definitionem eclipseos Lunæ causalem. Ut II. Post. cap. II. §. 3. ubi sic scribit: *In his omnibus perspicuum est, idem esse* τὸ τί ἐστι, καὶ διὰ τί ἐστι, *veluti quid est eclipsis? privatio luminis Lunæ ob terræ interp fitionem. Cur est eclipsis? propterea, quod lumen deficit terrâ interpositâ.* Inprin is autem id satis apertè colligi videtur ex I'. Po'.cap.X. §. 3. & 4. Postquam enim dixerat, aliud esse definition.s genus præter istud, quod no-

men significat, addit: Ἄλλος δὲ ἐστιν ὅρος, λόγος ὁ δηλῶν διὰ τί ἐστι, *Alia est definitio, oratio, declarans, propter quid est*, per quam sine dubio intelligit definitionem causalem. Et mox differentiam utriusque definitionis indicans, ait: *Quocirca prior significat quidem, non tamen probat: posterior autem quasi demonstratio est probans, quid sit,* τῇ θέσει *differens à demonstratione. Differt enim dicere, cur tonat? &, quid tonitru? Ad illam enim quæstionem sic respondetur, quia extingvitur ignis in nubibus: quid autem est tonitru? sonus extincti ignis in nubibus. Quare eadem oratio alio atq; alio modo effertur, & isto quidem modo demonstratio est continua, hoc autem modo est definitio.* Sic & in IIX. Met. c. IV. definitionem σὺν τῷ αἰτίῳ sive causalem vocat hanc eclipseos Lunæ, privationem luminis à terra in medio interpositâ. In quem locum ita Alexander: *Definitio cum causa demonstratio est differens positione.*

CXV. Quæ ergò tandem est definitio illa, quam Aristot. vocat principium demonstrationis, sive positionem τοῦ τί ἐστι indemonstrabilem? Fortè non affectionum, quarum est aliqua diversa causa essentiæ, definitio, sed substantiarum? Hæc enim non immeritò dicitur principium demonstrationis, cum propriæ affectiones omnes à formâ, sive essentia, subjecti fluant, quæ definitione ejus exprimitur, adeò, ut plenè demonstratum non sit, nisi usque ad eam reductio fuerit facta. Cognito enim hoc, quod Luna ideò patiatur eclipsin, quia inter ipsum & Solem terra diametraliter interponitur, quæri adhuc potest, cur talis obscuratio in Lunâ ob interpositam terram fiat, cũ non futura esset in stellis fixis, etiamsi terræ essent propinquiores & in umbram inciderent ejus? Hîc ad naturam Lunæ necessariò recurrendum est, & dicendum, in stellis fixis ideò id non futurum, quod & majores terrâ sint, & lumen proprium habeant, Luna autem & terrâ minor sit, & lumen suum mutuetur à Sole. Unde & Averröes in Epitome disertè dicit, *non*

posse

posse nos demonstrare eclipsin, nisi sciamus, Lunam splendore Solis lucere: at hoc ad naturam pertinet Lunæ. De eo tamen dubitare quis adhuc posset, an etiam substantiarum omniũ definitio rectè dici queat positio τοῦ τί ἐστι indemonstrabilis. Nam cũ definitio sit oratio, per quam respondetur ad quæstionem τί ἐστι II. Post. X. §. 1. quæstio autem omnis aliquid de aliquo quærat, VIII. Met. ult. t. 59. etiam in quæstione, quid sit, illud obtineat oportet, etiamsi lateat in eâ aliquid de aliquo quæri, quod inter simpliciores quæstiones numeretur II. Post. c. I. Aristoteles sanè in in II. Poster. II. omnem quæstionem reducit ad quæstionem διότι, quæ est quæstio causæ. Nam, inquit §. 2. *cum quæro, deficitne* (Luna) *necne, idem est, ac si quærerem, estne causa aliqua* (defectionis,) *an non? Posthac cum cognovimus esse aliquam causam, quærimus, quænam hæc sit, sive simpliciter,* h. e. rei in se spectatæ, *e. g. quænam sit causa Lunæ, trianguli, vel terræ: sive alicujus, quod inest, v. c. eclipseos, æqualitatis, situs in medio.* §. 3. autem addit: *In iis enim omnibus* (non solum in compositis, sed & in simplicibus) *est idem τὸ τί ἐστι, καὶ διὰ τί ἐστι.* Quod rursus repetit §. 5. his verbis: *Nosse τὸ τί ἐστιν, idem est, quod nosse διὰ τί ἐστι, idq; ἢ ἁπλῶς, vel simpliciter, & non eorum quidpiam, quæ insunt; vel eorum quidpiam, cujusmodi sunt, habere duo angulo recto, aut esse majus vel minus.* Ex quibus verbis non obscurè colligitur, etiam substantiarum quarundam definitionem (Luna enim & terra sine dubio sunt substantiæ) explicare τὸ διὰ τί ἐστιν. Quod ipsum quoq; declarant verba Philosophi II. de An. II. t. 12. quibus completam animæ definitionem quærens, ait, *oportere rationem definitivam ostendere non solùm τὸ ὅτι, sed & τὸ διότι, ut non solum tanquam conclusio videatur, sed etiam ejus causam explicet.* At anima est substantia. Habetur ergò & hujus λόγος aliquis, διότι ἐστὶν manifestans. Quæstio τοῦ διότι autem manifestè est alicujus de aliquo. Semper

enim quærit de aliqua materiâ, cur ei insit hoc vel illud, etiam cum de re simplici, (h. e. illi, quæ κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν dicitur, ut loquitur Auctor Libri Categ. cap. III.) affirmatur, v. gr. cur ligna & lapides domus, & corpus hoc ex capite, thorace, ventre inferiore & artubus constans, animal sit. Quod si ergò quæstio τί ἐστι in quæstionem διὰ τί incidit etiam in substantiis, utique & substantiarum definitio ad demonstrationem poterit reduci. Ut enim τὸ τί ἐστι definitione explicatur: ita τὸ διὰ τί demonstratione declaratur. Utramque autem quæstionem antecedit quæstio an sit.

CXVI. Ut hoc planius reddatur, res altius est repetenda. Multum enim confert hæc res probè intellecta ad Aristotelis mentem in quamplurimis locis percipiendam. Notum est, quod substantiæ compositæ non solum formâ constent, sed & materiâ. Neque enim homo sola anima est, sed anima cum tali corpore hominem absolvit, sicut nec domus solâ specie aut formâ constat, sed forma in certâ materiâ domum constituit, velut in lignis & lapidibus. Non enim reverà domus est, quæ ex chartâ constructa est, quod fine destituatur, cujus gratia est domus: neque serra est, quæ ex plumbo confecta est, licet figuram ejus habeat, quod nequeat præstare ea, quorum gratiâ est serra facta. Neq; officit, quod vulgò dicatur serra. Id enim fit nonnisi æquivocè IV. Meteor. c. ult. Hinc formæ naturales passim à Mathematicis eo distingvuntur, quod hæ sint separatæ à materiâ determinatâ, velut concavum, & similes: naturales autem sint in certâ ac determinata materia, cum quâ constituunt compositum, & habent se velut simum, quod concavitatem notat in certo subjecto, naso II. *Phys.* II. I. de *An.* I. Et licet materia in se spectata ad essentiam nullius rei pertineat, (indeterminata enim est & communis omnibus, sicut cera neque ad trigoni, neqve ad tetragoni, neqve ad pentagoni &c. rationem pertinet, quod indifferenter se habe-

habeat ad cunctas hasce figuras & ad unam non magis spectet, quam ad alteram :) omnis tamen materia ab essentiâ removeri non potest, nempe, quæ definita est & determinata. Quomodo enim caro aliquid esse possit, aut os, sine tali vel tali materia? Docet hoc satis dilucidè *Aristoteles* cùm alibi, tùm inprimis VII.Met.IIX.& XI. Neque quenquam hîc moveat, quod materia non semper explicitè ponatur in definitione. E.gr. quod homo non definiatur animal terrestre bipes, capite, carne, thorace, ventre inferiore & artubus constans, &c. Virtute enim hæc includuntur in ratione aut generis, aut differentiæ: quandoquidem *differentia* (substantiæ compositæ) significat *formam in materiâ* I. Part. animal. cap. IV. Cum ergo duo ad essentiam pertineant substantiarum compositarum, materia & forma, illam ex hac demonstrari posse apertum est per inductionem. E. c. quæritur, propter quid hæc ligna & lapides sint domus? & respondetur ὅτι ταδὶ ὑπάρχει, ὃ ἦν οἰκίᾳ εἶναι, quæ sunt verba Aristotelis VII.Met.ult. *quia hæc sunt, quod erat esse domus*, hoc est, quia formam habent domus. Item quæritur, quare homo est hoc, v.c. cur ex capite constat, thorace, ventre & artubus? & respondetur, quoniam hæc ejus est essentia, ut sit tale vel tale animal. Cum ergò, concludit Aristoteles eodem loco, quæritur quid est, quæritur causa materiæ: hæc autem est species, quâ aliquid est & substantia. Possumus quoque his lumen aliquod accersere ex iis, quæ apud eundem Philosophum habentur lib. I. de anima c.I. Enumerat ibi tres definitionũ species. Et *primam* quidem ait constare ex *formâ*: *alteram* ex *materiâ*: *tertiam* ex utroq; genere principiorum. Declarat hoc exemplo domus, cujus definitio materialis est, si quis ita definiat eam, quod sit constructio ex lapidibus, lignis & cæmento. *Formalis* autem, si ita, quod constructio nos defendens ab imbribus, calore & aere. *Utrumq;* autem genus causæ compre-

hendit illa, quâ definitur constructio ex lapidibus, lignis & cæmento, defendens nos ab imbribus, calore, aëre. Hoc posito, dubitat in calce text. XVI. quænam ex illis definitionibus adhibenda sit à Philosopho naturali, cum definit animales corporis passiones? Textu XVII. autem hanc rem determinat & dicit, ex utraque causâ definire oportere naturalem Philosophum, eò quod Physicus non considerat τὰ πάθη κεχωρισμένα, qualia contemplatur Mathematicus, qui formam trianguli, circuli, quadrati, & similes, considerat ἐξ ἀφαιρέσεως, quoniam talia non sunt in certâ & determinatâ materiâ ex ratione & naturâ suâ: sed πάθη μὴ χωριστὰ, *affectiones minime separabiles*, seu tales, quæ in certâ ac determinatâ materiâ perpetuò spectantur. Quamvis verò Aristoteles definitionum ista tria genera ad πάθη animalium ibi accommodet, ex adjecto tamen exemplo domus, quo genera illa illustrat, satis clarum est, quod & in substantiis compositis ea habeant locum. Nam & res artefactæ pro substantiis habentur, velut I. Top. XVI. ubi ὄνος & quatenus *animal* significat, & quatenus *lapidem molarem*, in eadem categoriâ collocantur. Sed & *Ammonius* in lib. Categ. c. τὸ VII. παιδάλιον ad *substantiam* reducit. Horum ergo omnium est eadem, quæ domus ratio. Np. aliquando definiuntur per *materiam*, aliquando per *formam*, h. e. per finem & usum, quoniam omnium instrumentorum essentia est in usu posita, cujus ratio affertur I. Part. anim. cap. V: πᾶν γὰρ ὄργανον ἕνεκά του. Ex utraqve autem fit perfecta. At non aliter comparatum est cum definitionibus substantiarum naturalium, puta compositarū. Nam & earum ratio perfecta significat τὸ κατά τινος, hoc quidem ὥσπερ ὕλην, illud autem, ὡς μορφήν, quod & disertè docetur IIX. Met. III. Ex quibus hoc per alterum demonstratur, quod inprimis manifestum est in definitionibus partium animalis, quæ & ipsæ compositarum substantiarum rationem habent. Veluti os definiri potest per materiam, ex

ex quâ constat: habet enim materiam propriam, per quam à carne, sanguine & cæteris distinguitur, quæque ad essentiam pertinet, veluti quod sit pars similaris, sicca & solida. At potest & per formam definiri ac finem, sive usum, quem præstat, qui est fulcire carnem. Quodsi utraque jungatur, perfecta erit ossis definitio. Has definitiones si quis inter se compararet, primam istam non incommodè conclusionem dixerit demonstrationis. Causa enim afferri potest, cur os oporteat esse similare, siccum & solidum. Media autem principium demonstrationis: causam enim affert definitionis ex materia constantis. Tertia denique erit definitio θέσις differens à demonstratione.

C X V I I. Non omnis igitur etiam substantiæ definitio est positio quid est indemonstrabilis. Pertinent enim aliqua ad essentiam substantiæ compositæ, quæ aliam priorem habent causam, cur sint in substantia, ut siccitas & soliditas in ossibus, & si quæ sunt aliæ rationes ad materiam pertinentes. Alia tamen ita insunt, ut causam non habeant priorem. Neque enim causa datur prior, cur os fulciat carnem, sed hoc per se & sine medio ei inest, perinde, ut in artificialibus, veluti in arcâ, causa quædam est, cur partes, ex quibus constant, ita coagmententur, ut talem formã præ se ferant, qualis est e.g. arcæ. Nempe causa illa finis est, cujus gratia facta est, v. c. conservatio supellectilis: hujus autem quæ est alia propria causa? Hæc igitur substantiæ ratio erit indemonstrabilis, & principium demonstrationis. In ipsam enim ultimò resolvuntur reliquæ rationes, quæ in materia existunt, ipsa verò in aliam priorem non resolvitur, sed in eâ sistitur, nempe in eâ scientiâ, in quâ cætera ex illa demonstrantur. Aliàs enim omnis actus materialis, quamvis ut indemonstrabilis supponatur ab eo, qui hanc aut illam scientiam profitetur, resolvitur tamen in actum quendam priorem à superiori scientia, aut eâ, quæ omnibus

mnibus communis est: immaterialis autem actus in nullum alium resolvitur, sed primus est, à quo cætera cuncta pendent, tanquam à primo quid est. Et hinc Philosophia prima, quæ hunc actum considerat, vocatur scientia τὸ τί ἐστι, quia sola speculatur illud τὸ, quod ἁπλῶς est indemonstrabile, VI. Met. I. Sed satis de primâ, quæ in definitionibus Aristotelicis occurrit, diversitatis causâ.

CXIX. Progredimur ad secundam. Quæ ut intelligatur, observandum est, quod non absolutè verum sit illud in scholis ferè ubique receptum, *unius rei unam esse definitionem*, sed tùm demùm, si cum restrictione intelligatur, *quatenus* scil. *una est*, quomodo intellexisse illud Aristotelem ex VI. Top. c. IV. est manifestum. Alias enim pro diverso respectu aut diverso considerando modo una eademqve res diversimodè potest definiri. Nempe ut *drachma una eademq;* utimur denuò simili ex Clementis Alexandrini I. Stromatum petito, *diversa suscipit nomina, si diversis detur (si enim nautæ detur, vocatur* ναῦλον; *si publicano,* τέλος; *si ei, qui domum locat,* ἐνοίκιον; *si doctori,* μισθὸν *vel* δίδακτρον; *si ei, qui vendit,* ἀρραβὼν; *si medico,* σῶστρον:) ita εἶναι ejus definitione explicandum pro diversa χρείᾳ aliud atque aliud oritur. οὗ γὰρ τοὔνομα δηλωτικὸν, τούτου καὶ ὁ ὁρισμὸς, & contra. Hinc aliter definiunt Ethicus & Politicus, aliter Physicus, aliter Mathematicus. Modus enim considerandi in disciplinis, quas quisq; horum profitetur, est diversus. E. gr. Ethicus sive Politicus sua magna ex parte definit προαιρέσει, veluti mendacem dicit non eum, qui mentiri potest, sed qui hæc eligit. Pariterque & Sophistam, non qui fallere ac decipere potest (id enim æque Dialecticus potest, ac Sophista, qui tamen vir bonus est) sed qui sequitur vitæ hoc genus. At aliæ facultates προαίρεσιν negligunt, & sola δυνάμει definiunt, sicut in Metaphysicis dicitur, τὸ οἰκοδόμῳ εἶναι τῷ δυνατῷ εἶναι ἐστὶν οἰκοδομεῖν, ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τε-

χιῶν. Porrò Physicus respectu Mathematici definit ἐκ προσθέσεως, *per additionem*, id est, factâ materiæ mentione. Ita enim formæ naturales involutæ sunt materiæ, ut sine illa ne quidē cogitatione possint comprehendi. Idq; ob inet non solùm in concretis, ut vocant, sed & in abstractis. Ex quâ ipsâ causâ formæ Physicæ se dicuntur habere, ut simū vel simitas, quæ est concavitas quædam, sed in determinato subjecto, videlicet naso II. Phys. II. & VI. Met. I. At Mathematicus contra definit ἐξ ἀφαιρέσεως, *per abstractionem à materia sensibili.* Sic enim lineam, & alia, sibi subjecta, definit, ut in definitione nullam determinatæ materiæ faciat mentionem. Ex quo locis citatis Mathematica dicuntur se habere, ut concavum. Hoc enim certam materiam non includit, sicut simum, sed formam solam exprimit, cuicunque tandem insit subjecto, sive naso, sive aëri, sive aquæ, sive cœlo. I. de An. I. Cum igitur Aristoteles sæpius unam eandemque rem in diversis considerat scientiis, similiter varias sæpè unius rei affert definitiones, pro considerandi modo cuiq; scientiæ proprio. E. gr. aliter affectus definit in Physicis, aliter in Rhetoricis, aliter in Ethicis. Modus enim considerandi affectus in hisce disciplinis idem non est, sed planè diversus. Physicus namque considerat eos, ut sunt πάθη alicujus substantiæ mobilis, animalis. Ethicus autem ostendit, quomodo sint regendi, & quomodo mediocritas iis sit inducenda. Rhetor denique, quomodo ciere eos conveniat, docet. Quod si scientiam de arte medica conscripsisset Philosophus, adhuc aliter eos definiisse. Medicus enim affectus itidem alio modo contemplatur, nempe; quatenus imprimunt ægroto aliquid, quod tollere laborat. Similiter alio modo virtutem definit in Ethicis, aliter in Rhetoricis. In Ethicis quidem *virtutem* definit *habitum proæreticum in mediocritate positum, quæ ad nos comparatur, & ratione definita est, ut vir prudens definiret* II. Ethic. VI. At in Rhetoricis eam

dicit *facultatem tribuentem bona, item facultatem conservantem bona, benefactricem multorum & magnorum & omnium de omnibus*. I.Rhet.IX. In Ethicis enim ἀκριβῶς de virtute diſputat, tanquam de eo, quod præcipuum eſt in definitione felicitatis practicæ, cujus illuſtrandæ gratia univerſa iſta πραγματεία ſuſcepta eſt. At in Rhetoricis de virtute hoc ſolùm reſpectu agitur, quatenus ab ea quiſpiam laudatur & commendatur civibus, ad quos Orator ſermonem dirigit, ut honorent ipſum, aut ejus veſtigia premant. Ad hoc autem exacta definitio virtutis nihil confert, ſed utilior eſt, quæ vulgo recepta eſt, etiamſi non habeat πάντως τὸ ὀρθόν. Tunc autem recepta erat vulgò Socratis ſententia, qui virtutes ſcientias eſſe dicebat I.M.M.I. atqve ideo cum ſcientiæ ſint facultates IX. Met. II. δύναμιν loco generis in definitione virtutis poſuit. Rurſus cum vulgus & cives, apud quos agit Orator, non honorent, neq; magnifaciant, niſi illos, à quibus aut beneficiis afficiuntur, aut ſperant, ſe poſſe affici, idcircò virtutes dicit tales eſſe facultates, quæ habilem quempiam faciant ad benefaciendum.

CXIX. Hæc, ſi quis probè imbiberit, facilè ſimul intelliget, quàm inepti ſint illi, qui Ariſtotelem reprehendunt, quod hominem in Phyſicis non ζῶον λογικὸν, *animal rationale*, ſed ζῶον πεζὸν δίπουν definierit. Non enim potuit ibi aliter hominem definire, cum iſto loco eum conſideret, ut certam quandam ſpeciem animalis. Tales ergò in definitione hominis, quatenus ibi illum conſideravit, ponere debuit differentias, quæ per ſe cum animali cohærent. Quæ verò ſunt illæ? Animalium duæ ſunt primariæ ἐνέργειαι, *ſenſus* & *motus*. Ex quibus prior illa omnibus animalibus ineſt: poſterior autem ſolum perfectioribus. Neq; enim omnia animalia apta ſunt naturâ ſeſe movere de loco in locum, veluti oſtreæ, ſed ea ſolum, quæ, ut dixi, ſunt perfectiora. Unde ad motum præcipuè attendendum eſt, cum animalia perfectiora ſunt definienda,

enda. Nam & hujus gratiâ sensus illis à naturâ datus est, non motus sensus ergò. Unde verò motus differentiæ erunt petendæ? Hoc facilè advertemus, si ad finem respiciamus, propter quem & sensus & motus animalibus perfectis tributi sint à natura, qui sanè non alius est, nisi hic, ut victum quærentes id, quod noxium sibi est, declinent, quod conveniens autem est, persequantur, sicut & Auctor librorū de divina sapientia secundum Ægyptios apud Aristotelem docet lib. V. cap. I. Hinc ut dixi, jam facilè intelligitur, unde animalium perfectiorum differentiæ sint desumendæ. Nempe prout diversimodè animalia per naturam disposita sunt sentire, atqve sese movere victus ergo, sic & variant animalium genera. Jam quædam ita sunt disposita per naturam, ut sentiant atqve se moveant victus quærendi gratiâ in terra, & hæc vocantur animalia terrestria: alia ita per naturam sunt disposita, ut victus gratiâ se moveant & sentiant in aquâ, & ea nuncupantur animalia aquatilia: alia denique per naturam ad utrumqve sunt dispostita, eaqve appellantur ἀμφοτερίζοντα, ut ranæ & similia alia. Terrestria rursus ut dividantur per differentias, attendendum est ad diversam motus, qui in illis deprehenditur, rationem. Quædam enim ex illis tantum ἐν πέδῳ sive in terra se movere per naturam apta sunt, neque alia instrumenta à natura obtinent, quibus progressum suum promoveant, & vocantur animalia pedestria: alia autem & aliis nonnullis instrumentis gaudent, quibus per aërem se movere apta nata sunt, eaque vocantur volatilia. Quorum differentiæ rursus aliunde peti non possunt, nisi à variis instrumentorum, quibus ista exeqvuntur, dispositionibus. V. c. Volatilium animalium differentiæ petendæ sunt à dispositione organorum, quibus volant: neq; enim omnia iisdem prædita sunt ad finem hunc obtinendū organis, sed alia alias habent, veluti alia ex pennis constructa, ut aquila, accipiter; alia ex mem-

branâ sicca, ut apes & scarabæi; alia ex cute, ut vulpeculæ. Pedestrium autem animalium differentiæ desumendæ sunt à discrimine organorum, quibus se per terram movent. Alia enim pedibus se movent, & vocantur gressilia: alia serpunt, & vocantur reptilia: alia promovent corpus, volvunt sese atque trahunt & vocantur tractilia. Quod si porrò & hæc & ista sint dividenda, differentiæ aliunde depromi non possunt, nisi ex numero organorum. Et volatilibus enim quædam binas, quædam quaternas habent alas &c. Ex pedestribus autem, quæ per pedes sese movent, alia duobus, alia quatuor, alia pluribus instructa existunt. Non potest ergò homo sub genere animalis aliter definiri, quàm per animal pedestre, bipes, per rationale non item, cùm id non cohæreat per se cum animali. Animal enim, quà tale, nihil aliud est, quàm vivens sensitivum. λογικὸν autem propriè idem est, quod βουλευτικὸν, juxta illud: λογίζεσθαι καὶ βουλεύεσθαι ταὐτὸ, VI. Ethic. cap. I. Inter βουλευτικὸν autem, sive id, quod deliberare potest de suis actionibus, & vivens sensitivum, qualis quæso est nexus? In Ethicis quidem per vivens λογικὸν homo definiri potest, quoniam ibi spectatur, ut agens ex προαιρέσεως, quæ λόγον sive βούλευσιν præsupponit, in Physicis non item.

CXX. Porrò & hoc aliquibus negotium facessere solet, quod Aristoteles interdum in definitionibus suis aliquid omittere solet. Hæc enim res in causa est, ut definitiones ipso latiores definito appareant, aut in alias leges bonæ definitionis impingere videantur. Sed non attendunt illi, quod ejusmodi Ἕλλησιν & aliis probatissimis auctoribus sit usitatissima. Brevitatem enim cum ament, inutile, imò tædiosum, esse arbitrantur id in definitione ponere, quod subintelligendum esse quivis facile advertit. V. gr. cum nemo facile sit, qui nesciat in scientiis omnia, quæ ibi proponuntur, metienda esse genere ὑποκειμένῳ, hoc non raró omittunt, definientes id, quod

ad

ad genus istud per se pertinet. Sic Euclides statim in principio Elementorum punctum definit, οὗ μέρος οὐδὲν, *cujus pars nulla est*, subintellige in magnitudine, quæ objectum est Geometriæ, cujus ibi elementa ponit. Aliàs enim definitio hæc etiam τῷ νῦν in tempore & unitati in numeris competit. Medicus porrò apud *Galenum* definitur inventor occasionis: at idem de Imperatore bellico dici potest: subintelligendũ ergò est, in rebus substratis, seu Medicinæ subjectis. Hæc qui considerat, non habebit, quod reprehendat in illà caloris definitione *Aristotelicâ*, quâ calor dicitur qualitas congregans homogenea, h.e. ea, ex quibus fieri potest unum quid, ut sunt, caro, lac, sanguis &c. & disgregans heterogenea, ex quibus tale quid fieri non potest. Aliter enim isto loco, quò dicta definitio reperitur (occurrit autem in libris de Gen. & Corr.) calorem definire non potuit, cùm non simpliciter eum definiat, sed habito respectu ad mixtionem, quæ fit generationis ergo. Ita ergo definire debuit, ut effectuum, & quidem primariorum, quos in mixtione calor præstat, rationem haberet, in mixtione, inquam eorum, ex quibus fieri quidpiam debet, velut caro, os aut aliud tale. Primarii autem caloris in mixtione ejusmodi effectus qui sunt, nisi hi duo, congregare ea, quæ apta sunt converti in unam naturã, videlicet mixti, & segregare ea, quæ idonea non sunt, ut simul possint uniri, ita scilicet, ut ex iis sint unum aliquod per se, quale est caro & alia talia, quæ natura generare intendit? Pertinet quoq; huc Aristotelica definitio *humidi*, quâ illud id esse dicitur, quod facilè terminatur termino alieno. Quam definitionem nonnulli ideò rejiciunt, quod hâc ratione & ignis humidum foret, quia scilicet ignis facilius alieno, quàm suo termino, continetur. At si id, quod subintellectum vult Aristoteles, & subintelligi omnino debet, uti in propriis, de quibus legendus Philosophus lib. V. Top. cap V: ita etiam in iis, quæ in definitionibus ponuntur, nempe ut humi-

dum intelligat esse id, quod facilè *naturâ suâ* terminatur alienis terminis, facilè advertitur, quàm frivolum sit, quod de igne hîc affertur. Quis enim hunc naturâ suâ facilè terminari alienis terminis diceret, cum ad oculum pateat, quàm subito bombardis & similibus machinis inclusus erumpat, aut impetu quassatus, nescio, quæ non, diffringat.

CXXI. Præterea, non pauca sunt in *Aristotele*, quorum definitiones omninò non ponit, veluti causæ, entis, actus, aliorumq; talium, quod multis imponit, ut illum ob hanc quoqve causam arguant obscuritatis. Verùm non attendunt, quod non omnium quærendæ sint definitiones, sicut Aristoteles ipse docet his verbis: *οὐδεῖ παντὸς λόγον ζητεῖν, ἀλλὰ τὸ ἀνάλογον συνορᾶν*, *IX. Met. V.* In quo quidem sæpè nobis acquiescendum est, in doctrinâ præsertim de partibus animalium, itemqve plantarum. Unde & *Galenus* nimiam *φιλολογίαν* Sophistis sui temporis exprobrabat, quâ adeò laborabant, ut ei viderentur ne olus quidem citra definitionem empturi. *Ἔνιοι*, inquit, *δοκοῦσι μοι μὴ δὲ λάχανον ἂν πρίασθαι χωρὶς ὅρου*, Lib. II. *de diff. pulsuum* cap. III. Idem verò non immerito quoq; quis dixerit de iis, qui antea nominatorum, actus, inquam, causæ, unius, entis, & similium definitiones quærunt. Sunt enim etiam hæc *ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων*, quorum definitio non datur, cum definitio sit oratio *unum significans* Lib. de Interpr. IV. II. Post. X. lib. de arte Poët. cap. XX: hæc autem non significant unum, sed multa. Videntur tales homines persuasum habere, quasi tot sint definitiones, quot nomina, quod ipsum sibi quoqve Sophistæ isti persuadebant. Ast egregiè dicto loco eos refutat Galenus, scribens: *Non nominum enim, sed rerum sunt definitiones. Quando igitur uno nomine res multæ indicantur, necessariò esunt totidem definitiones, quot sunt res. Sanè lingva unum est nomen, at tres sunt significationes, & sua cuiq; est definitio: contra fit, ut duo unius rei nomina & verò non rarò tria sint, ut ensis,*

gla-

gladius, & mucro, definitio verò una, non proinde ac nomina, tres. Semper enim numero rerum respondet numerus definitionum.

CXXII. Fatemur quidem, esse aliqua etiam inter τὰ πολλαχῶς λεγόμενα, quæ unam aliquam definitionem admittere primo intuitu videantur, nempe inter ea, quæ dicuntur πρὸς ἕν, ἢ ἀφ' ἑνὸς, & XII.(XIV.) Met. ἐφεξῆς sese habere dicuntur. Hæc enim non eodem modo se habent, sed quædam ex iis propius accedunt ad naturam verè *homonymorum*, ut ea, quorum primum tantum significatum formaliter est tale, reliqua autem dicuntur talia solùm externâ aliquâ appellatione, aut relatione certâ ad illud primum, ut medicum, sanum, ens. At alia propius accedunt ad naturam *synonymorum*, nempe in quibus species omnes formaliter sunt tales, quales esse dicuntur v. c. animæ anima nutriens, sentiens, intelligens. Quamvis enim ordo in his sit, & una alteram priorem agnoscat, quod in veris speciebus non fit, omnes tamen suâ naturâ & intrinsecus animæ sunt, neq; externâ tantum denominatione. Hujus generis qvoq; est figura, item motus, numerus &c. Quædam deniq; *media* esse videntur inter univoca & homonyma, in quibus scilicet primarium illud eximiè omnibus numeris est tale, cætera verò sunt quidem & ipsa talia, sed imperfectiori ratione & paucioribus numeris. Veluti demonstratio. Quamvis enim demonstratio ὅτι ἔστι sit imperfectior & paucioribus notis prædita, est tamen demonstratio. Eodem pertinent quoq; natura, civis, domus, vicus &c. Ex his ea quæ magnam cum *homonymis* cognationẽ habent, definiri non possunt, nisi fortè definitionem dicere quis velit enumerationem significatorum, quâ ratione definitionem entis continerent Aristotelis verba ex VII. Met. I: *Ens est aut τί, aut quantum, aut quale &c.* Quod voluit Themistius, docens talium definitiones ἐξαριθμήσεις μᾶλλον ἐοικέναι. In iis autem, quæ *media* sunt, ut plurimum definiri solet princeps illa & perfectissima species, reliquas autem

tem illâ metimur. Exemplum peti poteſt ex doctrinâ de demonſtratione, ubi nulla de genere univerſo antecedit diſputatio, ſed ab initio omnia diriguntur ad primæ notæ demonſtrationem, τὸ ἴδιον, quæ menſura eſt reliquarum. In Politicis quoq; civis ille nobilior, qui optimo jure civis eſt, definitione explicatur: *Civis ſimpliciter*, inquit Philoſophus III. Polit. I. *nullâ aliâ re magis definitur, quàm quod ſit particeps judicatus & magiſtratus.* Cætera verò, quæ ad *ſynonyma* propius accedere dicebamus, habent generalem aliquam definitionem, quæ omnibus ſpeciebus ſit communis. Nam & *animæ* una traditur definitio II. de An. I, ubi dicitur ἐντελέχεια *corporis organici potentiâ vitam habentis*, quæ definitio & vegetativæ animæ competit, & ſenſitivæ, & rationali. Et *numerus* definitur *multitudo ex unitatibus compoſita*, apud *Euclidem* libr. VII, def. II. quæ definitio binario, ternario &c. eſt communis. *Figura* autem dicitur, *quæ termino vel terminis continetur* I. Elem. def. XIII. Denique & *motus* una ponitur definitio, quæ & alterationi, & augmentationi, & motui locali convenit, III. Phyſ. I. Sciendum tamen, quod hæ definitiones non ſint omnibus numeris abſolutæ, ſed rudes, & imperfectæ, ſicut rotundè fatetur de definitione animæ Philoſophus, eam his verbis deſcribens: Τύπῳ μὲν οὖν ταύτῃ διωρίσθω καὶ ὑπογεγράφθω περὶ ψυχῆς *Rudi itaq; minervâ ita anima definita ac deſcripta eſto*, II. de An. I. t. 11. Nam & ratio illa communis, quam definitio in talibus exprimit, non diſtincta eſt à natura ſingularũ formarum aut ſpecierum, ſicut fit in iis, quæ verè ſynonyma ſunt, ſed in quaq; ſpecie ſignificat propriam naturam ipſius ſpeciei, ut in numero eſt videre. Ratio enim numeri, quæ eſt certa & definita unitatum multitudo, & quidem ſic definita, ut unitas nec addi, nec adimi poſſit, quin ſpecies numeri mutetur, non eſt ratio diverſa aut diſtincta à propriâ ratione binarii, nec à ratione alterius ſpeciei, ſed in binario eſt ipſa ratio binarii, in ter-

nario

nario ternarii, & sic deinceps. Binarius enim constat definitâ unitatum multitudine, quia constat duabus tantum unitatibus: hæc autem est propria ratio binarii, unde per eandem rationē est & binarius, & numerus. Ternarius etiam constat certa unitatum multitudine, quia constat tribus tantum, quæ est propria ratio ternarii, & sic in cæteris. Quod autem talis sit ratio cujusque numeri, non obscurè docet ipse Aristoteles V. Met. c. XIV, ubi dicit *substantiam senarii esse semel sex*. Ex quo colligitur species numeri, quà numeri sunt, non unitate naturæ & rationis convenire, ut species animalis, sed potius proportione. Quemadmodum enim binarius est numerus & definita multitudo, quia constat duabus tantùm unitatibus; sic ternarius est numerus, quia constat tantùm tribus. Quod si autem aliquando etiam eorum, quæ verè univoca sunt, expressa apud Aristotelem definitio non occurrit, fit illud iisde causis, quas distinctè exposuimus lib. II. de variis sciendi modis & mediis cap. XI. n. VIII, quas hîc repetere nolumus, ne nauseam Lectori creemus, quanquam omninò essent hîc repetendæ, quod apprimè necessaria sit illarum notitia ad methodum Aristotelis rectè assequendam & inoffenso pede in lectione ejus progrediendum.

CXXIV. Denique, quod multis Aristoteles in definiendo appareat obscurus, & hæc causa est, quod non rectè sentiant de generibus & differentiis, ex quibus definitiones constant. Verbi causa, sunt non pauci, qui velut ex tripode dictum arripiant illud, *unius rei*, qualiscunque ea etiam sit, *non nisi unum esse genus*. At, hoc posito, non videmus, qui intelligere possint illam sapientiæ definitionem, quæ legitur VI. Ethic. VII: *Sapientia* est *intellectus primorum principiorum, & scientia rerum naturâ honoratissimarum*. Hîc enim non unum, sed duo, ponuntur genera, nempe scientia & intellectus, quæ ponere omninò necesse erat. Sapientia enim est habitus

compositus, non unius generis subjectum habens, sed duorum. Partim enim circa principia versatur, partim circa conclusiones, quæ per demonstrationem ex principiis deducuntur. At alius est habitus, qui occupatus est in principiis, alius, qui in conclusionibus. Nempe ille vocatur νοῦς, intellectus, hic scientia VI. Ethic. III. & VI. Quo accedit, quod & alibi disertè docet Philosophus, nempe, unius rei plura esse posse genera, velut IV. Top. cap. V. §. 9. Rursus sunt, qui circa differentias substantiarum hallucinentur. Existimant enim, omnes illas petendas esse ex categoriâ substantiæ, & tales esse oportere, ut una sola generi juncta speciem certam constituat, qualem rationale esse dicunt habito hominis respectu. Hanc enim, si generi hominis, animali, jungatur, essentiam ejus absolvere & cum eo converti, quod omnis homo sit animal rationale, & contra, omne animal rationale sit homo. Tales autem differentias, cum in definitionibus substantiarum, quæ ab Aristotele ponuntur, non inveniant, definitiones illas dicunt non esse perfectas & undiquaque absolutas, sed in harum locum substitutas, quod genuinæ differentiæ substantiarum, præter solam illam hominis, rationale scilicet, nos lateant. Verum illi non advertunt, quod hâc suâ sententia uno impetu omnem penè scientiam tollant. Scire enim est rem per demonstrationem cognoscere: demonstrationis autem potissimum principium est definitio, nempe definitio causalis τοῦ πάθους, sive affectionis demonstrandæ, quæ tandem resolvitur in definitionem subjecti generis, quatenus ea non ex genere, sed ex differentiis conflata est, & quidem πλειοτικαῖς, genus illud constituentibus & perficientibus. Quod si jam hæ differentiæ occultæ sunt, nullam habebimus amplius definitionem subjecti generis, & consequenter nec ullam ex ea demonstrationem, adeoque nec scientiam, quippe quæ per demonstrationem comparatur: quo posito porrò, nec docere, nec discere

amplius

amplius valebimus. Ex iisdem enim ἀπόδειξι, μάθησις & διδασκαλία proficiſcuntur, cum docere ſit *cauſas rei* aſſignare I. Met. II. hoc autem demonſtrare I. Poſt. II. Jam verò ea, ex quibus ἀπόδειξις conſtat, non ſunt occulta, ſed γνωριμώτερα iis, quæ ex illis demonſtrantur. Unde & de omni doctrina ac diſciplina Ariſtoteles dicit, quod ἐκ προϋπαρχούσης γνώσεως fiant, id eſt, *præcedente cognitione* I. Poſt. I. §. 1. VI. Top. IV. §. 2. I. Met. VII. Ut taceamus, fruſtraneum hoc pacto fore omnem laborem, quem Ariſtoteles impendit, dum magnâ induſtriâ oſtendit, quomodo venari nos oporteat τὸ τί ἐστι, aſſumendo τὰς πλεωτικὰς διαφορὰς II. Poſt. XIII. VI. Top. VI. §. 13. I. Part. Animal. III. His enim omnibus locis differentias ponit pluribus competentes ſpecie differentibus. Neque aliter ſentit Porphyrius c. III. §. 17. XII. §. 4, 5. c. XIII. §. 3. Alexander item in I. Prior. XXVII. Boëthius Dialogo II. in Porphyr. à Victorino translatum, Jamblichius qvoqve & Simplicius in Lib. Categ. c. III. quorum verba itidem citavimus in libris de variis ſcient. generibus & modis eò perveniendi, lib. I. c. XI. n. XIX. & XXI. Inductione quoq; id clarum eſt, ſi quis expendat, definitiones, quas in ſcientiis ponunt optimi quique Doctores, ut ex iis quid demonſtrent. E. gr. Ternariũ definit Euclides, qvod ſit *numerus impar, primus*. At ambæ differentiæ dicuntur de pluribus ſub genere numeri ſpecie differentibus: impar quidem præter ternarium de quinario, ſeptenario & innumeris aliis: primum autem non de ternario ſolùm, ſed & binario. Quod ſi quis alia adhuc exempla deſideret, is reſolutionem inſtituat aliarum definitionum paſſim, cum apud Euclidem, tum apud Ariſtotelem occurrentium, velut artis VI. Ethic. IV. prudentiæ, eodem lib. cap. V. nominis, lib. de int. c. II. verbi, c. III. orationis, IV. univerſalis cap. VII. propoſitionis I. Prior. c. I. §. 4. ſyllogiſmi §. 8. virtutis II. Ethic. V. & fateri cogetur verum id eſſe, quod diximus.

CXXV. Neq; est, quod quis excipiat, ita quidem comparatam esse rem cum accidentibus, at non substantiis. Nulla n. ratio dari potest, quæ suadeat, aliam esse differentiæ rationem in substantiis, aliam in accidentibus, nisi dicere velimus, generis quoque, proprii & accidentis, quæ non minus affectiones sunt substantiarum & accidentium, ac differentiæ, aliam esse, in accidentibus, aliam in substantiis rationem, quod tamen falsum esse, nemo est, qui non videat. Neque enim per aliam rationem animal genus est hominis, equi, leonis, per aliam virtus justitiæ, temperantiæ, liberalitatis, sed hæc genus dicitur, quia de justitiâ, temperantiâ, liberalitate prædicatur, tanquam de pluribus, specie differentibus, ad quæstionem quid sint. Ex eâdem verò causâ & animal genus est hominis, eqvi, leonis, quia similiter de his, ut specie differentibus, prædicatur ad quæstionem quid sit horum unumquodque. Eadem ergò est & differentiarum ratio, quoniam causæ discriminis non apparent. Quo jure ergò calidum, frigidum, humidum, siccum, quas Aristoteles passim pro differentiis elementorum venditat, veluti II. de *Animâ* XI. & II. *de cœlo* c. XI; itemque terrestre, aquatile, pedestre, volatile &c. quas differentias animalium esse dicit, eliminantur ex censu genuinarum differentiarum, ideò, quod de pluribus specie differentibus dicantur? Et quid tandem sunt, si differentiæ non sunt? Prædicantur sanè terrestre & aquatile de aliquibus animalibus, illud quidem de cane, hoc autem de lucio & aliis, & quidem non æquivocè, aut impropriè, sed propriissime. Ad prædicabile igitur aliquod referendæ erunt. Ad quod ergò? Num ad genus? At hoc prædicatur de speciebus suis ἐν τῷ τί ἐστι, h. e. ita, ut species sint ὅπερ ἐκεῖνό τι, illud ipsum aliquid, quod est genus. E. gr. homo ipsum quoddam animal I. Post. XXI. At lucius non est ipsum quoddam, quod est aquatile, (alias enim substantia esset ipsa quædam qualitas, quod absurdum) sed tale

quid

quid, seu, ut Aristotelis verbis utamur, non ὅπερ ἐκεῖνό τι, sed ἐκείνου τι. Sed nec species sunt. Nam & species prædicatur in quid, & præterea tantùm de pluribus numero differentibus: at illa affirmantur & de pluribus specie differentibus. Quid ergò tandem erunt? Num propria? at proprium soli inest & ἀντικατηγορουμένως prædicatur de eo, cujus est proprium: hoc pacto autem nec terrestre de cane, nec aquatile de lucio dicitur. Accidentia itaqve fortassis erunt? Sed quis hoc dicere ausit, nisi qui naturam accidentis planè non habet perspectam? Quod enim ut accidens inest, id ἐνδεχομένως inest, ut patet ex definitione accidentis I. *Topic.* V. §. 11. Quis autem tàm ineptus sit, ut tale vivendi genus, quale in terrestribus, aut aquatilibus spectatur (à vivendi enim genere hæ differentiæ sunt desumtæ, I. Hist. An. I.) ἐνδεχομένως ipsis inesse dicat? Si enim ita se res habet, cur ergò pisces in aquâ solùm victum suum quærunt, & non etiam in terrâ, & cur ex aquâ extracti in terrâ non vivunt? cur cõtra canes & alia animalia terrestria alimentum suum in aqua non quærunt, eiq; immersa vitam tueri non possunt? Cum ergo præter quatuor ista prædicabilia aliud, solâ differentiâ exceptâ, non detur, aut differentiæ piscis & canis aquatile & terrestre statuendæ erunt, aut dicendum erit, quod propriè de iis non prædicentur, quod absurdum esse nemo inficias ire potest. Plura non addimus itidem utpote aliàs, adducta, videlicet lib. II. de variis sciendi modis cap. n. XXVI. seqq.

CXXV. Similiter autem falsum est & istud principium, differentias substantiarum genuinas petendas esse ex categoriâ *substantiæ*. Ipsimet enim docent ex *Libro Categ. c. V.* quod substantiæ, nempe illi, quæ est in categoriâ substantiæ, nihil sit contrarium, quod & alibi *Aristoteles* docet, veluti I. *Phys.* t. 53. lib. V. t. 10. differentiæ autem genus quodcunqve, etiam substantiam, dividentes, contrariæ sunt: perfecta enim differentia contrarietas est X. *Met.* t. 13. Unde in omni genere

dicitur una esse contrarietas (prima scilicet), etiam in *substantia* I. *Phys.* t. 51. Deinde substantia, quæ in categoriâ est substantiæ, habet modum prædicandi, in quid. Unde & *κατηγορία τι* dicitur I. *Topic.* IX. VII. *Met.* I. at differentia omnis prædicatur in quale V. *Met.* X I. Jam verò genera prædicamentorum distincta sunt secundum modos prædicandi, quâ de causa & vocantur *τρόποι* ac *σχήματα τῆς κατηγορίας*. V. *Met.* VII. Confer. I. *Prior.* XXXVII. Atq; hinc lib. Categ. c. V 5.13,15. non obscurè differentiæ substantiarum à substantiis in categoria *οὐσίας* contentis distingvuntur. Sed & Græci Interpretes hâc ipsâ de causa malunt differentiam *οὐσιῶδές τι*, qvam *οὐσίαν* simpliciter appellare, etiamsi suo quodã modo & ipsæ substantiæ sint, cum hoc nomine veniat omne, quod est *de essentiâ substantiæ* V. *Met.* IIX. Ad extremum, quod ex cæteris categoriis differentiæ substantiarum & peti possint & jure petantur, cùm alibi, tùm inprimis IIX. Met. II. clarè docet *Philosophus*, Democritum reprehendens, qvod ex tribus tantum fontibus differentias substantiarum accersiverit, *figurâ* scilicet, *situ* & *ordine*, cum longè plures sint. Quædam enim, inqvit, differunt secundum *compositionem*, qvia vel *miscentur* inter se, ut *melicratum*; vel *connectuntur clavo*, ut *arca*; vel *vinculo*, ut *fascis*; vel *glutine*, ut *liber*: qvædam differunt secundum *tempus*, ut rosa, malva hortensis: qvædam secundum, *situm*, ut *liminare* & *superliminare*: qvædã secundum *locum*; ut caput, pedes: qvædam *sensibilium affectionibus*, veluti sunt *durities*, *mollities*, *densitas*, *raritas*, *siccitas*, *humiditas*: & rursus *quædam harum differentiarum quibusdam* differunt ab invicem, qvædam *omnibus*, & *omninò* alia *excessu*, alia *defectu*. Cui sententiæ licet aliqva obstare videantur, ea tamen tanti non sunt, ut illam idcircò deserere necesse habeamus. Facilè enim ea, qvæ in contrarium afferuntur, dilui possunt, qvod itidem à nobis jam alio loco factum est, nempe lib. II. de variis sciendi generibus c. IIX. n. IIX. seqq. Unde frustra rursum sunt, cui

qui ideò terrestre & aquatile negant esse posse differentias animalium, qvod hæc alicubi esse significent. Diximus enim ante, qvod à loco etiam substantiarum differentiæ peti possint. Sed præterea & falsum est, qvod terrestre & aquatile alicubi esse significent, quod vel ipse Aristoteles annotavit VI. Topic. VI. §. 20. his verbis: Οὐ ἔν τινι, οὐδὲ πȣ̃ σημαίνει τὸ ἔνυδρον, καὶ τὸ χερσαῖον, ἀλλὰ ποῖόν τι, *Aquatile & terrestre non significant esse in aliquo, nec alicubi, sed quale quid.* Rationem addit. Nam etiamsi animal, quod aquatile dicitur, ex aqua extractum in sicco sit loco, aquatile tamen propterea esse non desinit: neqve id, quod terrestre dicitur, si fortè submergatur aquâ naturam hujus exuit, & ex terrestri in aquatile mutatur, sed naturâ suâ non minus terrestre manet ac ante.

CXXVI. Sed & ex alio quandoqve capite provenit, ut aliqui in differentiis, quas Aristoteles assignat, præter meritum quid desiderent, nempe, quod simpliciter accipiant, qvæ tamen non simpliciter, sed limitate erant accipienda. Qvod enim Aristot. de propriis docet V. Topic. c. V. §. 1. nempe rectè ea esse limitanda, neq; simpliciter enuntianda esse, qvæ naturâ insunt, sed additâ aut sub intellectâ προσθήκῃ illâ, κατὰ φύσιν, cum ea, quæ per naturam insunt, non simplicem continuo habeant necessitatem, qvod & I. Prior. cap. XIII. §. 4. inculcat, idem & de differentiis, qvæ sunt propria πρός τι, sive per relationem ad aliud, locum habet. Inde nimis à scopo aberrant, qui definitionem illam hominis, Aristoteli usitatissimam, ζῶον πεζὸν δίπουν, *animal pedestre bipes*, ideo exagitant, qvod non omnes homines duos habeant pedes, sed quidam unum tantùm obtineant, ut mutili. Animal enim bipes non simpliciter denotat id, qvod duobus instructum est pedibus, sed naturâ suâ ita comparatum est, ut tot gaudeat pedibus, atq; illos & ipso facto habet, si natura sit integra & illæsa. Si itaque detur homo, qui duobus pedibus præditus non sit, ille nihilominus erit animal

bipes h. e. tale, qvod per naturam duos pedes habere debebat ad officia sua præstanda, & haberet, nisi natura læsa esset. Qvemadmodum lapis ex sublimi suspensus gravis esse non desinit, etiamsi non deorsum feratur, sed in superiori se contineat loco, (id enim per accidens fit propter obstaculum aliqvod, qvod in sublimi lapidem præter naturam suam, aut inclinationem tenet): sic & homo animal bipes esse non desinit, etiamsi aliqvando accidat, ut aliqvi uno pede destituantur. Hoc enim itidem non fit secundum, sed præter naturam, naturâ ad id non inclinante, sed potius id aversante. Nam & alia munera, ad quæ tamen homo naturâ destinatus est, obire aut planè non, aut certè non commodè potest, si duobus pedibus non sit præditus. Est homo animal naturâ civile ad defendendum se & suos natum, & quidem non solum domesticos, sed & eos, qui in eadem cum ipso civili societate degunt. Ast ad id ineptus planè est, si altero pede sit destitutus, nisi fortè aliunde damnum illud resarciatur & alter pes sive ex ligno, sive ex alia tali materia factus in locum naturalis pedis sufficiatur. Sic enim quadantenus, non tamen ex toto, supplebitur defectus, qui naturalis certè esse non potest. Qvomodo enim natura ipsa, quæ semper intendit optimum ac perfectissimum facere in suo genere, opus suum in actionibus propriis impediret? Quemadmodũ ergo avis est animal volatile, etiamsi alis careat (naturâ enim iis instructa est, neq; sine illis munia sua à natura ipsi præstituta obire potest,) & piscis non desinit esse animal aquatile, etiamsi sit extra aquam, quippe quod sit non κτ̓, sed παρὰ φύσιν: sic & homo non desinit animal bipes esse, etiamsi alterutro vel etiam utroque careat pede. Sed et *aliâ ratione probari* potest, hominem naturâ duos habere pedes. Notum enim est, quod animalia, sangvinem habentia, quatuor solum notis prædita sunt, quibus moventur, non pluribus, neque paucioribus; & quidem duæ ex illis sunt in superiore, duæ in infe-
riore

riore parte, duæ ad dexteram, duæ ad ſiniſtram. Sic enim totum corpus ſecundum differentias has moveri poteſt, paucioribus non poteſt. Plures autem in perfectiori animali ſuperfluæ eſſent. Imperfectiora quidem, ſive ſangvine carentia, pluribus inſtructa ſunt notis ad motum; frigidiora namque ſunt & tardiora, veluti cancri, muſcæ &c. In perfectioribus autem, ſive ſangvine præditis, animalibus plus quàm quatuor notæ non advertuntur. Quadrupedia quidem quatuor gaudent pedibus, aves duobus, & totidem alis, ſerpentes & piſces autem etſi pedibus careant, ſecundum quatuor tamen notas & ipſi moventur. Quâ de re videndus eſt Ariſtoteles lib. de Animalium inceſſu cap. VII. Cum ergo & homo ſit animal corde & ſangvine præditum, neceſſarium eſt, ut & ipſe habeat quatuor notas ad motum localem accommodatas, naturâ exiſtente illæsâ, non plures, nec pauciores. Hæ autem ſunt duo pedes & brachia duo.

CXXVII. Porrò & ideò nonnulli Ariſtotelem in aſſignandis differentiis ſubſtantiarum compoſitarum lapſum putant, quod exiſtiment, ſubſtantiarum talium differentias eſſe præcisè petendas à formâ, quod ex Averroë ſine dubio petierunt, qui in IIX. Met. Comm. VI. hoc diſcrimen ſtatuit inter definitiones ſubſtantiarum & accidentium, quod in his genus ſit forma, differentia materia, ſive ὑποκείμενον, in illis autem genus ſit materia, differentia forma. Unde rejiciunt has, quas Ariſtoteles agnoſcit, hominis differentias, videlicet pedeſtre, & bipes, & aliam ſubſtituunt, nempe τὸ rationale, quod hæc formam exprimat, illæ non item. Verum id fundamento caret planè omni. Hoc quidem certum eſt, genus eſſe, ut materiam, differentias verò, ut formam, id quod & Ariſtoteles ipſe docet VII. Met. XII, nempe propter ſimilitudinem, quæ intercedit generi cum materiâ, & differentiæ cum formâ, ſicut Porphyrius exponit in Iſagoge cap. VII. §. 10. dicens: τὸ μὲν γένος ἔοικεν ὕλῃ,

μορφῇ ἡ δ' ἡ διαφορᾷ, genus assimilatur materiæ, differentia formæ. Sicut enim materia ex se nullam habet formam, apta tamen est ad omnis generis formas suscipiendas: sic & genus nullam earum differentiarum, quibus dividitur, actu includit, aptum tamen est, eas recipere. Ast ideò genus substantiarum non est ipsa materia, neque differentia ipsa forma. In substantiis namq; nec materia, nec forma prædicatur de specie, quod per inductionem est manifestum. E.gr. Animal neqve corpus est, neqve anima, sed constans ex corpore & animâ, seu habens corpus & animam. Genus autem & differentiæ citra omnem controversiam de specie prædicantur. Deinde notum est, quod differentiæ genus totum dividere debeant, non partem solum ejus: per se namque cum eo cohærent, eique insunt, quâ tali. Ast aliter comparatum est cum iis, quæ alicui ratione partis insunt. Ea namque non insunt per se, certè non primò, aut non ἁπλῶς, sive simpliciter, ut patet ex IV. Phys. cap. VII. t. 45. & lib. V. cap. I. text. 1. Unde & Aristoteles in specie de differentiis animalium dicit, quod non simpliciter τὸ εἶδος significent, sed τὸ εἶδος ἐν τῇ ὕλῃ, *formam in materia* lib. I. de Partibus animal. cap. III. Rationem addit: Neque enim sine materiâ pars ulla esse potest animalis, neque sola materia. Quod ulterius ex eo probat, quia non quoquo modo habens quoddam corpus animal est, nec partium ulla. Vel ex eo ergo colligere debuissent, rationale non esse legitimam hominis differentiam, quatenus ille, ut species animalis, consideratur. Sive enim rationale dicatur id, quod ex universalibus notis ignota colligere potest: sive in specie id, quod deliberare potest de suis actionibus, competit id homini non secundum animam & corpus, sed secundum partem solùm aliquam, aut facultatem animæ, quæ Græcis dicitur διανοητική. Neque est, quod quis dicat, hâc ratione nec pedestre & bipes differentias fore hominis, cum & hæ homini so-

ni solùm secundum partem conveniant. Nam præterquam quod non pars aliqua hominis sit bipes aut pedestre quid, sed totus homo, insuper id, quod dictum est, à partibus non esse desumendas differentias substantiarum, non de quibusvis partibus est intelligendum, sed de partibus, præcisè *materiam* aut *formam* significantibus, non de iis, quæ formam in maeria designant. Ab his enim peti posse substantiarum, ipsorumq; animalium, differentias per inductionem est manifestum. Ita, si ratione sexus sit dividendum animal, dividetur sanè in marem & fœminam, & tamē mas & fœmina tantùm partium quarundam, genitalium scilicet, discrimine ab invicem secernuntur. Talis verò & bipedis est ratio, quam anima ingreditur omni dubitatione remotâ. Pes enim, anime aut vitâ destitutus, non est pes, nisi nominatenus h.e. æquivocè, propterea, quia pedis opera præstare nequit. lib. IV. Metoor. c. ult. Similiter pedestre esse competit homini secundum corpus & animam; corpus siquidem mortuum neque aquatile est, neq; pedestre, neqve volatile, uti nec ulla anima, neque alia quædam pars animalis.

CXXIIX. Tandem & ex eo accidit nonnunquam, ut malè definiisse Aristotelem aliqui opinentur, quod definitiones ab eo assignatas, aut non omnibus, quæ sub definito continentur, aut contra etiam aliis, sub definito non contentis, competere posse opinentur, ex præconceptâ aliquâ hypothesi falsâ. E.gr. hanc ipsam hominis definitionem, quâ ab Aristotele definitur *ζῶον πεζὸν δίπουν*, *animal pedestre bipes*, impugnant ex eo, quod putent, hanc definitionem non posse omnibus tribui, de quibus definitum prædicari potest, & vicissim posse iis accommodari, quibus tamen notio hominis neutiquam congruat. Homo glorificatus, ajunt, erit verus homo, & tamen non amplius per terram se movebit ad quærendum victum. Et quid si Deus animal aliquod aquatile aut ex terre-

ſtribus quadrupes quoddam vel aliud tale conderet, idqve ratione inſtrueret, nonne id homo eſſet? & tamen nec pedeſtre eſſet nec bipes. Deniq; Struthio eſt & pedeſtre & bipes animal, & tamen non eſt homo. Idem de ſimiâ quoque dici poſſe arbitrantur. Verùm hæc facilè ſolvuntur. Nam primò, quod ad hominem in ſtatu glorificationis attinet, non ſequitur, quia in eo ſtatu non amplius per terram ſe moturus eſt homo ad quærendum victum, quod ideò ſuâ naturâ non ſit animal pedeſtre. Homo enim glorificatus non erit homo Phyſicus, quem Ariſtot. definivit, ſed translatus in ſtatũ ſupernaturalem, inductus qualitatibus non ψυχικαῖς, ſive animalibus, ſed πνευματικαῖς, h.e. ſpiritualibus 1. Cor. XV, 46. Sanè & partium hominis tunc alia erit facies, ſive alia conditio, quam habuerunt in hac vita, E. c. Ventriculus non amplius coquet cibum, nec hepar ſangvinẽ, & tamen negari non poteſt, à naturâ propter hunc finem hæc organa eſſe facta, atq; in definitione eorum finem hunc eſſe ponendum, cum organorum eſſentia conſiſtat in uſu, adeò, ut ſi hunc præſtare amplius non poſſint, non ſint amplius organa, niſi ὁμωνύμως, IV. Meteor. cap. ult. Quod autem porrò de animali aquatili dicebatur, negamus aliqvod tale, qualecunq; etiam illud ſit, naturaliter poſſe hominis inducere rationẽ. Nam primò homo animal calidiſſimũ eſt, quale etiam eſſe oportet, ſi muneri ſuo debeat fungi. Neq; enim tàm ſubtilis & celer eſſe poſſet cogitationibus, niſi inſigni præ cæteris animalibus calore præditus eſſet. Jam autem rationi conforme eſt, calidiſſimum animal aëreæ potius & terreæ ſortis eſſe, quàm aqueæ. Aſt aquatilium alia eſt conditio. Hæc enim magnam partem ad aqueam ſortem inclinant, unde & ſangvis in illis minus deprehenditur *excoctus*. Et quo fine conditus potiſſimum à DEO homo eſt? Sanè eo, ut φαινόμενα obſervans non qvæ in terrâ ſolùm ſpectantur, ſed, inprimis, & quæ in cœlo viſuntur, ipſum inde cognoſceret atq; hinc ad laudem & celebrationem ejus ſtimulare-

laretur. Ad hoc autem necessarium erat, ut corpore incederet erecto. Unde & Poëta hoc ipso hominem ab aliis animalibus discernit, dum ita canit: *Pronaq; cum spectant animalia cætera terram, Os homini sublime dedit, cœlumq; tueri jussit.* Ast talis non est corporis in aquatilibus ratio. Deniqve, quo fine aquatili animali ratio tribueretur? Neque enim loqvi potest sub aquâ, neqve alia secundum rationem agere aut facere, quæ in terra ab homine aguntur aut fiunt. Sed neque ex terrestribus aliud naturam hominis induere potest, quàm pedestre bipes. Neqve enim ullum ex iis præter hoc erecto præditum est corpore: hoc autem natura hominis exigebat. Deinde, cum animalia sangvine & corde prædita, secundum quatuor solùm notas moveri possint, ut supra ostensum, nullum animal præter pedestre bipes manibus instructum esse potest. Animal autem manibus carens, quomodo præstare potest opera, ad quæ præstanda homo à naturâ factus est? Pleraque enim hæc ope manuum perfici tàm clarum est, ut in controversiam nequeat vocari. Deniqve impossibile quoq; est, ut inter terrestria detur animal aliqvod, quod naturâ simul pedestre sit, & bipes, præter hominem. Daretur enim illud vel inter animalia sanguine carentia, vel inter prædita illo. Ast non inter illa, quia ejus generis animalia aut nullos habent pedes, aut plures, quàm duos, quod frigidiora sint & tardiora. Unde & nullum eorum erecto corpore incedere potest, quod calor in illis sit admodum exiguus. Ast hoc proprium erat animalis, quod pedestre bipes audit. Sed neque inter hæc. Loco enim priorum pedum vel *alas*, vel *brachia* habebit, quibus superiora moventur. Si alas, non erit pedestre simpliciter & absolutè, quia non per terram solum se movere poterit, sed & per aërem volitando. Sin brachia, jam homo erit. Brachia enim ob manus sunt: hæ verò ad opera humana facienda. Neqve verò, quod objiciebant illi, de simiâ di-

 cipo-

ftribus quadrupes quoddam vel aliud tale conderet, idqve ratione instrueret, nonne id homo esset? & tamen nec pedestre esset nec bipes. Deniq; Struthio est & pedestre & bipes animal, & tamen non est homo. Idem de simiâ quoque dici posse, arbitrantur. Verùm hæc facilè solvuntur. Nam primò, quod ad hominem in statu glorificationis attinet, non sequitur, quia in eo statu non amplius per terram se moturus est homo ad quærendum victum, quod ideò suâ naturâ non sit animal pedestre. Homo enim glorificatus non erit homo Physicus, quem Aristot. definivit, sed translatus in statũ supernaturalem, indutus qualitatibus non ψυχικαῖς, sive animalibus, sed πνευματικαῖς, h.e. spiritualibus 1. Cor. XV, 46. Sanè & partium hominis tunc alia erit facies, sive alia conditio, quam habuerunt in hac vita, E. c. Ventriculus non amplius coquet cibum, nec hepar sangvinẽ, & tamen negari non potest, à naturâ propter hunc finem hæc organa esse facta, atq; in definitione eorum finem hunc esse ponendum, cum organorum essentia consistat in usu, adeò, ut si hunc præstare amplius non possint, non sint amplius organa, nisi ὁμωνύμως, IV. Meteor. cap. ult. Quod autem porrò de animali aquatili dicebatur, negamus aliqvod tale, qualecunq; etiam illud sit, naturaliter posse hominis induere rationẽ. Nam primò homo animal calidissimũ est, quale etiam esse oportet, si munere suo debeat fungi. Neq; enim tàm subtilis & celer esse posset cogitationibus, nisi insigni præ cæteris animalibus calore præditus esset. Jam autem rationi conforme est, calidissimum animal aëreæ potius & terreæ sortis esse, quàm aqueæ. Ast aquatilium alia est conditio. Hæc enim magnam partem ad aqueam sortem inclinant, unde & sangvis in illis minus deprehenditur *excoctus*. Et quo fine conditus potissimum à DEO homo est? Sanè eo, ut Φαινόμενα observans non qvæ in terrâ solùm spectantur, sed, inprimis, & quæ in cœlo visuntur, ipsum inde cognosceret atq; hinc ad laudem & celebrationem ejus stimulare-

laretur. Ad hoc autem necessarium erat, ut corpore incederet erecto. Unde & Poëta hoc ipso hominem ab aliis animalibus discernit, dum ita canit: *Pronaq; cum spectant animalia cætera terram, Os homini sublime dedit, cœlumq; tueri jussit.* Ast talis non est corporis in aquatilibus ratio. Deniqve, quo fine aquatili animali ratio tribueretur? Neque enim loqvi potest sub aquâ, neqve alia secundum rationem agere aut facere, quæ in terra ab homine aguntur aut fiunt. Sed neque ex terrestribus aliud naturam hominis induere potest, quàm pedestre bipes. Neqve enim ullum ex iis præter hoc erecto præditum est corpore: hoc autem natura hominis exigebat. Deinde, cum animalia sangvine & corde prædita, secundum quatuor solùm notas moveri possint, ut supra ostensum, nullum animal præter pedestre bipes manibus instructum esse potest. Animal autem manibus carens, quomodo præstare potest opera, ad quæ præstanda homo à naturâ factus est? Pleraque enim hæc ope manuum perfici tàm clarum est, ut in controversiam nequeat vocari. Deniqve impossibile quoq; est, ut inter terrestria detur animal aliqvod, quod naturâ simul pedestre sit, & bipes, præter hominem. Daretur enim illud vel inter animalia sanguine carentia, vel inter prædita illo. Ast non inter illa, quia ejus generis animalia aut nullos habent pedes, aut plures, quàm duos, quod frigidiora sint & tardiora. Unde & nullum eorum erecto corpore incedere potest, quod calor in illis sit admodum exiguus. Ast hoc proprium erat animalis, quod pedestre bipes audit. Sed neque inter hæc. Loco enim priorum pedum vel *alas*, vel *brachia* habebit, quibus superiora moventur. Si alas, non erit pedestre simpliciter & absolutè, quia non per terram solum se movere poterit, sed & per aërem volitando. Sin brachia, jam homo erit. Brachia enim ob manus sunt: hæ verò ad opera humana facienda. Neqve verò, quod objiciebant illi, de simiâ di-

ci poteſt, quod manus habeat, aut brachia, niſi fortè metaphoricè ita dicta. Manus enim, ut Ariſtoteles vocat IV. de Partib. An. cap. *X.* *ὄργανον ὀργάνων, inſtrumentum inſtrumentorum* eſt, quo v. c. gladius apprehenditur ad pugnandum, pecunia ad merces comparandas, malleus ad fabricandum &c. ad quæ opera præſtãda ſimia inepta planè eſt, quæ anteriora quoq; iſta motus inſtrumenta non ad faciendum & operandum, ſed & ipſa ad ambulandum accepit, indeqve quadrupedibus potius, quàm bipedibus, animalibus, eſt annumerãda, ſicut & alia multa in ſimiâ ſpectantur, quæ in quadrupedibus aliàs obſervantur. Nam & ſuperiora majora habet inferioribus ad morem qvadrupedum: & in terra recumbit, ut alia quadrupeda: deniqve & clunibus caret, ut quadrupeda. Unde & in Scripturis, nempe Levitici *XI.* 27. quadrupedibus annumeratur. Dubium enim non eſt, quin inter animalia, quæ ſuper manus, impropriè ſcilicet ſic dictas, ambulare dicuntur, & ſimia numeranda ſit, & tamen hæc quadrupeda eodem loco dicuntur. Non negamus tamen, quod anterioribus pedibus ſimiæ quadantenus utantur quoque veluti manibus. Sedendo enim ad os illis admovent cibos, cujus ſimile & in ſciuris apparet. Sed & caudâ carent, quæ tamen aliàs in quadrupedibus apparet. Unde & Ariſtoteles ipſe lib. IV. de partib. Animalium cap. X. eas velut in medio ponere videtur animalium bipedum & quadrupedum. Ait enim: *ὁ πίθηκος, διὰ τὴν μορφὴν ἐπαμφοτερίζειν, καὶ μηδετέρων εἶναι καὶ ἀμφοτέρων, διὰ τοῦτο οὔτε οὐρὰν ἔχει, οὔτε ἰσχία ὡς μὲν δίπους ὤν, οὐρὰν· ὡς δὲ τετράπους, ἰσχία, Simia, quod forma ambigua ſive media ſit, ut & in neutro & in utroqve genere ſit conſtituenda, adeò nec caudam habet, neque nates: videlicet, ut bipes, caudâ vacat; ut quadrupedes, natibus.* Et lib. II. Hiſt. Animal. cap. IIX. ait, quod *officium pedum* in ſimiis duplex ſit. *Uti* enim eas pedibus, non ſolùm ut *pedibus*, ſed & ut *manibus, eoſdemq; & inflectere, perinde, ut manus.* Et paulò

ante

ante eodem loco expressè scribit, *naturâ ancipite simias prædi- tas partim hominem, partim quadrupeda imitatur.* Verùm uti neqve album simpliciter, neq; nigrum est, quod intermedii coloris est, sed utrumq; participat, similiterq; neque simplici- ter aquatile, neque terrestre est, quod naturæ mediæ est, ut rana, delphinus &c: ita nec bipes simpliciter est, quod ita à naturâ constructum est, ut in eo bipedis & quadrupedis ratio sit mista. Quo veluti fundamento jacto, & illud facilè solvi- tur, quod de struthio ultimo loco afferebatur. Nam & hoc animal mediæ est naturæ. Scilicet non simpliciter volatile, nec pedestre simpliciter est, sed utriusq; ratione ex parte, sive in nonnullis, gaudet. Habet enim duas alas, totidemqve pedes, & ovum præterea parit, ut avis: de cætero autem non habet pennas, ad volandum commodas (unde nec à terrâ tollitur) sed pilis similes: adhæc pedes habet sulcos, & caput pennis ca- rens, cilia item piloſiora, ut quadrupeda, sicuti videre est a- pud Aristotelem ipsum lib. IV. de Partibus Animal. cap. XIV. Plinium lib. X. Natural. Histor. c. I. & Ælianum lib. II. de A- nim. cap. XXVII. Sed satis etiam de definitione. Sequitur, ut de apodixi dicamus, qui alter erat methodi gradus, juxta lo- cum ex libro I. de animâ supra citatum.

CXXIX. ἀποδείξεως vox non eodem modo sumi- tur apud Aristotelem. Aliquando enim propriè accipitur pro *syllogismo*, qui ex veris concludit propositionibus, sive illæ principia & causæ sint, quod facit demonstratio διότι, quæ πρώτως καὶ μάλιστα sic dicta ἀπόδειξις est, sive effectus, ex qui- bus conclusiones infert demonstratio ὅτι. Aliquando autem latè accipitur pro *quâvis probatione*, sive ea ex veris sit, sive ex probabilibus aut verisimilibus. Unde & enthymema, quod ex verisimilibus, aut signis colligit, vocatur ἀπόδειξίς τις, non certe in strictâ vocis significatione, sed latè accepto vocabulo, quâ de causâ quoque absolutè ἀπόδειξις dicitur, sed cum addi-

to

to ἀπόδειξίς τις, ut ἀπόδειξις ῥητορική I. Rhet. I. Datur porro in hac significatione & ἀπόδειξις aliqua, quæ ex falsis etiam duci potest principiis, nempe ea, quæ Aristoteli dicitur ἀπόδειξις πρὸς τόνδε vel κατ' ἄνθρωπον, & sententiam aliquam, stabilit ex iis, quæ ab aliis, adversus quos differitur, ponuntur principiis. Hæc enim non vera semper sunt, sed & non rarò falsa. Talis demonstratio esset, si quis sententiam aliquam, Democrito adversam, tueretur ex isto, quod Democritus posuit, principio, continuum constare ex indivisibilibus, inque ea ultimo dividi posse. Denique & *inductio* ipsa hoc modo ἀπόδειξις dici potest. Omnis enim πίστις est ἀπόδειξίς τις, I. Rhet. I. Fidem autem facit non solùm syllogismus, sed & inductio, sicut Philosophus ait lib. II. Prior, XXIII. §. 3: Ἅπαντα πιστεύομεν ἢ διὰ συλλογισμοῦ, ἢ ἐξ ἐπαγωγῆς. Quibus similia habentur Lib. I. Post. c. I. VI. Ethic. I. & I. Topic. XII. item in I. Rhet. c. II. ubi ita scribit: Τῶν διὰ τοῦ δεικνύναι, τὸ μὲν ἐπαγωγή ἐστι, τὸ δὲ συλλογισμός, τὸ δὲ φαινόμενος συλλογισμός, *Eorum, quibus eo fides fit, quod is, qui dicit, aut demonstret, aut demonstrare videatur, aliud quidem inductio est, aliud syllogismus.* In hac latâ significatione vocem ἀποδείξεως videtur & *Zeno* usurpasse apud Laërtium, cum definit eum λόγον διὰ τῶν μᾶλλον καταλαμβανομένων τὸ ἧττον καταλαμβανόμενον περὶ πάντων, ubi deest aliquid, vel πιστούμενον vel simile, sicut rectè monet *Isaacus Casaubonus*, qui *Clementem* citat ἀπόδειξιν ex *Stoicorum* sententia definientem λόγον ἐξ ἑτέρων ἕτερόν τι πιστούμενον, ut & *Ciceronem*, quo auctore, sic definita est ἀπόδειξις à *Stoicis*, *ratio, quæ ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit.* Quæ definitiones omnes non syllogismo solum, sed & inductioni accommodari possunt. Non minus enim λόγοι illi, qui syllogismis nituntur, quàm inductionibus *ex præcognitis docent* I. Post. c. I. §. 3. In utroque vocis sensu ἀπόδειξις videtur esse μέθοδός τις. Fidem

dem enim & μέθοδον *Aristoteles* conjungit, disertè dicens, non solum Dialecticos & demonstrativos syllogismos in tribus figuris exstrui, sed etiam Oratorios, & simpliciter unamquamq; fidem καθ' ὁποιανοῦν μέθοδον, *secundum qualemcunq; methodum.* Et mox addit: *Omnium rerum fidem facimus aut syllogismo, aut inductione.* Jam autem utraque probatio, vult dicere, ad aliquam figuram revocari potest, quod de syllogismis jam ante demonstraverat, de inductione autem hoc ipso ostendit. Et quamvis negari non possit, eas probationes, quæ ex veris & propriis proficiscuntur, præ cæteris nomen μεθόδων mereri, tamen certum est, quod Aristoteles passim etiam talem agnoscat μέθοδον, quæ ἐξ ἐνδόξων proficiscatur. Passim enim methodi Dialecticæ mentionem facit, velut I. Topic. I. §. 1. IV. §. 1. I. Rhet. c. II. & alibi.

CXXX. Consideremus ergò distinctè, quid tam circa inductiones, quàm circa syllogismos, quibus Philosophus uti solet, in scriptis ejus observationem mereatur, quo obscuritati, si quæ circa illa quoq; deprehenditur, occurratur. Et inductio quidem quid sit, docet ipse lib. I. Topic. c. XII. §. 4. his verbis: *Inductio est*, ἡ ἀπὸ τῶν καθέκαστα ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδος. Initio vocat ἔφοδον, i. e. *progressum.* Non enim instrumentum est νοητικὸν, sicut definitio, explanans rei essentiam, quæ citra progressum unius ad alterum simplici intuitu ab intellectu apprehenditur, I. Post. X. §. 9: sed διανοητικὸν, quod ab aliquo, aut aliquibus, comprehensis ad aliud progreditur. Omnis enim διανοητικὴ γνῶσις fit ex *antecedente cognitione, sive sensus, sive intellectus*, sicut *Eustratius* docet in II. Poster. his verbis: Τῇ τῆς διανοίας ἐνεργείᾳ ἢ νοῦς, ἢ αἴσθησις προηγεῖται. Quæ autem sint illa, à quibus jam ante comprehensis ad alia progrediatur inductio, indicat Philosophus, cum addit, ἀπὸ τῶν καθέκαστα. Τὰ καθέκαστα proprie sunt singularia, quæ aliàs dicuntur ἄτομα, sive individua. Quo sensu vox venit

in isto loco II. Met. τὸ γὰρ ἀριθμῷ ἓν, ἢ τὸ καθ' ἕκαστον λέγειν, διαφέρει οὐθὲν, *nihil refert unum numero, vel singula dicere.* Itemque in altero illo X. Met: τὰ εἴδη καὶ τὰ γένη παρὰ τὰ καθ' ἕκαστα, id est, *præter singularia.* *Theophrastus* quoqve in eadem significatione accipit V. de *causis plantarum*, sic scribens: Οἱ γὰρ καθ' ἕκαστον τόποι καὶ ἐπὶ τούτων πίστιν ἔχουσιν, id est, *loci singulares.* Verum in definitione inductionis vocem in latiori significatione usurpat, uti & species sub se comprehendit. Quamvis enim nulla ex his ἁπλῶς sit ἄτομος, h. e. singulare aut individuum, quæque tamen ex illis est singularis aliqua & individua species. Neque enim homo v. c. in plures dividitur species, sed in plura singularia, quorum nullum est species, veluti in Petrum, Paulum, Aristidem, Socratem, &c. Neqve hoc insolens est Aristoteli, ut per καθέκαστα species quoqve notet. Legitur hoc sensu vox I. *de Part. Anim.* cap.II. ubi ita scribit: *Sunt, qui genus in duas secando differentias accipiant* καθέκαστον, id est, *speciem.* In species enim fit divisio generis per differentias non in ἄτομα simpliciter sic dicta, quâ de re vide ipsum *Platonem*, adversus quem ibi disputat Aristoteles, in *Philebo* & ex eo *Porphyrium* in *Isagoge* cap.II.§.35. Rursus in XII. *Metaph.* c. I. idem vocis invenitur sensus. Sic enim ibi: *Veteres,* inquit, τὰ καθέκαστα, *velut ignem & terram, magis substantias esse posuerunt.* Ignis autem & terra sine dubio species sunt. Quod autem in definitione inductionis quoqve vocabulum in latâ hacce significatione sit accipiendum, vel ex exemplis, quæ subjungit, est manifestum. Addit enim: *Veluti, si sciens gubernator est optimus, itemq; auriga, omninò*, i. e. universaliter *in quaq; re sciens erit optimus.* At auriga & gubernator nomina sunt specierum. In II. quoqve *Prior. XXIII.* ubi de inductione, quatenus ad syllogismum revocatur, agit, loco singularium in exemplo species numerat, *hominem, equum, & mulum*, non Socratem

cratem

cratem, Bucephalū. &c. A talibus igitur progreditur inductio, à singularibus, inquam, aut speciebus, ceu minus universalibus, ad ea, quæ magis sunt universalia: quo ipso ab exemplo distingvitur & syllogismus. Syllogismus enim ab eo, quod magis universale est, progreditur, ad id, quod minus est universale. Exemplum autem & ipsum quidem ab eo, quod καθέκαστον est, procedit, quâ de causa & ipsum nonnunquam inductio dicitur, licet cum addito, Rhetorica, *I. Rhet. II*: verum non progreditur ab eo ad universale, sed ad aliud aliquod singulare, quod sub altero illo sub eodem universali continetur. Unde *syllogismus* seu *totum* ad *partem*, *exemplum* ut *pars* ad *partem*, *inductio* ut *pars* ad *totum* dicuntur habere. II. *Prior. XXIV*. Universale enim habet rationem *totius*, *V. Metaphys. XXIV*.

CXXXI. Utitur autem *Aristot.* inductione ut plurimum ad prima principia illustranda, quæ in scientia aliqua ponit, Hæc enim propriè demonstrari non possunt, (ex prioribus namqve demonstrarentur, & sic non essent prima, *I. Post. II.*) manifestari tamen possunt ex iis, quæ nobis sunt clariora, qualia sunt τὰ καθ' ἕκαστα, ex quibus inductio procedit *II. Prior. XIII.* §. 8. *I. Topic. XII.* §. 3. & lib. *IIX.* cap. II. Unde & syllogismus ἐπαγωγικὸς Philosopho dicitur esse *primæ & medio carentis propositionis*, *II. Prior. XXIII.* §. 5. Et *lib. I. c. XXX.* §. 5. *Experientiæ*, ait, *proprium esse cujusq; rei principia tradere.* Experientiâ autem inductio fulcitur. Similia his habet lib. II. *Post. XIX.* §. 5. & lib. VI. *Ethic. cap. III.* Ubi inductionem ait principium esse καὶ τοῦ καθόλου, quia scilicet per illam declarentur principia, ex quibus constat syllogismus, ut ipse exponit. Ita ipse lib. *II. Ethic.* c. I. per inductionem illustrat principium illud, *nihil eorum, quæ naturâ constant, aliter, atq; est, assvescere*, quod eo fine ponit, ut ex eo demonstret, virtutem non constare naturâ, *Sic lapis*, inquit, *qui naturâ suâ deorsum fertur, nunquam assvefieri potest, etiamsi millies sursum jaciatur, ut suapte nutu sursum feratur: neq; ignis, qui naturâ suâ fertur ad cœle-*

stem oram, assvefieri potest, ut sua sponte deorsum tendat. Lib. I. Polit. cap. V. per inductionem elegantem astruit, *in iis, quæ ex partibus constant, sive conjunctis, sive disjunctis, conspici & imperans & parens.* Lib. I. Posterior. c. I. §. 1. ponit hoc principium, *omnem doctrinam & disciplinam ex antecedente fieri cognitione.* Sed & illud rursus inductione confirmat artium, scientiarum, & facultatum. Lib. I. Phys. c. II. t. 12. supponit, *eorum, quæ naturâ constant, vel omnia, vel quædam moveri*, & addit: Δῆλον δ' ἐκ τῆς ἐπαγωγῆς. Rursus cap. VI. aliud statuit principium, nempe, *non ex quovis fieri quodvis, sed quicquid fit, fieri ex contrario, aut intermedio*, idqve inductione prolixâ illustrat.

CXXXII. Observandum tamen est, qvod Aristoteles, cum inductione propositionem aliqvam confirmat, non semper plura καθέκαστα adducere soleat, sed interdum duo, imò aliquando vel unum solùm, quod aliquibus imponit, ut non satis animadvertant, quâ methodo fuerit usus, num *inductivâ*, an *syllogisticâ*. Exemplum habemus Lib. II. de cœlo cap. XI. t. 59, ubi Philosophus probat, *astra omnia esse sphærica figura*, quod confirmat per incrementum & decrementum Lunæ in orbem, eoque facto concludit: ὥς τ' εἴπερ ἐστὶν ἓν τοιοῦτον, δηλονότι, καὶ τ' ἄλλα ἂν εἴη σφαιροειδῆ, *Quare si stella una est talis, patet & cæteras omnes rotundas esse. Similiter* namq; *se habent omnes, ac una*, sicut in antecedentibus dixerat. Hîc ex una singulari specie *Aristoteles* infert universale. In qvo tamen culpandus non est. Alia enim est ratio inductionum analyticarum, alia Dialecticarum. Nempe in his prædicata cum subjectis non cohærent per se & necessariò, sed τὸ ἔνδοξον tantùm pensi habetur. Unde etiam fit, ut principia Dialectica, quæ per inductionem istiusmodi manifestantur, sæpe sint exceptionibus obnoxia, velut ista: *Qvot modis dicitur unum conjugatorum, tot modis dicitur & alterum. Bonum, quod durabilius est, est præstantius: Majori bono opponitur majus malum &c.* Ex consequenti fit, ut Dialecticus per inductionem ostendere

volens

volens principium, quo utitur, universale esse, cogatur *σκοπεῖν καὶ ἄρχεσθαι ἀπὸ τῶν πρώτων, εἶτα ἐφεξῆς, ἕως τῶν ἀτόμων, considerare & incipere à primis, ac postea ulterius progredi usq; ad individua*, II. Top. c. II. §. 2. At in iis, quæ per inductionem Analyticam, quâ scientiarum Professores utuntur, manifestantur, propositionibus connexio inter propositionum partes necessaria est & essentialis, quæ supponit conditionem κατὰ παντὸς I. Post. IV. Unde hîc uno vel altero singulari proposito statim mens apprehendit universale, veluti, si qvis unum atque alterum triangulum videat habere tres angulos, duobus rectis æquales, mox omnem triangulum ita se habere intelliget, ut opus non habeat inductione prolixiori.

CXXXIII. Inductio hæc, quæ & sola propriè sic dicta inductio est, alias inductio ex *eodem* vocatur. Singularia enim, quæ sub universali, qvod inductione manifestatur, continentur, unius naturæ sunt. Talia autem dicuntur eadem. Sicut enim similia sunt, quorum qualitas est una, sic eadem dicuntur, qvorum una est essentia, V. Met. VI. At præter hanc datur aliud adhuc inductionis genus, quo non à singularibus ad universale, sed à similibus ad simile itur. Unde & inductio à *simili* vocatur. Meminit hujus inductionis non solùm Aristoteles in IIX. Topic. ut & in Rhetoricis, sed & Plato apud Laërtium, qvi legendus est in vitâ Platonis, itemqve *Cicero in* Topicis, ubi tractat similitudinis locum. Ait enim inductionem esse, *quæ ex pluribus similibus provenit, quò vult*, h. e. aliud simile demonstrat, *ut si tutor* (exemplum hoc est Boëthii IV. Comm. in Topic. Cicer.) *fidem præstare debet, si cui mandaveris, si qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator.* Verùm non est inductio propriè dicta, quod Alexander notat in I. Topic. *XII.* Unde istiusmodi inductionibus rarò utitur Philosophus, imò nunquam, nisi cum λογικῶς versatur in explicandis rebus, aut probandis. Nititur enim talis

inductio principio Dialectico: *Similium similis est ratio.* Verùm, qvod prætermittendū nullo modo est, contingere potest, ut quædam sibi sint similia, sed ita, ut præterea sub uno aliquo universali contineantur, & tunc fit aliquando, ut, universali nō expresso, unum atq; alterum ex particularibus sibi similibus & ad universale illud pertinentibus inductionis loco afferatur, quod nonnullis errandi occasionem præbet, ut existiment esse hanc inductionem à simili, cum tamen inductio sit ex eodem. E. gr. Aristoteles in Politicis alicubi clavum imperii committendum esse dicit non nobilibus aut divitibus, ideò, quod nobiles aut divites sint, sed iis, qui Rempublicam rectè administrare possunt, prudentibus scilicet & virtuosis. Hoc illustrat inductione similium exemplorum. Sic Cithara, inquit, pulsanda non datur nobilissimo, aut ditissimo, quà tali, sed illi, qui optime pulsare citharam novit, h. e. prudenti citharœdo. Clavus item regendus traditur non cuivis promiscuè, non diviti, non nobili, sed prudenti nauclero. Similiter se res habet in arte bellicâ, aliisque. Hæc inductio videri posset à simili desumpta esse, sed revera est ex eodem, eo fine adducta, ut innotesceret, nullam ullius rei administrationem committendam esse, præterquam ejus apprimè gnaro, licet totidem verbis id non exprimat, ex quo porrò concludit, propterea nec reip. gubernationem concredendam esse, nisi administrandarū rerū civiliū perito, sive Politico prudenti. Sic enim fieri assolet, ut cum notiora exempla, quæ sub propositione universali per inductionem probandâ continentur, proferuntur, ea qvoqve simul innotescant, quæ ante ignota erant, etiamsi universalis rationem plenè nondum habeamus perspectam. E. gr. Pone, aliquem ignorare, quod oppositorum eadem sit scientia: pone item, eundem ignorare, quod intellectus & intelligibilis, cognitionis item & cognoscibilis, eadem sit scientia, ut videntur ignorare, qui de intelligibili & cognoscibili peculiares conscribunt disciplinas: is si, per inductionem pervagando

omnia

omnia oppositorum genera, consideret, quod entis & non entis, lucis & tenebrarum, motus & quietis, somni & vigiliæ, sanitatis & morbi, virtutis & vitii, Domini & servi, patris & filii, amoris & amabilis, visus & visibilis, auditus & audibilis, sensus & sensibilis &c. eadem sit scientia, hoc ipso cognoscet, quod omnium oppositorum, & in specie cognitionis qvoqve & cognoscibilis, itemqve intellectus & intelligibilis, eadem sit scientia, qvod & Aristoteles docet I. Part. An.I. Eodem pacto, si quis juxta ductum capitis VII.(VIII.)I. Phys. per inductionem consideret, qvomodo aliqva talia fiant vel tanta: item, quomodo fiant substantiæ artificiales, is, αὐ ὅπλ... ut loquitur ipse Philosophus, dummodo animum adverterit, simul intelliget, quomodo substantia naturalis generetur, nempe quod ex materiâ fiat & forma, item quod materia illa sit ratione gemina, adeoqve partim duo, partim tria sint principia eorum, quæ naturaliter generantur, materia scilicet, forma & privatio. Semper enim quod fit, fit ex eo, quod nõ est tale, potest tamen fieri tale. E. gr. cum quispiam Musicus fit, adest subjectum, quod materiæ rationem habet I. Polit. IIX, veluti Socrates. Ast hic antequam fieret Musicus, non erat Musicus (alioqui non dum factus fuisset talis, si jam fuisset) poterat tamen fieri Musicus. Pariter, cum ex adolescente, duas ulnas longo, fit juvenis tres ulnas longus, præsto est subjectũ, hic vel ille homo, cui potentia quidem inerat, ratione habitâ longitudinis trium ulnarum, quæ tamen antea non aderat actu. Non aliter quoqve res comparata est, cum ex cerâ fit globus. Cera enim illa, antequã formam globi nacta esset, nondũ erat globus, ita tamen disposita erat, ut inde fieri posset globus. Fit ergò globus ex cera, quæ, quatenus potentiam habet ad recipiendam formam globi, materiæ rationem habet, privationis autem, quatenus formam illam nondum possidet actu, quam aliunde consequitur, nempe cum causa efficiens proxima ma-

teriam disponendo & movendo potentiam, quæ in eo est, deducit in actum. Conf. VII. Met. 15. & 16. Aliud exemplum qui vult, evolvat lib. I. Ethic. cap. VII. & inveniet, quomodo Aristoteles inducendo, quod statuarii, tibicinis, omnisqve artificis, aliorumque bonum consistat in actione rectè se habente, perspicuum faciat, quod hominis qvoqve bonum in actione rectê comparatâ, eiqve propriâ, sit collocatum. *Sutoris* enim *bonum est, rectè suere; sartoris, rectè sarcire; pistoris, rectè pinsere; scribæ rectè scribere; Medici rectè curare*, & sic deinceps. Quin & *partium corporis* unaquæque à natura condita est ad aliquem usum, & tum benè se habet, cum ita disposita est, ut usum illum promptê præstet. Unde oculi bonitas est prompta & expedita visio, hepatis justa chyli concoctio, pulmonum recta respiratio, & sic in cæteris, de quibus videndi sunt Plato in Timæo, Xenophon I. Memorab. Aristoteles libris de Partibus Anim. Cicero II. de natura Deorum, deniqve Galenus in libris de usu partium, & alii. Quæ omnia eo fine ab Aristotele adducuntur, ut inductione eorum confirmet omnium rerum, tàm earum, quæ arte, quàm quæ naturâ constant, bonum consistere in aliqua actione rectê se habente, ex quo porrò infert, consequens esse, ut & hominis bonum in actione aliqva propria, rectê se habente, consistat. Sed satis de inductione. Nunc dicamus quoque de syllogismo.

CXXXIV. Qvemadmodum inductionem dicebamus Aristotelem adhibere ad illustranda principia, ita syllogismo plerumqve utitur in confirmandis theorematibus & problematibus, sive conclusionibus, qvæ ex principiis deducuntur. Verùm hoc perpetuum non est. Aliqvando namque inductionibus etiam ad theoremata illustranda utitur, & contra syllogismus etiam ad principia confirmanda. Quamvis enim hæc demonstrationibus à priori confirmari neqveant, idque ideò, qvod, cum principia sint, se priora non agnoscant, qvoniam

niam *principium* & *primum* idem sunt, I. Post. II. § .12, à posteriori tamen, vel etiam per syllogismū Dialecticum, aut demonstrationē *καθ' ἄνθρωπον*, quæ & *ἐλεγκτικὴ* dicitur, quò minus confirmentur, nihil prohibet. Unde & Dialectica utilis esse dicitur *πρὸς τὰ πρῶτα τῶν περὶ ἑκάστην ἐπιστήμην ἀρχῶν*, *ad confirmanda prima circa unamquamq; scientiam principia*, I. Top. II. § 16. Quibus gemina reperire licet & I. Phys. II, necnon I. Post. c. XI. §. 6. 7. Ita principium in Politicis est, *dari ultimum quendam actionum humanarum finem*: at hoc ipsum principium probat Aristoteles syllogismo ad absurdum ducente. Nisi enim, inquit, daretur ultimus actionum humanarum finis, qui suaptè vi expetatur, & ad quem reliqvi omnes, velut lineæ in circulo ad centrum, ferantur, tum ex aliis finibus in alios semper progressus daretur, atqve sic infiniti essent fines, & cum infinitum peragrari non possit, natura frustra indidisset boni appetitionem, quippe quæ nunquam expleri, h. e. nunquam ad finem pervenire posset. Id enim dicitur *frustra* esse, quod *non est finis gratiâ, aut non consequitur finem*. II. Phys. VII. Frustra autem aliquid facere DEUM & naturam absonum est, quod præter Aristotelem I. Polit. II. & I. de cœlo IV. Theophrastus quoq; observat I. de causis plantarum c. I. Quantum autem ad *conclusiones* attinet, solent illæ non rarò ab Aristotele cum inductione, tum syllogismo confirmari. E. gr. *Propositionem universalem affirmativam particulariter converti* I. Prior. II. ostendit partim inductione, *Nam hæc*, ait, *O. voluptas est bonum, convertitur in illam Q. bonum est voluptas*; partim ratione, ducente ad impossibile. Si enim hâc verâ existente, qvod O. B. sit A, illa falsa est: Q. A. est B. necesse sanè est istam, N. A. est B, esse veram, quoniam ex duabus contradictoriis, si una falsa est, altera necessariò est vera. Quodsi autem hæc vera est, veram qvoqve esse oportet illam: N. B. est A, qvod ante Philosophus ostenderat. At sup-

ponebatur ante O.B. esse A. Sic ergò O.B. erit A.& N.B. erit A. i. e. duo contraria, &, quod inde porro sequitur, duo contradictoria erunt simul vera, quod cum impossibile sit juxta primum principium axiomaticum, quo nituntur omnes demonstrationes IV. Met. IV. falsa sit necesse est hypothesis, ex quâ impossibile illud emersit, quæ cum sit propositio ista, N. A. est B. veram, juxta alterum principium axiomaticum, *Ex duabus contradictoriis, si una est falsa, altera est vera*, esse oportet hanc: Q. A. est B, quæ quod vera sit, erat demonstrandum. Hæc enim ἀνάλυσις est demonstrationis istius Aristotelicæ, sicut nos docet etiam Alexander &, qui hunc secutus est, Philoponus in Comm. Addamus exemplum aliud ex VIII. Phys. c. VI, ubi continuum totum non moveri posse à seipso, toto scilicet (aliàs enim idem à seipso moveri absurdum non est, si alia sit pars movens, alia autem, quæ movetur, veluti in animali videre est, qvod seipsum movet. De loco enim in locum movetur virtute propria, verum id, quod movet, anima est, id autem, quod movetur, est corpus) demonstrat, idq; rursus partim inductione, partim syllogismo. Inductio hæc est: Impossibile est, ait, ut id quod seipsum movet, totum moveat seipsum, nam totum ferretur & ferret eadem latione, cum sit unum & individuum specie, & variaretur & variaret, quare doceret & doceretur simul, & sanaret & sanaretur eâdem sanitate. Syllogismus hic est: Si, inquit, continuum à seipso toto moveri possit, sequeretur inde, quod idem possit esse & non esse simul actu. Definiverat enim ante Philosophus, id moveri, qvod est mobile, hoc autem esse potestate, non actu, progredi tamen, cum potestate sit, ad actum: actum autem rei mobilis, quanqvam imperfectum, esse ipsum motum. Ita ergò juxta Aristotelem se habet mobile. At aliter comparatum est cum eo, quod movet. Id enim jam actu est. V. c. quod calidum, jam actu est, calefacit, & quod jam habet formam, gignit. Si igitur

igitur idem, quatenus idem, moveret & moveretur, tùm idem simul & secundum idem reverà esset calidum & non esset.

CXXXV. Porrò, quando syllogismo utitur Philosophus, videndum est, num syllogismus ille sit hypotheticus, an dicticus; (vulgo vocant categoricum, licet minus apposite.) Si hypotheticus est, reducendus est ad dicticum, ad eum modum, quem præscribunt veteres Aristotelis interpretes in tractatibus suis de syllogismis hypotheticis, ex quibus potiora descripsimus in Analysi nostrâ Priori Sect. III, ubi de analysi egimus syllogismorum hypotheticorum. Hîc uno atque altero exemplo rem suffecerit declarasse. Inter alias regulas, quas c. l. de analysi syllogismorum hypotheticorum proposuimus, est & ista: *In syllogismis conditionalibus, qui arguunt à positione antecedentis ad positionem consequentis, si antecedens est affirmatum finitum, reductio fit ad syllogismos dicticos affirmantes in prima figurâ.* E. gr. lib. I. post. c. VI. §. 1. talis habetur syllogismus conditionalis: *Si igitur est demonstrativa scientia ex necessariis principiis, ea autem sunt necessaria, quæ per se insunt, perspicuum est syllogismum demonstrativum ex hujuscemodi propositionibus constare.* Hic syllogismus, si reductio ad dicticũ instituenda sit, revocabitur ad primum primæ figuræ modum, hâc ratione: Omnis syllogismus inferens ex necessariis principiis, constat ex iis, quæ insunt per se; ut in anteced. ostenderat. Omnis syllogismus demõstrativus infert ex necessariis. E. omnis syllogismus demõstrativus constat ex iis, quæ insunt per se. In subsequente c. *IIX.* §. 1. hæc inveniuntur verba: *Perspicuũ est, si propositiones sint universales, ex qvibus syllogismus demonstrativus constat, necesse est, ut æterna sit cõclusio quoq; hujuscemodi demonstrationis.* Si resolutio hîc juxta prædictã regulam instituatur, in eodẽ modo, talis erit syllogismus: Cujus syllogismi propositiones sunt universales, ejus cõclusio qvoq; universalis est,

id est, necessariæ & æternæ veritatis. Omnis demonstrationis propositiones sunt universales. E.

CXXXVI. Cæterum dicticis syllogismis frequentius utitur, at in formâ plerumque turbatâ. Interdum enim in literâ ambæ qvidem propositiones actu sunt, sed alienarum propositionum interpositione divulsæ: interdum altera propositio deest, quam ex positis erui oportet ad syllogismum ritè constituendum: quandoq; ambæ propositiones necessariæ ad propositum inferendum desunt in literâ, adsunt autem propositiones pro syllogismorum, ex quibus propositiones syllogismi principalis (ita voco syllogismum, qui immediatè propositum concludit) sunt evolvendæ. Semper verò in analysi syllogismus factus præsupponitur, vel secundum totum, vel secundum partem, vel saltem in antecedente aut antecedentibus pro syllogismis. Porro aliquando propositiones, quæ in literâ resolvendâ reperiuntur, ita dispositæ sunt secundum subjectum & prædicatum ac præfinitiones, ut nulla prorsus mutatione indigeant, cû in formam syllogismi sunt componendæ, & tum analysis adeò difficilis non est. At longè perturbatior eadem est, quando propositiones ita dispositæ non sunt, ut ipsæ per se ad analysin sufficiant, sed commutatione habent opus. Quomodo autem in utroqve casu, qui iterum in varios particulares dispescitur, procedendum sit, ut syllogismus in forma resultet, ostendere prolixius neque hujus est loci. Dedit hâc de re præcepta ipse Aristoteles in Parte III. Lib. I. Priorum, ubi fusè de analysi syllogismorum disputat, quæ nos loco n. præced. adducto repetiimus & perspicuis exemplis illustravimus. Inter alia præcepta, ut hâc vice solùm unum adducamus, est & hoc: Cum syllogismi alii sint simplices, propositum directè ex duabus propositionibus inferentes, alii compositi, qui, præter syllogismum immediatè elicientem, & pro syllogismos continet, quibus aut

major

major, aut minor, continetur, quin interdum & alios, quibus probentur propositiones ipsorum prosyllogismorum, contingit non rarò, ut in congerie hâc syllogismorum resolvendâ lateat, ad quam figuram hi omnes syllogismi sint reducendi. Est enim in alia figura syllogismus necessarius, in alia prosyllogismus, vel ex prosyllogismis etiam unus in hac, alter in alterâ figurâ. E. gr. Lib. I. de cœlo cap. III. t. 20. Philosophus probans, cœlum non esse generabile, his utitur verbis: *Rationabile est de cœlo existimare, quod ingenerabile sit & incorruptibile, propterea quod omne quidem, quod generatur, ex contrario generetur. Ex eo enim fit, quicquid fit,* ut dixerat in antecedentibus. contrariorum autē sunt & lationes contrariæ. Si igitur cœlo „ nihil contrarium esse contingit ex eo, quia lationi circulari „ non est contrarius aliquis motus, rectè videbitur natura id, „ quod futurum erat ingenerabile & incorruptibile, exemisse „ ex contrariis. Litera hæc si sit resolvenda, ad sequentes re- „ ductio fiet syllogismos. Principalis erit hic: *Quicquid generatur & corrumpitur, habet contrarium, ex quo generetur, & in quod corrumpatur. Cœlum non habet contrarium, ex quo generetur & corrumpatur. E. non generatur, nec corrumpitur.* Hujus syllogismi major probatur alio syllogismo, nempe hoc: *Quicquid fit, agnoscit contrarium, ex quo fiat.* Jam enim in I. Phys. VI. demonstraverat, quod *non quodvis* fiat *ex quovis, sed quicquid fit, fiat ex contrario*, velut album ex nigro, dulce ex amaro, magnū ex parvo &c. *Quicquid generatur, fit. Ergò.* Sed & minor rursus principalis syllogismi cōfirmatur syllogismo. Quicquid habet contrarium, habet & motum contrarium motui suo naturali. Motus enim arguit suum principium, quod est natura, ita quidem, ut talis sit motus, qualis natura, & vice versâ. Motui cœli nullus alius motus est contrarius. E. Minor hujus syllogismi iterum cōfirmatur prosyllogismo, cujus χῆμα hoc est: *De cujus essentia est motus circularis, ejus naturali motui nihil est contrariū.* Motus enim circularis non agnoscit contrarium, demonstrante id

te id Aristotele I. *de cœlo* IV. *De cœli essentia est motus circularis.* Ergo ex his primus & tertius syllogismo sunt in secundâ, reliqui in primâ figurâ. Hinc qui literam aliquam resolvere instituit, eum non oportet conari, ut omnium syllogismorum, qui fortè in literâ continentur, resolutio fiat in figuram eandem; neque enim omne problema in omni figurâ concludi potest. Ad quam autem figuram unusquisqve syllogismus referri debeat, ex quantitate & qualitate problematis, sive conclusionis, ut plurimum judicandum est, quâ de re Aristoteles I. Prior. XXXII. & XXXIII. disserit, nos autem c. I. cap. I. quantum satis esse arbitrabamur, dedimus explicatum.

CXXXVII. Sed nec id silentio prætereundum est, qvod Aristoteles nonnunquam consequentias materiales præferre soleat formalibus, nempe propter materiæ, ex quâ constant, evidentiam, quæ tanti & ab aliis probatis fieri solet auctoribus, ut ejus servandæ causâ non raro à rectitudine formæ recedant, perinde ut artifices, qvi in externâ materiâ versantes, ex quâ opera construere volunt, non semper utuntur regulâ rectâ, sed interdum, cum materiæ conditio id exigit, etiam aliqvantum obliqvatâ, cujusmodi erat regula illa Lesbia, ex plumbo facta, eo fine, ut facile ad lapidum figuram flecti posset, cujus Aristoteles quoque meminit V. Ethic. X. Exemplum ejus, quod diximus, habemus I. Post. VI. §. I. in iis, quæ jam ante quoqve laudata sunt, verbis: *Si igitur demonstrativa scientia est ex necessariis principiis, quæ autem per se rebus insunt, necessaria sunt, perspicuum est demonstrativum syllogismum ex hujuscemodi propositionibus constare.* Quamvis enim ibi syllogismum hunc ad primam figuram revocaremus, ad quam & revocandus est, si in formâ legitimus apparere debet, quatenus tamen in terminis positis spectatur, in secunda figurâ est, & quidem ex utraqve affirmante, ex qvibus formaliter nihil concluditur. Nimirum

rum sic arguit Philosophus: Quæ sunt per se, sunt necessaria. Principia demonstrationis sunt necessaria. E. principia demonstrationis sunt per se. Hic syllogismus, ut indicavimus, qvatenus secundum formam consideratur, nihil necessariò colligit. Semper enim ex similibus propositionibus veris & juxta idem σχῆμα dispositis vera inferretur conclusio, qvod hic locum non habere vel iis notum est, qui nondum ære lavantur. Optima tamen hæc est conseqventia, si materiam spectes. Termini enim majoris, *per se, & necessariò*, sunt convertibiles, ut vocant, ex quibus si propositio aliqua constat, simpliciter converti potest, veluti, si definitio in eâ dicatur de definito, aut proprium de subjecto. Convertitur igitur & illa: Omnia, quæ sunt per se, sunt necessaria, in hanc: Omnia, quæ sunt necessaria, sunt per se, ex quâ jam minori junctâ dicta conclusio sequitur vi formæ. Eodem libro c. XII. 92. similem syllogismum recitat, quem Cæneo adscribit. Est autem hic: Quicquid per multiplicatam proportionem gignitur, aut crescit, illud celerrimè gignitur. Ignis nactus materiam, flammæ capacem, celerrimè gignitur & crescit. Ergo de hoc syllogismo dicit Philosophus, quod ex iis, quæ sumpta sunt, concludat, licet non videatur concludere, videlicet propter materiam, quia termini majoris itidem convertibiles existunt. Notabilis quoq; est locus, qui occurrit lib. I. Polit. c. II. ubi Philosophus his utitur verbis: *Quapropter omnis civitas naturâ est: siquidem & primæ societates. Finis enim hæc est illarum.* Ἡ δὲ φύσις τέλος ἐστὶ, *natura autem finis est.* In hâc propositione termini transpositi sunt. Finis enim subjectum, natura autem prædicatum esse debet, nisi in secunda figurâ ex duabus affirmantibus syllogismum fieri posse dicere velimus. Verùm Aristoteli placuit terminos ita collocare, quod de natura non qvocunq; modo acceptâ ipsi illic sermo sit (est enim & materia natura II. Phys. I.) sed de natura, qvæ maximè propriè hâc appellatione venit, id est, forma, quæ cum

quoq; universalis est, fine coincidit, atq; ab eo non nisi λόγῳ differt. Quod enim finis est respectu habito generationis, id forma est jam genitæ rei. Unde iterũ Philos. ipse: l.II. Phys. c.VII. text.70. Τὸ μὲν τί ἐστι καὶ τὸ οὗ ἕνεκα, ἕν ἐστι, *Quid* est sive *forma*, qvæ est λόγος τοῦ τί ἦν εἶναι II. Phys. IV. & V. Met. II. *& finis idem sunt.* Qvod repetit & c.IIX. ejusdem libri textu 81, nec non lib.I. de Generat. Animalium cap. I. & alibi passim. Ex eâdem causâ, qvam diximus, evidentiâ scilicet materiæ, evenit qvoqve, ut aliquando auctores utantur propositione negante, cùm tamẽ ex eâ virtute syllogisticâ non inferatur conclusio, sed ex infinitâ affirmante, ex quâ illa elicitur per consecutionem. Accidit hoc in illo syllogismo, si tamen syllogismus dici meretur oratio, quâ aliquid ex positis quidem infertur, sed non ideò, quia sunt posita, quod reqvirit definito syllogismi I.Prior. I. §. 8. in illo inqvam: Omnes stellæ, qvæ non scintillant, sunt propè. Planetæ non scintillant. E. planetæ sunt propè. Hæc conclusio ex positis istis, qvatenus sunt posita, id est, virtute syllogisticâ non infertur. Minor enim negans est in primâ figura: & præterea quatuor sunt termini in hac oratione, eo quod subjectum majoris est infinitum, prædicatum autem minoris finitum. Seqvitur tamen ex eâ virtute consecutionis. Syllogismus enim in formâ concludens hic est: Omnes stellæ, qvæ non scintillant, sunt propè. Planetæ sunt stellæ, qvæ non scintillant. Ergò Planetæ sunt propè. Jam minor hæc, Planetæ sunt non scintillantes, quæ est affirmans prædicati infiniti, vi consecutionis sequitur istam negantem prædicati finiti, Planetæ non scintillant: ex conseqventi autem quod sequitur, seqvitur & ex antecedente, juxta regulam Analyticam. Quare & ex illa: Planetæ non scintillant, sequitur dicta conclusio: Planetæ sunt propè & quidem consequentiâ necessariâ, etiam formali (talis enim est consecutio, cujus virtute ista conclusio infertur,) sed

non syllogisticâ, ἐπὶ πλέον γὰρ τὸ ἀναγκαῖον, ἢ ὁ συλλογισμὸς, *latius enim patet consequentia necessaria, quàm syllogismus* I. Prior. XXX. §. 5. Conferatur cum iis, quæ sub finem hujus §. dicta sunt I. Prior. XLVI.

CXXXIIX. Præterea, cum omnis scrupulus exemptus est, qui circa formam syllogismi injicere remoram possit, obscurum tamen adhuc nonnunquam est, qualis sit ille ratione materiæ syllogismus, num dialecticus, an analyticus, sive demonstrativus, quem Aristoteles usurpat. Non solùm enim principia Dialecticè probare solet, sed & interdum conclusiones, idqve partim ex necessitate, partim, ut ad ea, quæ scientificè sunt proponenda, sibi viam paret. Neqve enim omnia, quæ in disciplinis proponuntur, exactè & ἀποδεικτικῶς cognosci possunt, sed in quibusdam satis secundum rationem demonstratum esse putandum est, si εἰς τὸ δυνατὸν, *ad id, quod possibile est*, reductio facta sit, velut in iis, quæ sensui pervia non sunt, *I. Meteor. VII.* Cui consentit Ptolemæus, monens, *ut cum non ubiq; demonstrationes habere possimus, probabilia tamen non fastidiamus, comprobata si sint eruditorum observatione & artibus consentanea*, quibus *inventis* jubet *frui* & συμφιλοκαλεῖν, *expolire* ea atque *diligentiâ nostrâ ornare*. Quibus consona habet etiam Photius Epistolâ CCLXVII. Alia autem scientificè quidem tradi possunt, sed obscuriora quadantenus sunt, ut animum lectoris disponi ante oporteat, quò tanto facilius ea intelligat, qvod quidem fit per Dialecticos syllogismos. Hi enim apti sunt ad opinionem ἔνδοξον producendam. Hæc autem disponit animum ad scientiam & veritatem III. Met. I. Quâ de causâ & plerumqve, antequã ex propriâ mente disputare de re aliquâ incipit Philosophus, veterum sententias, etiam absurdissimas, proponere & discutere solet. ἔχει γὰρ φιλοσοφίας ἡ σκέψις, sicut ipse ait I, Phys. II. h. e. aditum nobis facit ad veritatem, qui est finis Philosophiæ. Ex adversorum enim collatione

facilè qvod prævalet, observari potest, & ex oppositarum rationum conflictu veritas, non secus ac ignis ex attritu silicis excutitur & Sophisticarum rationum causæ deteguntur, denique ignorantiæ caligo omnis dispellitur. Nam, ut est in I. Eud. III. οἱ τῶν ἀμφισβητούντων ἔλεγχοι τῶν ἐναντιουμένων αὐτοῖς λόγων ἀποδείξεις εἰσιν, *falsarum rationum confutationes sunt contrariorum demonstrationes.* Non tamen semper hanc docendi rationem tenet Philosophus, sed tum demum, cum de iis tractat, de quibus falsas quasdam opiniones multi aut tradiderant, aut ab aliis traditas imbiberant. Cùm autem de iis disserere aggreditur, de quibus nihil traditum erat, quod sub veri specie imponere hominibus & eorum animis insidere posset, statim ab ipsa veri explicatione orditur, imitatus hac in parte prudentes & industrios agricolas, qui terræ probè cultæ semina sine tergiversatione mandant, ei autem, quæ ita culta non est, non prius, quàm inutilibus & frugum incrementa impedituris herbis eam diligenter purgàrint.

CXXXIX. Cæterum qvid inter rationes dialecticas & analyticas intersit, vel ex iis, quæ in Prodromo de duplici modo res considerandi disputata sunt, potest constare. Præcipuum discrimen petitum est à principiis seu propositionibus, ex quibus compositus est uterqve. Demonstrativus enim, sive analyticus syllogismus, ex principiis veris, propriis ac domesticis constat. Dialecticus autem ex communibus & ἐνδόξοις, sive consentaneis opinionibus hominum, quales sunt loci dialectici, qui II. III. IV. V. VI. VII. Topicorum continentur. Vel, si ita mavis, dialecticus syllogismus constat ἐκ τῶν ὑπαρχόντων, *ex iis, quæ insunt*, analyticus ἐκ τῶν δοκούντων, *ex iis, quæ videntur.* I. Post. XIX. §. 4. Jam non raró qvidem Aristoteles, qvando Dialecticè propositum confirmat, id significare solet, dicens se hactenus λογικῶς rem considerasse, velut lib. I. Post. *XXII.* §. 22. *XXXII.* §. 1. item III. Phys. VII. lib. *IIX.* cap. *IIX.* At interdum

miscet

miſcet argumenta Logica & Analytica, velut Lib. I. Part. cap. *XXIV.* ubi partim Analyticè, partim Logicè oſtendit, *demonſtrationem univerſalem eſſe præſtantiorem particulari*, ſed ita, ut non indicet, qvænam ex rationibus, quas adducit, ſint Logicæ, quæ Analyticæ, ſed utrisqve permixtis tandem concludit §. 13: Ἀλλὰ τῶν μὲν εἰρημένων ἔνια λογικά ἐστι, *Cæterum ex dictis argumentis quædam Logica ſunt.* Poſterius hoc cum evenit, facilè fit, ut quis erret in dijudicando, quænam ex argumentis propoſitis ſint Analytica, quæ Dialectica ſive Logica, niſi diſcrimen utrorumqve probè habeat perſpectum. Quod ſi autem hoc ſatis cognitum habeat, ſine ulla difficultate verſabitur in rationibus iſtis reſolvendis. Sit nobis exempli loco c. *XXIV.* I. Poſterior. poſtremò citatum, in quo diximus ab Ariſtotele probari, quod *univerſalis demonſtratio præſtet particulari.* Præſtat autem hoc qvatuor fermè rationibus. Qvarum prima, quæ §. 7. continetur, hæc eſt, quia demonſtratio univerſalis *cauſam magis continet.* Ea enim ſine dubio magis cauſa eſt, qvæ *per ſe & univerſè* effectum demonſtrat: hoc autem facit cauſa univerſalis, qvippe quæ æqualis eſt ſubjecto demonſtrationis, cum particularis ſolum ſubjecti partem demonſtret. Item ea magis cauſa eſt, quæ eſt *ultima*, ſive, ut ipſe loquitur, πέρας aut τὸ ἔσχατον. At tale quid eſt cauſa univerſalis. Ad eam enim cum perventum eſt, ſtatur. E. gr. Quâ de causâ ſtudioſus it ad mercatorem? ut pecuniam accipiat. Quare accipit pecuniam? ut creditoribus ſuis ſatisfaciat. Quare vult ſatisfacere creditoribus? ne cui injuriam faciat: atque hîc ſubſtitur: & hæc eſt cauſa univerſalis. Ita quæritur, cur tres anguli in hac figurâ △ duobus rectis ſint æquales? reſpondetur, quia eſt iſoſceles. Pergitur quæri, quare iſoſceli hoc πάθος competit? & reſpondetur, quia eſt triangulum. Huic autem πάθος illud jam per ſe, & non propter aliud amplius competit: hic itaqve ſiſtitur. Et hæc rurſus eſt cauſa univer-

 ſalis.

ſalis. Cùm ergò hanc afferat demonſtratio univerſalis, particularis non item, utiqve illa ſine dubio erit præferenda. Demonſtratio enim eſt ſyllogiſmus ἐπιστημονικὸς, *ſcientiam progignens:* ſcire autem eſt rem per cauſas cognoſcere. Altera ratio habetur §.9. & eſt talis: *Infinita, quatenus ſunt infinita, ſciri non poſſunt: finita verò ſub ſcientiam cadunt.* Jam qvo magis ad particularia deſcendimus, eò propius accedimus ad infinita: individua enim ſunt infinita. Contra quo magis aſcendimus ad univerſalia, eò propius accedimus ad unum & finitum. Igitur univerſalia magis ſunt ſcibilia, quàm particularia, & conſequenter magis etiam demonſtrabilia, &, quod hinc porrò ſequitur, demonſtratio univerſalium magis eſt demonſtratio, qvàm particularium. Demonſtratio enim & demonſtrabile referuntur ad invicem: relata autem ſunt ſimul naturâ, & cum unum eſt magis tale, alterum quoqve eſt magis tale. Tertia ratio comprehenditur §.10. & eſt hæc: *Illa demonſtratio, quæ pleniorem & uberiorem* affert cognitionem, ea eſt nobilior. At talis eſt univerſalis demonſtratio. Qvi enim univerſale cognoſcit, ei & cognita ſunt & particularia, ſi non omnia, aliqva tamen, aut ſaltem unum: at qvi particulare cognoſcit, non ſtatim cognoſcit & univerſale. Ut qvi novit, qvod papaver concitet ſomnum, non continuò novit, qvod omne frigidum id faciat. Qvarta ratio reperitur §.11. & 12. & eſt talis: *Illa* demonſtratio, *quæ fit ex principio*, id eſt, ex propoſitionibus immediatis, eſt præſtantior eâ, qvæ non fit ex principio. Qvod ſi hoc, ergò & demonſtratio illa, qvæ magis eſt ex principio, præſtantior erit eâ, qvæ minus eſt ex principio. Omnis enim ſcientiæ certitudo pendet ex certitudine principiorum immediatorum. Jam talis eſt univerſalis demonſtratio, qvod patet inductione. E.gr. Demonſtratio univerſalis eſt hæc: O. figura habens angulum externum æqualem duobus internis oppoſitis, habet tres angulos æquales duobus rectis. Triangulum
eſt

est figura habens &c. E. Hæc est potissima demonstratio, cujus major est immediata. At particularis demonstratio ita habet: O. triangulum habet tres angulos duobus rectis æquales. Æquilaterum habet tres angulos. E. Hic enim demonstratur affectio non de primo universali, sed de specie demonstratur affectio generis per ipsius generis rationem, unde major est mediata. Ex his quatuor rationibus Aristoteles ait, aliqvas esse Logicas. Qvæ autem illæ sint, nemo intellexerit facilè, nisi discrimen inter rationes analyticas & Dialecticas, cujus paulò ante memini, cognoverit: cognito autem eo nihil facilius erit, quàm hoc d. judicare. Prima quidem ratio Dialectica aut Logica esse non potest. Petita enim est ex propriâ naturâ demonstrationis. Sed nec quarta Logica est. Propria enim demonstrationis conditio est, quod fiat ex propositionibus immediatis, quæ non competit aliis syllogismis, ut patet ex I. Post. II. & I. Top. I. §. 4. Secunda & tertia autem sunt Dialecticæ. Ex communibus enim sunt principiis ductæ. Secunda quidem ex ratione ejus, quod finitum & infinitum est, quorum hoc non solùm in scientia non obtinet, sed nec in ullâ aliâ cognitione, etiam tenui illa, quam Dialecticus parit syllogismus. Unde non minus de syllogismo sic argumentari possumus, quàm de demonstratione. Syllogismus universalis est de re finita, ergò magis confert ad cognitionem, quàm particularis, qvi propius ad id, quod infinitum est, accedit. Universalis itaqve est potior particulari. Sed & tertia ratio non minus syllogismo Dialectico accommodari potest, quàm demonstrativo. Nam & inter Dialecticos ille, qui uberiorem cognitionem parit, melior est quàm is, qui pauciora nosse facit.

CXL. Porrò, cum syllogismi Dialectici petantur ex variis locis, ex contrariis, comparatis, etymologiâ, conjugatis, casibus & aliis, quæ ordine alibi descripsimus, videlicet II. Dialect. c. II. & seqq. obscurum interdum est, ex quo loco sit desumptus syllogismus, quo fortè Philosophus est usus, quod tamen

men sciri oportet. Hâc enim re neglectâ intelligi planè non potest, in qvo vis sita sit argumenti. Locus autem ut inveniatur, attendendum est ad ipsum problema, qvale illud sit, num *accidentis*, an *generis*, an *proprii*, an *definitionis*: &, si accidentis, num simplicis, an comparati. Singula enim hæc problematum genera suos peculiares locos habent. Eo facto recurrendum est ad locos in Topicis Aristotelis contentos, & videndum, ad quem illorum argumentum sit revocandum. Nullum enim Dialecticum argumentum in toto Aristotele occurrit, qvod non ad aliquem ex istis qveat reduci. Placet & hoc uno atqve altero exemplo declarare. Et exemplum quidem problematis accidentis simplicis habemus Lib. III. Phys. c. VII. Quærit ibi Philosophus, *an detur corpus naturale infinitum?* ejusqve negativam astruit variis rationibus, tàm Analyticis, sive Physicis, h. e. propriis, qvàm Dialecticis, sive communibus. Ex his prima, probans in genere, corpus non esse magnitudinis infinitæ, §. 3. continetur, & his verbis exprimitur: *Nam si est corporis definitio, quod superficie terminatur, non potest esse corpus infinitum, nec intelligibile, nec sensibile*. Hæc ratio petita est ex loco à *definitione*, qvem proponit Aristoteles II. Topic. II. §. 3. sic scribens: *Alius locus est definire accidens & id, cui accidit, velutrumq; per se, vel alterum tantùm: deinde considerare, an sumptum quidpiam sit qs. verum, quod in definitionibus non reperiatur verum. Cui enim non competit definitio, ei nec definitum, & contra.* Et rursus: *Quod non congruit cum definitione alicujus rei, id malè tribuitur definito.* Jam infinitum esse non congruit cum definitione corporis. Corpus enim est, quod superficie terminatur: at infinitum est, qvod non est finis aut termini capax. Quodsi infinitum esse non congruit cum definitione corporis, utiqve nec definito, corpori, accommodari potest, & conseqventer nec corpori naturali, quippe qvod est aliquod corpus. Secunda

cunda ratio Logica probat, non esse corpora numero infinita. Ea habetur §. 3. & his comprehenditur verbis: *At verò neq; numerus, sic ut separatus & infinitus, quoniam numerus, aut quod habet numerum, est numerabile. Si igitur numerabile potest numerari, etiam poterit infinitum pertransiri.* Hæc ratio nititur loco à *consequenti*, quem Aristoteles declarat in II. Top. IV. §. 5. his verbis: *Considerare autem oportet in eo, quod propositum est, cui rei consequens sit, quod est propositum, vel quod necessariò sit, si sit id, quod propositum est, h.e. quod quæstionem antecedat, vel quid sequatur. Et in confirmando quidem ad antecedens est respiciendum, quo posito ponitur & consequens. Eo enim sublato tollitur antecedens.* Jam infinitum ratione numeri sequitur, non posse pertransiri: at hoc non consequitur corpus sensibile. Hoc enim continetur sub eo, quod habet numerum: quod autem numerum habet, numerabile est, sive potest numerari, quod autem numerari potest, potest pertransiri, & conseqventer non est infinitum.

CXLI. Problema accidentis comparati consideravimus jam ante, ubi vidimus, Aristotelem duabus rationibus Dialecticis probare, quod demonstratio universalis sit præstantior particulari, quarum altera nititur hoc principio Topico: *Quod facilius comparatur, præstantius est eo, quod difficilius.* Altera autem isto: *Quicquid ad plura confert, præstantius* est, quod habetur III. Topic. cap. III. §. I. Huic addimus nunc & aliud ex X. Ethic. VII, ubi Philosophus probat, beatitudinem contemplativam esse præstantiorem practicâ, idqve seqventibus rationibus. *Primò*, inqvit, *præstantissima hæc est operatio.* Nam & eorum, quæ sunt in nobis, mens quiddam est longè optimum & omnium, quæ cognosci possunt, ea, quæ mente complectimur, longè sunt optima. Hæc ratio nititur duobus istis principiis Dialecticis, nempe hoc: *Quod rei secundum speciem meliori ac majori honore digna inest,*

ineſt, id eſt, præſtantius, qvod reperitur III. Top. I. §. II. Mens enim, cui ineſt beatitudo contemplativa, præſtantior eſt ratione & appetitu, quorum reſpectu homini ineſt beatitudo activa: & illo, *Quod in rebus præſtantioribus verſatur, eſt præſtantius*. Deinde & ideò ait beatitudinem contemplativam eſſe præſtantiorem, quia *magis aſſidua & diuturna* eſt, *Quod namq; tale eſt, eſt præſtantius*, juxta III. Topic. cap. I. §. 3. item, quia *cum voluptate puriori ac conſtantiori* eſt conjuncta. Nam & hoc præſtantius eſſe docetur III. Topic. II. §. 16. c. III. §. 19: &, quia *magis ſibi ſufficit*, item *magis propter ſe expetitur*, ſed & magis *in otio ſita* eſt. Quod enim & hæc ſint præſtantiora aliis, quæ minus ſunt talia, oſtenditur eodem III. Topic. illud quidem c. II. §. 16. iſtud c. I. §. 6. c. II. §. 7. hoc c. II. §. 2. cap. I. §. 14. Denique, qvia *bonum divinum* eſt, & reddit hominem *Deo ſimilem* ſecundum *optimam ejus particulam*, cujus fundamentum habetur eo ipſo III. Topic. c. I. §. 11. & 12. c. *II.* §. 11. c. *III.* §. 4.

CXLII. Sufficiant hæc de Dialectico ſyllogiſmo. Progredimur ad Analyticum ſive demonſtrativum, qui ἐκ τῶν ὑπαρχόντων, *ex iis, quæ inſunt*, concludit. Hic varius eſt pro varietate quæſtionum, quæ in ſcientiis pertractantur. Sunt a. quatuor quæſtionum genera, quæſtio *an* ſit, *quid* ſit, *quod* ſit, ſive an res ſit hoc vel illud, talis aut talis, & *cur* ſit. II. Poſt. I. §. 1. Veluti an ſit Luna, quid ſit Luna, an Luna patiatur eclipſin & cur patiatur eclipſin. Ex his quæſtio quid ſit demonſtrari non poteſt, ſicut paſſim docet Philoſophus, veluti VI. Met. *I.* ſic ſcribens: Φανερὸν ὅτι οὐκ ἔστιν ἀπόδειξις οὐσίας, οὐδὲ τοῦ τί ἐστιν ἐκ τῆς τοιαύτης ἐπαγωγῆς, ἀλλά τις ἄλλος τρόπος τῆς δηλώσεως, *Manifeſtum eſt, quod non ſit demonſtratio ſubſtantiæ, neq; ipſius quid eſt ex ipſa inductione, ſed alius manifeſtationis modus.* Idem docetur II. Poſt. III. & nos in libris de variis ſciendi generibus probavimus fusè. Reliquorum autem omnium non eſt eadem demonſtratio, quod licet minutatim proſequi

hujus

hujus loci non sit, aliquid tamen etiam hac de re dicendum est, cum ad intelligendum Aristotelem ejus notitia admodum sit necessaria. Quæstionem AN SIT qvod attinet, de ea ipse II. Post. IX. §. 6. dicit, quod duobus modis cognosci possit, nempe per se, & per accidens. Per accidens, cum rem novimus ex aliqvibus accidentibus, verbi causâ, cum scimus esse elephantem, ex eo, quod sit animal aliquod ingentis staturæ, & tali quadam effigie formatum: aut tonitru esse, qvod advertamus, qvosdam attonitos esse ex sono. *Per se* autem, cum novimus esse hominem, quod animadvertamus esse aliquod animal, facultate deliberandi præditum, qvod pro arbitrio suo agere possit hoc & illud. Hæc est scientifica τοῦ εἰ ἔστι demonstratio, ad quam sine dubio respexit Philosophus VI. Met. cap. I. dicens, τῆς αὐτῆς διανοίας εἶναι, τό τε τί ἐστι δῆλον ποιεῖν, καὶ εἰ ἐστὶ τοῦτ, *ejusdem ratiocinij esse manifestare an sit, & quid sit*, quod non possimus perfecte cognoscere, an sit res, nisi cognoscamus simul, quid sit, aut partem ejus. Eo enim cognito omnis, qui circa quæstionem an sit moveri possit, scrupulus est exemptus. Hoc modo probat Philosophus dari locum IV. Phys. II. Dicit manifestum id esse ex *mutua rerum mutatione*. Ubi namque nunc est aqua, ibi mox, exeunte aquâ, est aër, ita, ut ab utroqve diversum sit, quod ambo alternis vicibus recipit & continet. Hæc demonstratio petita est ex ratione loci. Hoc enim ad propriam loci rationem pertinet *continere* id, cujus est locus: nec tamen esse *aliquid ejus*, quod *continet*: neqve *destitui omni corpore*: & *esse separabile*, IV. Phys. VI. t. 30. Addit eodem loco t. 4. ex lationibus quoque naturalium & simplicium corporum, elementorum, demonstrari posse, quod sit locus. Unumquodqve enim eorum, nisi prohibeatur, aliquò fertur, velut ignis sursum, terra & aqua deorsum: at sursum & deorsum sunt propriæ loci partes ac species. Porrò ex effectibus quoqve Philosophus qvan-

doqve petit demonſtrationem τὸ εἰ ἔστι, quæ licet cum addito demonſtratio ſolùm ſit, à poſteriori ſcilicet, vel ex notioribus nobis, animum tamen obfirmat & in cognoſcendo *ἀμετάπτωτον* reddit. Talis eſt demonſtratio, quâ probat, quod ſit Deus, IIX. Phyſic. Ducit enim demonſtrationem ex motu, hâc ratione. Omne illud, quod movetur, ab alio movetur, & hoc rurſum ab alio, cùmqve locum non inveniat progreſſus in infinitum, neceſſarium eſt, ut tandem perveniatur ad aliquod primum movens, quod cætera moveat, cum ipſum immobile exiſtat. Hoc autem eſt Deus. Hanc demonſtrationem repetit XII. Met. Neque dubium eſt, quin ſit optima. *Impoſſibile enim eſt*, ſunt verba Averrois in XII. Met. comm. V. *declarare aliquid abſtractum eſſe, niſi ex motu, & omnes viæ, quæ putantur ducere ad primum motorem, præter viam motus ſunt inſufficientes.* Quod cum non attenderint nonnulli, demonſtrationem hanc nauci fecerunt & aliam meliorem demonſtrandi viam inire voluerunt, ſed eventu minus ſecundo. Inter hos fuit & Scotus, qui ita firmiſſimè omnium demonſtrari poſſe, quod ſit Deus, eſt arbitratus. Datur dependens, nec poteſt procedi in infinitum. Ergò neceſſariò datur independens, quod eſt Deus. Sed haud immeritò dubitatur, an hæc demonſtratio tam ſolida ſit, ut animum plenè convincat. De Perſis enim refert Strabo XV. Geographiæ, quod *cœlum Jovem*, ſive Deum, putarint. Quam ſententiam fuêre & alii amplexi. Hi ergò totum hoc argumentum concedent quidem, dariqve affirmabunt neceſſariò independens, ſed dicent, hoc ipſum eſſe corpus cœleſte. Cujus oppoſitum ſolidè demonſtrari non poteſt, niſi motus in ſubſidium vocetur, & dicto modo procedatur, nempe ita: Cœlum movetur. Quicquid autem movetur, pendet à priori motore, &, cum non poſſit procedi in infinitum, perveniendum tandem eſt, ad primum motorem immobilem, qui demum primum ens & prima cauſa eſt, h. e. Deus ipſe.

CLXIII.

CLXIII. Porrò, de quæstione ὅτι ἔστι agit Philosophus I. Post. XIII. & duobus modis eam confirmari posse dicit. Et primò quidem ait, probari quod sit, cum non ex immediatis fit syllogismus, h. e. cum non per causam proximam, sed remotam πόθεν aliquod demonstratur, ut si quis demonstret, omnem piscem habere appetitum, ex eo, quod omnis animal habeat appetitum. Hæc, inquam, non est immediata, qvod qværi possit adhuc, cur animal habeat appetitum, nempe ideò, quia habet sensum boni & mali. Deinde qvod sit probatur, quando ex *immediatis* qvidem fit demonstratio, ast non per causam, sed per aliquod notius inter ea, quæ reciprocantur, h.e. per effectum proprium seu proximum, qui causâ positâ ponitur, & sublatâ tollitur, ac vice versâ. Talis demonstratio est, cum terram rotundam esse ostendimus ex eo, qvod umbra ejus rotunda est. Rotunditas enim umbræ non est causa, cur corpus aliqvod sit rotundum. Sed ideò potius umbra, quam corpus aliqvod spargit, rotunda est, quia corpus est rotundum. Talis qvoqve demonstratio (utitur hoc exemplo Aristoteles ipse I. Post. XIII. §. 2.) est, cum planetas prope esse inde probatur, quia non scintillant. Non enim ideò, quia non scintillant, propè sunt, sed ideo, quia propè sunt, non scintillant. Idem demonstrationis genus usurpat etiam ad *VIII. Phys.* ubi per motum localem, tanqvam per effectum, probat, corpora cœlestia esse composita ex materia & forma. Videmus enim Solem interdiu moveri de loco in locum, nec ipsum nocturno tempore conspicimus, Lunam etiam non semper in eodem loco stare deprehendimus, nec reliqva sidera. Ac qvod naturaliter movetur, ex materia & forma compositum esse intelligimus, sicut & alia, in quibus perspicuitas, opacitas, & alia talia conspiciuntur, quæ itidem in cœlo locum habent. Jure autem Aristoteles tales demonstrationes adhibet, etiam, cum scientificè de rebus agit. Plurimum namqve eæ condu-

cunt ad venandas latentes rerum cauſas & principia, inprimis ad indagandas definitiones ſubſtantiarum, aut partes earum, ſi nos lateat, quod inſint. Ut, ſi quis qværat definitionem ζωοφύτου, & in ſpecie quidem genus ejus, qvod qvale ſit, multos fugit. Dubitant enim, num animal ſit, an planta. At ſi ad πάθη ejus attendatur, facilè colligitur, qvod ad genus animalis ſit reducendum. Confirmat id Philoſophus exemplo ſpongiæ, quæ inter ζωόφυτα numeratur. Hanc autem ajunt difficillime avelli, niſi ſenſim circa eam motus fiat, qvod indicio eſt, ſenſu eam præditam eſſe I. Hiſt. An. I. Hoc autem omne, cui ſenſus ineſt, animal eſt. Ex qvo & ſimul intelligitur, quid ſibi velint illa Ariſtotelis ex I. de An. I: τὰ συμβεβηκότα μέγα μέρος συμβάλλεται πρὸς τὸ εἰδέναι τὸ τί ἐστι, *accidentia* (per ſe ſcilicet, de qva ſignificatione legi poteſt lib. V. Met. cap. *XXX.*) *magnam adferunt opem ad rei eſſentiam cognoſcendam*, qvemadmodum viciſſim τὸ τί ἐστι, ſicut in antecedentibus dixerat, *multum confert ad explicandas cauſas eorum, quæ per ſe accidunt ſubſtantiis.* Alterum autem demonſtrationis genus, qvod ex cauſa remotâ ducitur, negligit Philoſophus. Uſus enim ejus aut nullus, aut planè exiguus, eſt in ſcientiis: apud plebejos potius obtinet, qui cum cauſæ proximæ ſint ignari, ut plurimum, ne planè nihil intelligere videantur, communem afferunt & remotam. Veluti, cum interrogantur, quare hoc aut illud in naturâ accidat, cauſam afferunt Dei voluntatem, aut confugiunt ad potentiam Dei. Undè merito & Xanthus ridebatur ab Æſopo, qvod interrogatus, qvi fieret, ut ea olera, quæ plantantur, etiamſi diligentiſſimè foderentur & foverentur, tantum tamen non ſuſciperent incrementi, ac ea, quæ terra ſponte fundit, quamvis nulla cura adhiberetur, quæ tam facilè germinarent, reſpondiſſe, id ita fieri divinâ ordinatione. Quivis enim ruſticus hoc reſpondere potuiſſet. Neqve abſimiles his ſunt & Medici iſti, qui cum

causas morborum periculosorum continentes reddere nesciant, confugiunt ad malignitatem. Aristoteles de hujusmodi demonstrationibus ait, quod sint similes *hyperbolicis locutionibus*, *quod ex talibus constent causis, quæ reverâ suâ amplitudine excedant effectum*, id est, latius pateant effectu, qualis erat illa, cujus idem meminit, Anacharsis Philosophi Scythici probatio, quâ interrogatus, *cur in Scythiâ non essent tibicines*, respondit, ideò fieri, *quia in Scythia non essent vites*, qvod & Laertius in vitâ ejus refert, quasi scilicet causa Musicæ tibicinariæ vinum esset, quæ certè causa nim s quàm remota est.

CXLIV. Deniqve qvæstionem *cur* sit Philosophus probat demonstratione ἁπλῶς sic dicta, quæ & αἰτιώδης dicitur, qvoniam causam affert, cur res sit, sive simpliciter, sive tali vel tali prædita affectione. Hujus naturam & indolem cùm non omnes satis assequantur, hinc denuò fit, ut non parum Aristoteles ipsis in demonstrationibus suis videatur obscurus; aut non demonstrare putetur, cum tamen omninò demonstret. Et quidem cùm demonstratio definiatur *syllogismus, constans ex veris, primis, notioribus, prioribus & causis conclusionis*, ut constat ex lib. I. Post. II: sunt initio, qui existiment, demonstrationem esse unum solùm simplicem syllogismum, constantem ex duabus præmissis & unâ conclusione. Unde porrò cùm tales demonstrationes ubiqve in Aristotele non inveniant, minùs ἀκριβῶς eum in tractandis rebus astruunt fuisse versatum. Verùm hi longè à veritatis regulâ aberrant. Quamvis enim sint aliquæ conclusiones, quæ simplici syllogismo probari possint, sunt tamen longè plures, quarum demonstratio duabus propositionibus absolvi non potest, sed longè pluribus ad confirmationem illarum est opus. Qui dubitat, evolvat Euclidis scripta, quibus nihil accuratius, & consideret, qvomodo is problemata & theoremata sua demonstret. Facta enim demonstrationum resolutione, reperiet

 ita

ita, ut diximus, se rem habere. Sit exempli loco problema III. lib. I. Elem. Euclidis: *Propositis duabus rectis lineis inæqualibus de longiore earum breviori abscindere æqualem.* Sint datæ duæ rectæ lineæ inæquales linea a b & c d, & major sit a b, ab hâc abscindenda sit recta linea minori c d æqualis. Ut hoc fiat, ducenda primò à puncto a una linea æqualis c d, quæ sit a e. Hinc posito pede circini in puncto a describatur circulus, qui secet lineam a b secundum distantiam e c, quod fiet in puncto f, eritqve linea a f æqvalis lineæ a e, quia ambæ exeunt è centro ejusdem circuli ad circumferentiam. Ast linea a e æqvalis erat lineæ c d. Erit ergò eidem æqualis & linea a f. Hæc est summa demonstrationis probl matis istius, qvæ tamen non uno constat syllogismo, sed duobus. Qvod ex resolutione fit manifestum. Sic verò illa se habet: *Quæcunq; sunt æqualia eidem tertio, sunt quoque inter se æqualia. Ast linea a e & a f sunt æquales uni tertiæ, lineæ c d. E. & inter se sunt æquales.* Ex his major est immediata. Est enim axioma, & qvidem primum inter axiomata Euclidis. Minor autem est mediata, atq; ita porrò probatur: *Omnes lineæ à centro ad circumferentiam ductæ sunt æquales Lineæ a e & a f sunt lineæ à centro ad circumferentiam ductæ. Ergò sunt æquales.* Ex his ambæ sunt immediatæ. Minor enim patet ad oculum. Major autem manifesta est ex circuli definitione, quæ inter definitiones Euclideas libri primi est decima quinta. Alio exemplo ex Euclide petito hanc rem illustravimus lib. I. de variis sciendi generibus c.IV. Atq; hinc non malè aliqvi demonstrationem dividunt in simplicem & continuam, qvarũ illa tribus tantum constet propositionibus, nempe duabus præmissis & unâ conclusione (Arist. πρώτην ἀπόδειξιν appellat V. Met. III.) hæc autem plures habeat præmissas & conclusiones, qvarũ hæ subseqventiũ sint principia, usq; ad conclusionem principalem, adeò, ut demonstratio talis ad similem ferè se modũ habeat, qvo pro-

portio

portio in Mathematicis. Nam & hæc alia est simplex, qvæ tribus tantum constat terminis, qvalis est inter 2.4. & 8. Ut enim 4. bis continent 2. sic 8. bis continent 4. Alia continua, qvæ longè pluribus constat terminis, qvalis proportio est inter 2, 4, 8, 16, 32, 64. &c. ratio enim horum omnium dupla est. Item inter 2, 4, 6, 8, 10, 12, 14, 16, &c. æqvalis enim est horum ab invicem distantia, velut æque distant 6. à 4, ac 4 à 2. & sic deinceps.

CXLV. Neq; est, qvod quis excipiat, Aristotelem tamen disertè requirere ad demonstrationem, ut ex immediatis conficiatur lib. I. Post. c. II. §.6. Hoc enim nō ita est intelligendum, quasi omnes propositiones, ex quibus demonstratio constat (nisi eam, quam Aristoteles πρώτην vocat, excipias) debeant esse immediatæ, sed ideò id dixit, quod demonstrationes cunctæ, cujuscunqve etiam sint generis, vim omnem habeant à propositionibus immediatis. Non enim prius acqviescit intellectus noster in demonstrando occupatus, donec ad immediatas propositiones pervenerit, absque quibus dari non potest scientia rerum perfecta. Unde Aristoteles rursum I. Topic. I, §. 4. *demonstrationem*, ait, esse, cum *ex veris & primis syllogismus constat, vel ex ejusmodi, quæ ex veris & primis cognitionis suæ principium sumserunt.* Consentit Proclus lib. I. Theol. Platon. c. X. ita scribens: Αἱ ἀποδείξεις, ἐκ τῶν αἰτίων εἰσὶ, καὶ τῶν πρώτων ἁπανταχοῦ. Εἰ τοίνυν τὰ πρότερα συμπεράσματα τῶν δευτέρων αἴτια, τάξις ἐστὶν, αἰτίων καὶ αἰτιατῶν, ἐν τῷ πλήθει τῶν συμπερασμάτων, *Demonstrationes ubiq; constant ex causis & primis. Si igitur priores conclusiones sunt posteriorum causæ, in ipso utiq; conclusionum numero ordo erit inter causas, & ea, quæ à causis pendent.*

CXLVI. Porrò, declarans Aristoteles, qualis sit syllogismus demonstratio τοῦ διότι, aut ex quibus constet propositionibus, principio ait, propositiones, ex quibus scilicet compositus est, oportere esse *veras*. Hoc pleriq; ita exponunt, quasi lo-

si locutus sit de eo, quod πρώτως καὶ καθ' ἐξοχὴν verum est, h. e. necessarium, & requisiverit, ut omnis demonstratio ex propositionibus hâc ratione ex veris constet. Jam quidem non negamus, eum in definitione demonstrationis ejus, quod hoc modo verum est, præcipuè rationem habuisse. Sicut enim scientiam, sic & demonstrationem definivit omnibus numeris perfectam & absolutam, quod non est novum. In quacunq; enim re definire solemus primum & perfectissimum, idqve pro mensura reliqvorum, quæ ab eo longius aut minus longè recedunt, constituere, quod aliquot exemplis illustravimus Exercitatione peculiari de convenientia & differentia scientiarum activarum & effectivarum, nec non prudentiæ & artis, quæ tamen & ipsa lucem nondum vidit. Perfectissima autem demonstratio sine dubio ex propositionibus necessariis constat. Vid. I. Post. VI. Verùm ideò negandum non est demonstrationem esse, si syllogismus aliquis non inferat ex talibus propositionibus, quæ absolutam necessitatem habent, dummodo sint contingentes ut plurimum, & reliqua sint paria, quæ ad principia demonstrationum requiruntur. Neque enim, ut ibidem diximus, id pro distorto statim & pravo habendum est ac nomine ejus rei, quo primum insignitur, privandum, quod aliquantulum abit à primo illo & rectissimo, sicut non confestim formosa virgo esse definit, quæ tàm venusta & pulchra non est, ut ideam Zeuxis asseqvatur. Et qvot sunt in Physicis demonstrationes, quæ ex simpliciter necessariis non inferunt, sed solùm ex contingentibus ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Numquid autem eas demonstrationes esse negabimus; & in censum syllogismorum Dialecticorum aut Sophisticorũ, referemus? *Omnis syllogismus*, inquit Aristoteles, (per syllogismum demonstrationem intelligens, ut ex verbis proximè præcedentibus patet) efficitur ἢ δι' ἀναγκαίων, ἢ διὰ τῶν ἐπὶ τὸ πολὺ προτάσεων, lib. I. Post. c. xxx. Et I. *de cœlo* c. X. (XI.) t.102.

c. 102. ea ponenda esse ait, ὅσα ἐπὶ πολλῶν, ἢ πάντων ὁρῶμεν ὑπάρχοντα, *quæ in omnibus aut plurimis ita se habere videmus.* Consentit Galenus Cõm. IV. in lib. Hipp. de ratione victus in morbis acutis: Διδασκαλία, inquit, γίνεται διὰ τῶν καθόλου εἴρηται δ' ὅτι τῶν καθόλου, τὰ μὲν διηνεκῆ, τὴν α. ἔχει δύναμίν τε καὶ χρείαν, τὰ δὲ ὡς τὸ πολὺ τὴν β. ὅτι δ' ἀμφίδοξον, ἢ σπάνιον δεῖν ἄχρηστον εἰς τὴν διδασκαλίαν, *Doctrina*, ait, *omnis* (docere a. & demonstrare idem est, ut sæpe dictum) *ex universalibus nascitur. Quæ si perpetua fuerint, primam habent dignitatem & utilitatem, si verò magnâ ex parte, secundam; quod si anceps quippiam fuerit vel rarum, id ad doctrinam inutile censendum est.* Hæc ille. Quæ probè notanda sunt adversus illos, qui nullam dari scientiam activam aut effectivam, etiam ex mente Aristotelis, clamitant ex eo capite, quod Aristoteli scire sit demonstrationem cognoscere, demonstratio autem ex principiis ἁπλῶς necessariis sit composita, qvorum tela, nisi fallimur c. I. n. XXXVII. & seq. satis sunt retusa.

CIIII. Deinde reqvirit Philosophus ad propositiones apodicticas, ut sint *prima* h. e. indemonstrabiles. At non rarò ipse utitur in aliquâ scientiâ principiis qvibusdam, velut primis, quæ tamen alibi ex prioribus demonstrat. Quomodo ergò demonstratio omnis, inquiunt, est ex primis? En novam obscuritatis causam! Cui tamen facili negotio medicina paratur. Primum enim apud Aristotelem in scientiis dicitur dupliciter, nempe ἁπλῶς ἢ κατά τι, *simpliciter, & secundum quid.* Ex quibus est, quod planè nullum medium agnoscit indeq; indemonstrabile omninò, veluti est primum illud axioma, *impossibile est idem simul esse & non esse.* Hoc autem dicitur, qvod, licet demonstrari possit per prius medium, superius tamen aliquod se non agnoscit in certâ aliquâ scientiâ, sive in certo genere, adeoqve in ista scientia, in qua principii locum obtinet, non demonstratur. Unde Philosophus lib.

 I. Post.

I. Poſt. c. X. §. 1. *Λέγω δ' ἀρχὰς*, inqvit, *ἐν ἑκάστῳ γένει ταύτας, ἃς, ὅτι ἔστι, μὴ ἐνδέχεται δεῖξαι*, *principia in quoq; genere appello, quæ quod ſint, non contingit demonſtrari*, nempe in eâ ſcientiâ, cujus ſunt principia: in alia enim ſuperiori demonſtrari ea nihil prohibet. Quoties namque accidit, ut principia unius ſcientiæ ſint concluſiones alius cui, altera illa eſt ſubalternata? Veluti principia Muſicæ ſunt concluſiones in Arithmetica, & principia Opticæ ſunt concluſiones in Geometria, ubi ratio affertur eorum, quæ ab Optico, ut alibi demonſtrata, præſupponuntur. Unde *Opticus* dicitur ſolùm ſcire, *quod ſit*, *Geometra* autem etiam *cur ſit* I. Poſt. XIII. §. 16. In Medicinâ quoqve ponuntur multa ſine demonſtratione principia, quorum rationem & cauſam Phyſicus affert. Deniqve reliqvarum ſcientiarum, quæ aliis ſubalternatæ non ſunt, principia confirmantur ab eâ, quæ omnium communis eſt, nempe à Philoſophia prima. Hæc enim principia communia conſiderat, ad qvæ propria cujusqve principia reducuntur. Qvin & communia eadem inter ſe confert & unum ad aliud reducit, usq; dum ad primum in quovis genere perveniat, qua de re infra erit commodior dicendi locus. Hanc indicat Philoſophus I. Poſt. c. XI. §. 7. quando mentionem facit ſcientiæ, quæ univerſaliter probat communia principia, ut ſunt, de quacunqve re affirmationem aut negationem eſſe veram, ab æqualibus ſi æqualia demantur, quæ remanent, eſſe æqualia, & alia ejusmodi. Item lib. I. Phyſ. c. II. t. 8, cum ait, ad Geometram non pertinere hoc, ut ſerram contentionis cum eo reciprocet, qui principia ejus deſtruit, ſed hoc eſſe aut alterius ſcientiæ, aut ejus, quæ omnium communis eſt. Jam certum quidem, eum demum, qui in principia ſimpliciter prima res omnes reſolvere novit, maximè eſſe ſcientem, ut docet & Ariſtoteles I. Poſt. IX. §. 5, nec aliâ de causâ Philoſophia prima dicitur ſcientiarum omnium perfectiſſima, item *ἀρχικωτάτη*, I. Met. II. & *κυρία πάντων* loco ex Poſt. cit.

ad ſcientiam tamen in ſuo genere perfectam id non requiritur, ſed ſufficit, ſi in ea principia facta fuerit reſolutio, quæ in iſto genere principia exiſtunt. Qvod ubiq; obſervat Philoſophus. Ex prioribus enim principia cujusqve ſcientiæ propria nunquam probat, ſed præſupponit ea, donec tandem in Philoſophia prima, velut univerſali diſciplinâ & horum rationes aſſignet.

CXLVIII. Tertiò, & hoc exigit Philoſophus, ut principia demonſtrationis ſint γνωριμώτερα, *notiora concluſione*. Omnis enim diſciplina διανοητικὴ ex antecedente acquiritur cognitione, quam aliàs πρόγνωσιν dicimus, ſeu prænotionem, ut vocem Græcam Cicero vertit. Epicurus autem πρόληψιν vocat, quam idem auctor reddidit anticipationem. Docet autem id, qvod dixi de diſciplinâ dianoëticâ Ariſtot. I. Poſt. c. I. §. I. & I. Met. VII. nos autem id per inductionem itidem alibi fuſius declaravimus, nempe in libris de variis generibus ſcientiarum. Sed hîc iterum Ariſtoteles ſibi non conſtitiſſe multis videtur. Quoties enim, inquiunt, utitur principiis, qvæ quamplurimis minus ſint clara, quàm ipſæ, quas ex illis deducit, concluſiones? At noſſe oportet, quod non neceſſarium ſit, ut præcognita illa, ex quibus demonſtratio conſtat, cuivis ſint clariora, ſed ſufficit, ſi ſint clariora viris ſapientibus & ratione benè conſtitutâ præditis. Hæc enim ſunt ἁπλῶς & naturâ ſuâ γνωριμώτερα, perinde, ut in Practicis bona ſimpliciter & naturâ ſuâ illa dicuntur, quæ bona iis, qui benè affecti ſunt ab animo & virtutibus Ethicis inſtructi, & ſalubria naturâ ſuâ vocantur, quæ hominibus benè valentibus & in perfectâ maturitate corporis conſtitutis ſunt ſalubria. VI. Topic. cap. IV. Ex talibus conſtare oportere demonſtrationem paſſim docet Ariſtoteles, cumprimis I. Poſt. II. §. 10. Et res manifeſta eſt. Ille enim demum ſyllogiſmus, qui ex talibus conſtat, aptus eſt ad gignendam ſcientiam, VI. Top. IV. §. 4. cum ſcire ſit rem per cauſas

 cogno-

cognoſcere, quæ ſemper ſunt naturâ ſua clariora iis, quorum ſunt cauſæ I.Poſt. II. demonſtratio autem eſt ſyllogiſmus ἐπιστημονικὸς, h.e. talis, qui ſcientiam parit. Unde, ut hoc iterum obiter moneamus, apparet, qvanta ſit vanitas eorum, qui in aſſignandis rerum cauſis ad qualitates occultas confugiunt. Qvid enim ex occultis demonſtrabunt, ſi demonſtratio omnis eſt ex notioribus & clarioribus? Licet enim non omnibus hæc ſint talia, ſunt tamen talia aliqvibus, nempe ſapientibus, ut diximus. Intellexit hoc Galenus, atq; ideò in eorum numero, qui nihil docent, cenſet cumprimis & eos, qui in demonſtrando ad occultas confugiunt cauſas. Διττὸς, inquit, ὁ τῶν μηδὲν διδασκόντων ὁ τρόπος. ἐνίων μὲν εἰς ἰδιότητα καταφευγόντων ἄῤῥητον, ἐνίων δὲ λεγόντων μὲν ὀνόματα, μήτε δ᾽ ἃ σημαίνει φυλαττόντων, μήθ᾽ ὃ βούλονται σημαίνειν ἑρμηνευόντων, *Eorum, qui nihil docent, duplex eſt inſtitutum, alterum eorum, qui ad proprietatem, quæ exprimi nequeat, confugiunt: alterum eorum, qvi proferunt quædam nomina, nec tamen, quæ ſignificant, obſervant, nec quam illis ſignificationē tribuunt, interpretantur*. Hæc ille lib. III. præſag. ex pulſu c.V. Sed & obſervatu digna ſunt, quæ hac de re apud Plutarchum leguntur II. Sympoſ. quæſt. VII. Meminit ibi Chæremoniani cujusdam Tralliani, eumqve retuliſſe ſcribit, vidiſſe ſe, cum mare Siculum navigaret, piſcem, quem Græci echeneidem, Latinì remoram appellant, & admiratum fuiſſe ejus vim, qvod navigationi non exiguam tarditatem moramqve injiceret, donec tandem à proretâ captus fuerit, exteriori parti navis adhærens. Addit, non defuiſſe, qui Chæremonianum riſerint, tanqvam qvi fabulam & incredibile figmentum pro reipsâ accepiſſet. Alios autem dicit fuiſſe, qvi ἀντιπαθείας jactarint & multa hujus generis commemorarint, veluti, qvod elephas furens conſpectò ariete inſaniâ ſolvatur, qvod vipera ſiſtatur, ſi fagi termite admoto contingatur, qvod taurus agreſtis ficui alligatus quieſcat, qvod ſuccinum omnia levia ad ſe trahat, ocimo demto &

iis,

iis, qvæ oleo sunt imbuta, qvod magnes allio inunctus ferrum non trahat, sed eos existimasse, horum & similium causas assignare esse difficile, imò fortè & impossibile. Verum qvid ad hæc Plutarchus? ἐγὼ δὲ, ait, τοῦτο μὲν ἔφην ἀπόδρασιν εἶναι τῆς ἐρωτήσεως μᾶλλον ἢ τῆς αἰτίας ἀπόδοσιν, *Ego verò dico, hoc subterfugium esse potius disquisitionis, quam causæ redditionem.* Non sic Aristoteles, qvi omnia reducit ad principia & notiora, nihilq; astruit, qvod non ex illis per inductionẽ ante manifestatis & declaratis ultrò seqvatur. Quâ de causâ &, teste etiam Simplicio, *tanta ejus demonstrationibus vis persvadendi inest, quæ necessariò cogat, ut si quis non assentiatur illi propter opinionem aliquam præconceptam, cogatur tamẽ obmutescere, nec contra vel hiscere ausit.*

CIL. Interdum tamen ad talia principia reductionem facere non potuit, quod illa, de qvibus, agebat essent maximè universalia & à sensibus remotissima, aut rationem omnem transcenderent: & tùm aut dialecticis rationibus propositum adstruxit, satis esse ducens, si πρὸς δύναμιν reductio fieret, quâ de re jam diximus supra: aut alii, præsertim cũ de Deo dissereret, illud considerandum & confirmandum reliquit, qvi potentioribus rationibus esset instructus. Non posse enim sufficienter per lumen naturæ parari, quæ ad notitiam DEI & divinarum rerum pertinent, ut Pythagoram & alios inter gentiles sapientes non latuit, sic nec Aristotelem fugit. Ideò enim lib. I. Met. II. de harum scientiâ verba faciens: Ἣν, inquit, μάλιστ' ἂν ὁ Θεὸς ἔχοι, θεία τῶν ἐπιστημῶν ἐστι, κἂν εἴ τις τῶν θείων εἴη, *Quam igitur DEUS habet, divinissima omnium scientiarum, & si qua rerum divinarum existat.* Et paulò ante: Διὸ δικαίως ἂν οὐκ ἀνθρωπίνη νομίζοιτο αὐτῆς ἡ κτῆσις, καὶ κατὰ Σιμωνίδην, θεὸς ἂν μόνος τοῦτ' ἔχοι τὸ γέρας, *Quapropter merito non humana ejus possessio putabitur, & secundum Simonidem DEUS solus habet hanc dignitatem.* Et lib. II c. I. novirens rationem, cur ea, qvæ prima omnium & à materiâ abstracta sunt, nobis cognitu adeò

 diffi-

difficilia ſint, cauſam omnem in nos derivat: *Fortaſſis*, inqvit, *cauſa ejus, non rebus, ſed nobis ineſt. Quemadmodum enim veſpertilionum oculi ad lumen diei ſe habent: ita & intellectus animæ noſtræ, ad ea, quæ manifeſtiſſima omnium ſunt*, nempe naturâ. Prima namqve & ſeparata à materiâ, ſuâ naturâ quidem ſunt evidentiſſima, nobis autem cognitu difficilia, qvod à ſenſibus, à quibus omnis noſtra cognitio incipit, ſint remotiſſima. Quam rationem addit lib. I. de Part. Animal. c. V. ubi pauca nobis de DEO cognita eſſe aſſerit, *ideo, qvod admodum pauca illius ſenſui pateant*. Aliunde ergò defectum ſupplendum eſſe cenſuit, ſine dubio ex divinâ revelatione. Unde paſſim inter humanas demonſtrationes & his ſuperiores diſtinguit, quod cum ad intelligenda non pauca, quæ in Ariſtotele de hac re occurrunt loca, conferat, adduxiſſe aliqua ex illis non pœnitebit.

C L. Initio eſt notabilis locus ex I. Ethic. X, ubi de felicitate ita ſcribit: *Si qvod donum eſt hominibus à DEO datum, rationi conſentaneum eſt, felicitatem eſſe θεόσδοτον, divinitus datam. Verum id decernere fortè alterius eſt σκέψεως.* Cujus vero? Andronicus Rhodius, aut qvicunqve Auctor eſt Paraphraſeos librorum Ethicorum Ariſtotelis lib. I. c. XVI. ait, negotium hoc pertinere ad illam πραγματείαν, quæ περὶ προνοίας, *de providentia*, diſputat. Euſtratius quoque dicit de re iſtâ differere eſſe τῶν περὶ προνοίας λόγων οἰκειότερον καὶ θεολογικῆς θεωρίας ἐχόμενον, Ubi non veriſimile eſt, Euſtratium per θεολογικὴν θεωρίαν Philoſophiam primam intellexiſſe, quam aliàs Ariſtoteles ipſe θεολογίαν appellat VI. Met. I: qvoniam hâc de re ab Ariſtotele ibi actum non eſt, neqve ex ſolo naturæ lumine, quô ut aliæ ſcientiæ Philoſophicæ, ſic & Philoſophia prima nititur, in quo conſiſtat felicitas illa, qvæ divinitus homini conceditur, determinare conceſſum eſt. Probabile ergò eſt, Ariſtotelem dicto l. per πραγματείαν illam, cujus

jus meminit, intelligere aliam de DEO & rebus divinis scientiam, quæ superiori aliqvo nitatur principio, quàm Theologia naturalis, quæ qvidem est ipsa Theologia revelata, nixa lumine revelationis, ex qvo supplendum est, in qvo lumen naturæ deficit. Unde & I. Eud. I. in dubio relinquit, an felicitas divino qvodam afflatu nobis adveniat tanquam simus ἐνθουσιάζοντες, *divino numine acti.* Hoc enim decidere istius πραγματείας non erat, sed alius, ea, quæ captum nostrū transcendunt, considerantis. Non dissimilia his sunt, quæ habentur VII. Ethic. c. I: *Si ex hominibus,* inqvit, *fiunt aliqui Dii ob virtutis excellentiam, sicut ajunt, talis habitus erit, qui feritati opponitur,* &, ut paulo ante dixerat, ὑπὲρ ὑμᾶς, *supra nos est,* virtus sc. heroica & divina, dubitanter loquens, & nihil certi determinans, quasi indaginis id sit altioris. Sed nec prætereundus est locus, qui reperitur II. Eud. c. VIII. ubi laudat illud Philolai, dicentis, *qvasdam rationes esse nobis potentiores.* Porrò lib. I. de cœlo cap. III. t. 22. disserens de loco, in quo DEUS residet, dicit, *omnes homines tam Græcos, quàm Barbaros quoscunq; qui DEOS esse putant, DEO tribuere locum, qui sursum est,* & subdit: *Accidit autem & hoc sufficienter dixisse* πρὸς ἀνθρωπίνην πίστιν, *quoad humanam fidem,* innuens hoc ipso, naturalibus rationibus nihil aliud posse evinci, qvàm hoc, quod DEUS sit in supremo loco, in cœlo, secundum substantiam, quod & fusè alibi ostendit, videlicet libro de mundo, si tamen ipse ejus auctor est, cap. VI. (XI.) an autem & alibi eo modo præsens sit, id exuere ait ἀνθρωπίνην πίστιν, & postulare potentiorem aliquam demonstrationem. Præterea II. de cœlo cap. V. t. 34: *videndum esse,* inquit, *quo pacto quis se habeat in credendo, utrum humano more,* ἀνθρωπίνως, *an,* καρτερώτερον, *validius: iis* enim *gratias agendas esse, qui* ἀνάγκας ἀκριβεστέρας *adipiscuntur.* Adhæc lib. III. Met. c. IV, scribit, Hesiodum, aliosqve veteres Theologos ὑπὲρ ὑμᾶς, *supra vires nostras, dixisse,*

xisse, h.e. talia protulisse, qvæ naturaliter cognoscere non valeremus. Deniq; lib. XII. c. IIX. colligens numerum substantiarum separatarum sic loqvitur: *Tot rationabiliter arbitrandum est esse. Quod autem necessarium est τοῖς ἰσχυροτέροις, potentioribus, relinqvendum est*, quasi dicat iis, quibus rationes plus quam humanas adducere in promtu est. Et paulò post, ait, *tradita quædam esse à majoribus admodum antiquis, quæ in istum usq; diem sint reservata, & minimè improbanda.* Sed hac de re alibi plura.

C L I. Ex dictis interim non obscure colligitur, quàm iniqui censores sint, qui ideò in Aristotelem invehuntur, quod exquisitè de rerum naturalium principiis disserere constituens creationem mundi, itemqve providentiam, quâ DEUS rebus singulis prospicit, ac similia, ne tetigerit qvidem. Quasi verò hæc ex iis, quæ per inductionem clara sunt, probari possint, in quæ tamen resolvi necesse est cuncta, quæ per naturæ lumen solidè evinci debent. Potentioribus hæc suffulta sunt demonstrationibus, qvas præter Aristotelem, ut hoc qvoqve, velut in transcursu, moneamus & Plato agnovit, manifestè inter ἀνθρωπίνους & θείους λόγους distingvens. Sic enim ille inter alia in *Phædone*: Δεῖ, inquit, βέλτιστον τῶν ἀνθρωπίνων λόγων λαβόντα, καὶ δυσεξελεγκτότατον, ἐπὶ τούτου ὀχούμενον, ὥσπερ ἐπὶ σχεδίας κινδυνεύοντα διαπλεῦσαι τὸν βίον, εἰ μή τις δύναιτο ἀσφαλέστερον καὶ ἀκινδυνότερον ἐπὶ βεβαιοτέρου ὀχήματος, ἢ λόγου θείου τινὸς διαπορευθῆναι. *Oportet optimâ solùm & quæ ægrè redargui possit ex humanis rationibus acceptâ in ea velut in rate vehi & cum periculo vitam pernavigare, si quis non securius possit & minore cum periculo in firmiore vehiculo aut ratione aliquâ divina penetrare.* Potentiorem autem istum λόγον continet revelatio, cui nos omninò credere fas est, etiamsi tale quid prodat, quod superet fidem humanam. Fieri enim non potest ullâ ratione, ut DEUS, qui ipsissima veritas est, ludificet homines

nes, ὅτι κατὰ φαντασίας, ὅτι κτ. λόγες, ὅτι κτ. σημείων πομπαῖς, ἔθ' ὕπαρ ἔδ' ὄναρ, ut iterum Plato loquitur Lib. II. de Rep. *neq; per visiones, neque per sermones, neque per signa immittens, neque vigilantes & reverà cernentes, neque somniantes.* Atque hinc absurdum esse ait, si quis fidem derogare velit Deorum filiis, id est, divino numine afflatis, καὶ πὲρ ἄνευ τι εἰκότων ἢ ἀναγκαίων ἀποδείξεων λέγεσιν, *etiamsi absque verisimilibus & necessariis demonstrationibus dicant.* At aliud fides est, quæ divino nititur testimonio, & principium est Theologiæ, quam vocamus revelatam, aliud scientia, quæ ex humana demonstratione nascitur, & attenditur in Philosophiâ. Quæ duo & Simplicius optimè distingvit, sic scribens Commentario in Epictetum cap. XXXIX: Μήποτε ἂν τὰ ἀποδείξει λογικῇ λέπτα, δι' ἀποδείξεως δεῖ μανθάνειν, ὅτω γὰρ ἡ ἐπιστημονικὴ γίνεται γνῶσις, ἐὰν ἀπὸ τ̃ αἰτίας ἡ ἀπόδειξις γένηται· τὸ δὲ ἀκῦσαι παρὰ θεῦ ὅτι ἀθάνατός ἐστιν, ἡ ψύχη, πίστιν μὲν ποιεῖ βεβαίαν, ὡς εἰκὸς, ἐ μὲν τὸ ἐπιστήμην τ̃ πράγματος, *Videntur ea, quæ ratione percipi ac demonstrari possunt, ex demonstratione cognoscenda esse, sic autem scientifica parabitur cognitio, si per causam demonstratio facta fuerit. Audire autem ex Deo, immortalem esse animam, fidem quidem firmam parit, uti par est, non tamen rerum scientiam.* Hæc ille. At inter hæc, quæ ratione percipi non possunt, sed Deo revelanti creduntur, numeratur & providentia Dei, quatenus ea ad minima quæque extenditur, item creatio mundi & hujusmodi alia. Πίστει, inquit Apostolus ipse, de creatione mundi loquens, νοοῦμεν κατηρτίσθαι τὰς αἰῶνας ῥήματι Θεῦ, εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι, *Fide intelligimus perfecta fuisse secula verbo Dei, ut ex his, quæ non apparebant, ea, quæ videntur fierent* in Epistolâ ad Hebræos: XI, 1. Τίς γὰρ ἰσχὺς λογισμὸς τῦτ παραστῆσαι; τὰ ἐκ τῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παραχθέντα; δεῖ ἂν αὐτῷ πίστει εἰδέναι, scribit in ista verba Oëcumenius in Comm. cap. XVI. *Quæ enim ratio id posset demonstrare, secula deducta esse ab esse ex eo, quod*

non erat? Oportet itaq; sibi fide id persuadere. Non potuit ergò de his Philosophus agere in scriptis suis Philosophicis, quippe in quibus id solùm pensi habuit, quod ratione assequi ipsi licuit ex principiis per inductionem claris & perspicuis, ex quibus cum ista cognoscere non potuerit, ea tangere nec voluit, nec debuit, sed alii superiorem scientiam profitenti relinquere, ne cœcus judicaret de coloribus, vel audire cogeretur illud: *Ne Sutor ultra crepidam*, quod Apellem olim Sutori alicui in perfecto opere crus cavillantem objecisse testis est Plinius lib. XXXIV. cap. X. aut quod Stratonicus Citharœdus fabro, secum de Musicâ contendent, regerebat. *Non sentis te ultra malleum loqui*, ut est apud Athenæum.

CLIII. Deniq; ad principia demonstrationis Philosophus requirit & hoc, ut sint causæ conclusionis, & quidem non solùm conclusiones, quatenus ea infertur ex præmissis, sed & rei in conclusione significatæ. At hîc rursus Aristoteles non paucis fit obscurus, quod mentem ejus non satis assequantur. Cùm enim II. Post. XVII. §. 2. *medium demonstrationis* dicat esse *definitionem extremi*, definitio autem sit λόγος, formam rei exprimens, existimant demonstrationem omnem desumendam esse à formâ, à quâ cum non videant omnes, quibus Aristoteles utitur, demonstrationes esse petitas, hæsitant, aut non accuratè illum putant demonstrasse. Sed malè. Cum enim causæ sint quatuor, *forma*, *finis*, *efficiens* & *materia*. II. Phys. III. V. Meteor. II. II. Poster. XI. §. 1. quid impedit, quô minus ex omnibus his causarum generibus petatur demonstratio? quippe quæ nihil aliud est, quàm syllogismus causam afferens, hâc ipsâ de causâ & αἰτιώδης dicta. Certè ipse Aristoteles fusè docet, cùm II. Post. XI, cùm II. Phys. VII. per omnia causarum genera demonstrare licere. Ex *formâ* enim, quæ nihil aliud est, quàm τὸ τί ἦν εἶναι, quod definitione explicatur II. Phys. III. demonstrant Mathematici V. c. Geo-

metræ ex formâ seu definitione puncti, trianguli, lineæ, anguli [illegible] recti &c. Unde & definitio dicitur *ultimum, ad quod tanquam ad causam, cur sit, Geometra provocat.* At Physicus non ex formâ solùm, sed ex aliis qvoqve causis demonstrationes suis nectit, veluti, cum quæ sit causa somni rogatur, respondet per *causam efficientem*, dicens, quod vapores id efficiant ex ventriculo in caput ascendentes nervosqve sensorios, per qvos spiritus delabuntur ad sensus externos, obstruentes. Inde enim fit, ut sensus ligentur, nec possint in actiones suas incumbere lib. de somno & vigiliâ cap. III. II. Part. An. VII. Ex *materia* non raro demonstrat Physicus, velut ossa esse dura ex eo, qvod terreæ sint sortis: esse corruptioni obnoxia, ex eo, qvod ex tali constent materiâ, qvæ vim insitam habet *ἀντιφάσεως*, i.e. contradictionis. Deniqve & à *fine* demonstrationes desumit. Velut causam assignans, cur cuiqve parti viventi tributa sit facultas retentrix attractorum alimentorum, ideò id fieri dicit, quod in unaquaque parte fieri debet concoctio & alimentorum attractorum transmutatio, quæ in momento fieri non potest. At hæc ratio à fine absqve dubio petita est, per quem & alia quam plurima demonstrat, inprimis, cum causam assignat affectionum cujusqve partis in corpore organico, veluti, cur oculus tot tunicis & humoribus & quidem tali modo & ordine dispositis constet, & si qvæ sunt id genus alia. Organa enim hæc sunt. Organa autem *usu* ceu fine metimur & definimus I. Part. An. V. Ex eodem causarum genere non paucæ qvoq; in disciplinis activis & effectivis demonstrationes depromuntur. Id enim finis est in hisce scientiis, qvod hypothesis in Mathematicis VII. Eth. IX. 1. Eud. IIX. II, XI. Neq; verò his obstat, quod Aristoteles II. Post. XVII. §. 2. dicit, *medium terminum* demonstrationis esse *definitionē extremi*, i.e. majoris termini. Jam n. constitit supra, definitiones τῶν πάθων non à formâ solùm peti, sed ab aliis quoq; causis, imò eam, qvæ à forma petitur, definitionē non esse prin-

 cipium,

cipium, sed conclusionem potius demonstrationis. Unde & Aristoteles ipse rursum VII. Met. XVII. disertè dicit, τὸ τί ἦν εἶναι, qvod per definitionem causalem affectionum expeditur, esse in nonnullis τὸ οὗ ἕνεκα, *cujus gratia*, velut in domo & lecto: in nonnullis autem id, quod primum movit. In eandem sententiam scribit Eustratius in VI. Ethic. c. I. quod *definitiones aliquæ cognitionis sint principia, finis autem & efficiens sint causæ essentiæ.* Ex his enim potissimum causis propria πάθη demonstrantur, quæ tamen simul sunt causa subjecti, & qvidem aliquando, ut forma. Λόγος enim sive ratio est docilitatis causa efficiens, at hominis, de qvo demonstratur, forma. Subjectum autem primum quod æqualem propensionem habet ad formas contrarias, materia est corporum sublunarium, ast causa efficiens corruptibilitatis, quæ deprehenditur in illis. Sed & evenit interdum, ut plures subjecti causæ una fiant affectionis causa, præsertim materia & finis, ut acumen dentium tum ex osse interiore, quæ dentium materia, tum ex usu, qui est incisio ciborum & finis dentium, infertur. Deniqve, & hoc nonnunquam accidit, ut causa majoris extremi coalescat ex aliqua causa subjecti & qvapiam re externa, velut eclipsis Lunæ pendet tum à natura Lunæ, qvæ est opaca & minor terrâ, ita ut ab illa lumen, qvod ex Sole alioquin in Lunam derivatur, possit intercipi, tum ab ipsâ diametrali interpositione terræ. Hoc autem qvoties contingit, cuncta illa, ex qvibus coalescit causa simul sumta, medii loco ponenda sunt. Juncta enim invicem demũ unam causam προσεχῆ absolvunt aut constituunt. Et hinc Aristoteles scire ait idem esse, quod per causam, non per causas cognoscere I. Post. II. §. 1. Quanqvam fortassis nec incommodè ideò id factum dici posset, ut aliam rationem, de quâ paulò post, hic subriceamus, quod causæ illæ plures, ex quibus demonstratio procedit, certa serie & ordine inter se sint connexæ, ut una ad alteram tanquam prio-
rem

rem referatur, usqve ad primam. Neque enim omnes causæ æqve primæ sunt, sed sæpe una reducitur ad alteram, veluti materia ad finem. Finis enim rerum est naturâ prior materiâ, ex qua consistunt. Velut finis ossium, qui est fulcire carnem, natura prior est eorum materia, & causa, propter quam ossa constant ex tali materiâ, v. c. terrâ, II. Phys. VII. Unde & ex fine demonstratur, quod & ipsum notavimus jam ante.

CLIV. Hoc loco autem id observandum adhuc est, contingere interdum, ut à sapientibus viris, etiam in assignandis affectionum causis, aliqua earum omittatur: idqve iterum aut brevitatis studio, quia illa, quæ omittitur, nimis evidens est & facilè suppleri potest: aut sanè ideò, quod res illa, de quâ agitur, non omnibus gaudeat causis. Est hoc frequentissimum in Aristotele, qui ideò à multis malè audit, quod existiment ad perfectam rerum quarumcunque naturalium, cognitionem omnium causarum notitiam requiri. Ita in Metereologicis ex materia fermè solum & efficiente demonstrat, posthabito fine. In aliis autem, veluti in doctrinâ de partibus animalium, oppositam sequitur viam. Verũ multis modis hi errant, & nil nisi ignorantiam suam produnt. Nam præter id, quod modò diximus brevitatis amore interdum causa, quæ nimis perspicua est, ab aliis qvoqve omitti solet nec omnia, etiam ex iis, quæ naturâ constant, quascunqve agnoscunt causas. Ita multa sunt in natura, quæ non gaudent proprio fine. E. gr. Eclipsis Lunæ (hujus enim quod nullus finis sit, totidem verbis docet Philosophus IIX. Met. IV.) & alia talia, quæ ex necessitate materiæ ab eodem fieri dicuntur, veluti pluvia, quæ fit ascendentibus vaporibus, ibidem condensatis & iterum descendentibus, ad eundem modum, quo catarrhi fiunt in animali II. Part. An. VII. quorum ut finis aliquis non est, nisi per accidens, ita nec pluviæ per se est finis. Quid enim juvat, si cadat super

mare, super scopulos, super tectum? Quod si autem in agros fertiles cadat, habet quidem usum aliquem, sed hoc est ex accidenti? Huc pertinent omnia ista πάθη, quæ *Alexandro* dicuntur συμπτωματικὰ, qualia sunt reciprocatio maris, tremor terræ, halo circa Lunam & similia. Equidem non negamus in nonnullis necessitatem finis cum necessitate materiæ coincidere, sicut videmus in floribus, qui sunt partim propter finem, ut propagetur species; partim autem resultant ex necessitate materiæ, elatis scilicet spiritibus quibusdam tenuibus ex inferioribus plantæ partibus, qui tantisper tegunt semen, donec alia natura sibi paret tegumenta. Quò referenda sunt & ista Theophrasti ex VII. Hist. Plant. XIV: ὅσα δὲ ἀνθεῖ ἢ βλαστάνει, ἀκολουθοῦντα τοῖς ἀγρίοις, οἷον τὸ ἡλιοτρόπιον καλούμενον, καὶ ὁ σκόλυμος ἔτι δὲ τὸ χελιδόνιον, ταῦτα δὲ δόξειεν ἂν τῇ μὲν φυσικὴν ἔχειν τὴν αἰτίαν, τῇ δὲ συμπτωματικὴν, *Quæ florent & germinant certo anni tempore, velut solaris vocata & carduus, item hirundinaria, hæc partim naturalẽ partim symptomaticam sive coincidentẽ habent causam.* Hoc est, quod florent & crescunt, id naturæ ipsorum est & à natura intentum; at qvod se ostendunt hoc tempore, non alio, id pendet à materiæ necessitate. Verum utut hæc ita se habeant, alia tamen sunt, qvæ cum nullum usum aut finem per se obtineant (unde & naturæ per se proposita non sunt) res tamen ei propositas seqvuntur, aut ex necessitate materiæ iis accidunt. Tales sunt, ut diximus, catharri, itemqve nævi in corpore animali. Unde enim hi nisi ex materiâ, ex qua natura animal formavit, ita vel ita dispositâ? Huc respexit sine dubio Galenus V. de usu part. c. III. dicens, ἔνια εἰς οὐδεμίαν χρείαν γίνεσθαι, ἀλλ' ἑτέροις ἐξ ἀνάγκης ἕπεσθαι, καὶ οὐδὲ μόρια εἶναι, ἀλλά τινα συμπτώματα, *quædam fieri nullius usus gratia, sed sequi quædam alia, quæ fiunt necessariò, non ut partes, sed ut quædam coincidentia.* Ad hoc autem genus pertinent qvoqve meteora & alia, de qvibus in Metereologicis tracta-

tur

tur. Fiunt, inqvam, & illa ex neceſſitate materiæ, ac præter hanc cauſam & efficientem cauſam ſibi vendicant, alias, ex quibus demonſtrari quid de iis poſſit, non item, ſicut ipſe docet lib. I. Meteor. c. II. & IV. Atq; hinc & non aliter definiuntur, niſi per materiam, ſpeciem affectionis, & cauſam efficientem. E. gr. Glacies definitur aqua à frigore congelata: metalla definiuntur vapores cum quâdam exhalatione à frigore coacti, & ſic in cæteris. Præter hæc ſunt alia, quæ finem quidem habent, at aliâ cauſa deſtituuntur, velut cœlum. Hoc namqve finem qvidem habet, at non efficientem cauſam ex ſententiâ Ariſtotelis. Neqve enim cœpit per motum. (cauſa efficiens autem eſt, *unde eſt principium motus*, II. Phyſ. III.) ſed à DEO pendet tanquam à primâ formâ. Mathematica autem neqve finem habent, neque materiam, ſed neqve efficientem cauſam agnoſcunt, qvoniam ſunt *ſine motu* I. Met. VII. II, II. I. Part. An. I.

CLV. Deinde ſunt qvidem aliqua, quæ omnes quatuor cauſas agnoſcunt, at non neceſſe eſt ubique iſtas omnes exprimi, cum demonſtrari quid debet. Interdum quidem accidit, ut omnes quatuor cauſæ notabiliter concurrant ad conſtitutionem rei, ut ſi una omittatur, aliquid rei deſideretur. Quod cum contingit, omnes cauſæ ſunt afferendæ. Quod ſi verò contra res non ita ab omnibus cauſis pendeat, poſſunt ſanè illæ ſine jacturâ exquiſitæ cognitionis, à quibus res cognoſcenda primò non pendet, omitti. Sic cùm efficiens ſolùm ſit cauſa rerum quæ fiunt, & quatenus fiunt, juxta VII. Met. ult. & illud Themiſtii: *Materia eſt cauſa rebus, ut fieri poſſint, efficiens ut fiant, forma ut ſint*, in rebus jam factis cauſa efficiens ignorari poteſt, e. g. domus res facta eſt, de eâ itaq; perfectam cognitionem habere poſſum, licet neſciam, à quo ſit exſtructa, qvamvis ſine efficiente producta non ſit. Quæ & ipſa forte una inter cauſas eſt, ob quas Ariſtoteles dicit

ſcien-

scientiam esse cognitionem non *causarum*, sed *causæ*, quia in nonnullis ad perfectam cognitionē sufficit eam nosse causam, à quâ primò res pendet. Illa autem una est in genere unoquaq; Veluti hæc res primò pendet ab *efficiente*, ut ea quæ fiunt, quatenus fiunt: alia primò à *conservante*, quæ ad causam efficientem reducitur: quædam à *formâ*, ut res, quæ jam sunt, pleræque, quod forma det esse rei: quædam à *materia*. Quod enim substantia aliqua sit corruptibilis, id materiæ refert acceptum, quæ causa est omnis corruptionis: quædam deniq; à *fine*, ut instrumenta omnia, sive naturalia ea sint, sive artificialia, aut quocunque tandem nomine veniant. πᾶν γὰρ ὄργανον ἕνεκά του, inquit Aristoteles I. Partib. V, *Omne instrumentum est alicujus*, id est, *usus aut finis gratiâ. Non enim sectio*, addit, *serra causâ facta est, sed serra sectionis ergo*, quia sectio est quidam usus serræ, imò causa, à quâ vis & essentia serræ pendet.

CLVI. Patet verò etiam ex his, quanta sit infirmitas eorum, qui Aristotelem negligentiæ cujusdam insimulant, quod assignans qualitates, quibus mediantibus cœlestia in hæc inferiora agant, solius luminis & motus mentionem fecerit, influentias autem omiserit. Quid enim sunt influentiæ istæ, quas illi tantopere jactant, quibusq; nescio quas non vires tribuunt & virtutes? Occultæ aliquæ, ut illi ipsi describunt, qualitates, quibus mediantibus cœlum, humiditatem, siccitatem, frigus item, imò ipsum calorem in sublunari hac regione efficere & procurare scribunt. *Neque enim cœli motus*, inquit Scaliger Exercit. XXIII, *caloris nostri causa est, sed vis in eo caloris efficiens*. Verùm non Aristoteles hîc reprehensionem meretur, sed ipsimet. Quid enim opus est confugere hic ad qualitates cœli occultas, cum ex manifestis cuncta ista deducere sit in proclivi, ad quas ea & Aristoteles retulit. Et calorem quidem à motu cœli derivat,

vat, l. II. de cœlo. t. 42. *Calor*, inqvit, *à stellis & æstus φῶς generatur attrito aëre ab illarum motione.* Jam enim supra notavimus (videlicet num. XCIV.) non φῶς, lumen, sed, φώς, esse legendum, qvod æstum significat & ardorem. Neqve enim apparet, quomodo lumen dici possit per motum localem seu corporis lucidi, seu radiorum, generari, cum, quiescente etiam corpore lucido, velut igne, luminis fiat participatio, radii autem descendere aut moveri non nisi metaphoricè dici possint, quia non sunt corpora, quod autem non est corpus, id propriè moveri neqvit VI. Physs. t. 32. Calor autem & æstus rectè dicuntur à stellis produci, attrito aëre à motu. Motus enim distrahit partes aëris, attenuat & rarefacit: raritatem verò tanquam necessariam in subjecto dispositionem sequitur calor ex materiæ necessitate. Sic per motum duorum corporum solidorum, velut ossium aut lapidum ignis producitur, quod & ex soleis equorum fit vehementer, attritis, quia ex attritu illo aër interceptus rarescit & ignescit. Sed & ligna accendi motu videmus, veluti in tornionum officinis, in quibus admotu ligni querni toreumatis orbes inuruntur, versato aliquoties opere. Neqve latet quenquam, qvod attritu cinguli in aridis truncis ignis excitari possit. Lapides qvoqve, in quibus cultri acuuntur, ignescunt ob crebrum attritum. Deniq; & ferrum similiter, dum atteritur, incalescit, & sagittæ velociter aërem transeuntes adeò igniuntur, ut ipsum plumbum, qvod est in ipsis, liquescat. Qvod si autem istiusmodi dura corpora per motum adeò incalescere possunt, quanto magis poterit per cœli motum, qui velocissimus est, idem mollibus & teneris corporibus evenire? Immediatè ergo cœlum supremum aërem calefacit per motum, in inferiorem autem motus cœli diffunditur mediante lumine, quod veluti præparatio aliqva est, sive medium, disponens aërem à cœlo remotissimum, ut motus ejus in ipso recipi possit. Na-

turali namqve qvodam appetitu corpus perſpicuum præſentiam requirit corporis luminoſi, ut inde perficiatur, non ſecus ac materia formam deſiderat I. Phyſ. t. 81. Ut enim materia à formâ perficitur: ſic ipſum perſpicuum perficitur à lumine. Hinc ergò fit, ut, cum movetur corpus luminoſum, variet ſemper ſuſceptio luminis. Illuminatio enim non fit niſi per lineam rectam, demonſtrante Vitellione lib. II. Opticæ Theor. I. & Algazeno lib. I. n. XVII. Unde & lux non niſi per rectos poros tranſit, obliqvos autem pertranſire non poteſt. Qvâ in re diſcernitur à ſono. Si ergò moveatur corpus luminoſum, diverſimodè afficit corpus perſpicuum, quæ diverſitas cauſa eſt attritionis. Cum enim perſpicuum apertionem quandam & dilationem in ſuſceptione luminis patiatur, atqve hanc ſucceſsivè ſecundum alias atqve alias lineas ad motum corporis lucidi, atteri corpus illud neceſſe eſt, eoqve magis, qvò velocius alterum iſtud corpus movetur. Et ſanè quin à lumine ſuo modo calor proveniat dubitari non poteſt. Quotidie enim experimur, ea, quæ circa terram ſunt, calefieri à lumine Solis, lib. I. Meteor. c. III. & IX. atqve quo intenſius lumen eſt, eo & intenſiorem eſſe calorem, verbi cauſa, majorem in meridie, quàm mane vel veſperi. Neqve verò id tantùm in Sole, ſed & in Lunâ locum habet. Ideò enim, ut eſt IV. de Partibus An. c. V. noctes plenilunii tepidiores ſunt, quia tunc Luna ut uberiorem ex ſe lucem fundit, ita ſubjectis corporibus plus lucis imprimit. Nec alia cauſa eſt, cur per id tempus animalia exſanguia & frigidioris naturæ, ut oſtreæ, conchylia &c. pleniora exiſtant, nempe id ideò fit, quia tunc minus læduntur à frigore. Deniq; IV. de Gen. Animal. c. II. Lunam id per menſem facere dicit, qvod Sol per annum, non quidem acceſſu & diſceſſu, ut Sol, ſed incremento & decremento luminis, quia ſcilicet ut Sol æſtate plus calefacit, hyeme minus: ſic Luna dum eſt plena, majorem pa-

rit calorem, reliquo tempore minorem. Hinc autem porro fit, ut major sit calor, ubi luminis est reflexio. *In* reflexione enim cũ geminentur radii luminosi, pluribus modis ipsum perspicuum, lumen recipiens, agitari necesse est. Longè magis autem adhuc calefit illum, cum ad angulos acutos fit reflexio, quod tũ uniantur & multiplicentur radii, adeoq; magis attenuentur perspicui partes. Inter cætera qvid possit ejusmodi radiorum conjunctio & geminatio in speculis ustoriis videre est, in qvibus geminatio & unio talis in tantum calorem auget, ut ignem eliciat. Qvo artificio Archimedes, teste Galeno III. de temp. c. II. hostium triremes accendit, constitutis è regione speculis, à quibus repercussi radii in materiam triremium ad concipiendum ignem idoneum impegere. Et Proclus, insignis Mathematicus, teste Zonara in vitâ Anastasii Imp. suspensis æneis speculis, è Constantinopolitano muro ignem radiis accensum instar fulminis in adversam hostium classem emisit, classemqve & classiarios combus sit. Unde mirum non est, si minor sit calor in mediâ, quàm in supremâ ac infimâ aeris regione. Neq; enim attritio ad hanc pervenit ex motu cœli propter distantiam, neqve lumen Solis reflexum ad illum locũ pertingit. Nec mirum, si Sol plus ætate, quàm hyeme, calefaciat, quia tunc ejus radii per lineas perpendiculares, vel ad perpendiculum magis accedentes retorqventur & magis uniuntur. Sic ergò cœlum efficit calorem, non per qualitatem aliquam occultam, sed per motum & lumen, qvod facit, ut facilius motus astrorum, qui per se causa caloris est, recipiatur in corpore perspicuo, qvem qvidem usum præstat in iis, quæ à cœlo maximè distant. Quæ enim propinquissima cœlo sunt, ut ignis & quædam aeris pars, calida existunt ob cœli motum, etiam sine lumine communicatum.

C L V I I. Frigus autem quomodo à cœlo proveniat, obscurius qvadantenus est. At non difficile est, etiam id intel-

 ligere

ligere ex dictis. Nempe oritur illud à privatione motus & luminis. Opposita n. oppositam causam habent. Sicut calida sunt sublunaria hæc, vel ob motum cœli, vel ob lumen, qvod efficaciter ad ea pertingit, illaq; disponit, ut & ipsa motum cœli recipere, atq; sic calida fieri possint: ita ex opposito frigida esse necesse est, ad qvæ neutrum illorum efficaciter pertingit. Neq; absurdum videri debet, qvod hâc ratione frigoris constituatur causa privativa, privatio scil. motus & luminis. Omnis enim contrarietas est privatio qvædā X. Met. IV. qvamvis nō omnis privatio contrarietatē faciat, sed qvæ in determinato genere est, & quæ non simpliciter non ens est, sed species quædam II. Phys. t. 15. uti quies se habet ad motum, tenebræ ad lumē, morbus ad sanitatem. Ad eundem n. modum frigus quoq; se habet ad calorē, & privatio illa motus, quam causam diximus frigoris ad motum cœli. Neq; ea omnimoda absentia motus est, sed minor ejus participatio, à qvâ absonum non est provenire qvalitatem, quæ ita privationē includit, ut tamen simul sit species quædam, perinde, ut ignis remissus non coquit quidem carnes ad perfectionem, nihilominus tamen qualitatem aliquam iis imprimit, quæ coctioni est cōtraria, & cruditas vocatur. Qvanqvam & hoc possimus dicere, ipsos planetas suo modo causam frigoris existere in sublunaribus, & quidem suô motu, nempe eo, qui est ab ab occasu in ortum, utut non per se, sed per accidens. Nam cum duo in eodem corpore fiunt motus in oppositam partem, tum qvanto alter velocior est, tantum demitur de alterius velocitate. Si æquales ambo essent, nullus appareret motus, quod in eodē semper esset ipsum mobile: at si alter superat, necesse est motum dominantem apparere tanto remissiorem, qvanto incitatior est alter motus. Cum ergò cœlū rapidissimo ab ortu in occasum feratur motu, planetæ autem interim in eodem motu proprio in oppositam partem tendant, necesse est, ut quāto velocior est in proprio orbe motus, tanto magis retardetur eorum virtus in occasum. Omnis a. retarda-

tio motus privatio quædam est, si non secundum totum, tamen secundũ partem. Quanta igitur erit retardatio, tanta etiã refrigeratio ex illa orietur: tanto major a. retardatio est, quanto velocior est in proprio orbe motus. Non obscurè hoc significavit Philosophus I. Met. c. III, ubi *Lunæ motum tardum esse*, inquit, *stellarum autem fixarum velocem, Solis deniq; mediocriter se habere. Idcircò Solem maximè calefacere, quia neq; perinde procul est, ut stella fixa, nec ita tardus, ut Luna.* Loquitur enim sine dubio de velocitate & tarditate, qvæ competit istis astris, non qvatenus in ortum feruntur, sed quatenus in occasum. Alioqvi enim oppositum indicare videtur II. de cœlo t. 58. *In propriis* enim *circulis* inquit *superiora tardius ferri, inferiora velocius, atq; ideo Lunam velocissime, Saturnum tardissimè, Solem medio modo se habere, ac reliqua intermedia corpora.* Ex qvibus liquet, calorem fieri ex motu totius cœli in occasum, non ex planetarum motu in ortum.

CLVIII. Ex iisdem verò caùsis pendent & reliqvæ qualitates, velut raritas, densitas, humiditas, siccitas. Motus enim disgregando simul rarefacit & calefacit: immobilitas autẽ, huic contraria, simul cum frigore & condensationem præstat. Raritatis verò & densitatis extrema videtur sequi siccitas. Quæ enim maximè densa sunt, sicca quoqve sunt, ut terra & crystallus: i emqve, quæ maximè rara, ut ignis. Media autem in raritate & densitate humida sunt, ut aër & aqua. Quod optimâ fit ratione. Nam cum natura humidi sit, alienos terminos facilè recipere & insequi id, quod tangit II. de Gen. t. 9. si rarefieri & condensari non posset, ea non præstaret: neqve enim aliam ob causam ea, quæ projiciuntur in aërem & aquam, per illa moventur, quàm ob hanc, quia hæc facile rarefiunt & condensantur IV. Phys. t. 79. & VIII Phys. t. 82. At quæ in extremo raritatis sunt, ut rarefieri amplius non possint, & quæ maximè densa, ut densari amplius nequeant, terminos proprios conservare necesse est, difficile autem alienos

recipere, quæ eſt natura ſicci. Non enim facilè circumſcribi alienis terminis qvid poteſt, niſi rarefactionem & condenſationem patiatur. A calore qvoqve & frigore apertum eſt humidum & ſiccum provenire, velut in coagulatione & liquefactione, & incraſſatione, quæ ſunt ſpecies humectationis & exſiccationis IV. Meteor. V. Coagulatur enim aqua à frigore excedente, non autem à ſiccitate aliqua: glacies autem à caliditate ſola liquatur, ſine auxilio humiditatis. Caloris ergò cauſa *primò & principaliter* cœlum eſt motu ſuo & lumine frigoris autem ſecundariò & quodammodo per accidens, qvatenus ſcilicet contingit qvædam minus participare motum & lumen cœli. Cæterarum autem qualitatum cauſa eſt, intervenientibus hiſce qualitatibus. Ad occultas igitur qualitates hic confugere Ariſtoteles neceſſe non habuit, cum cuncta deducere potuerit ex manifeſtis.

CLVIII. Ad conditiones principiorum demonſtrationis, quas ex Ariſtotele hactenus adduximus, quidam addunt & hanc, quod principia iſta debeant eſſe *propria*. Sicuti & paſſim Galenus ad demonſtrationem reqvirit, ut ſit petita *ἐκ τῶν οἰκείων τοῦ μαθήματος λημμάτων, ex propriis & vernaculis ſcientiæ ſumtionibus.* Sed additione fortè illa, quod itidem jam alibi obſervavimus, opus non eſt. Non enim hæc peculiaris aliqua eſt nota propoſitionum apodicticarum, ſed *πάθος* potius aliqvod reſultans ex reliquis illis, tanquam ex fonte ſuo. Omnis enim propoſitio, qvæ vera non ſolùm eſt, ſed & prima ac immediata, itemque notior ac prior & cauſa concluſionis, eſt propria concluſionis, iſtius aut effectus, qui demonſtratur. Unde ſtatim Ariſtoteles poſt enumerationem prædictarum iſtarum quinqve conditionum addit: *οὕτως γὰρ ἔσονται καὶ αἱ ἀρχαὶ οἰκεῖαι τοῦ δεικνυμένου, ita namq; erunt principia demonſtrationis propria ac vernacula ejus, qvod demonſtratur.* Quicquid ſit, ex propriis
conſtare

constare oportere demonstrationem passim docet Philosophus, veluti lib. I. Post. c. VII. ubi extrema & media demonstrationis ait ex eodem esse genere, per genus intelligens non κατηγορίας, quæ aliquando genus dicitur, ut in V. Met. xxIIX: sed genus subjectum, de quo in scientiis aliquid demonstratur. Tria enim sunt in unaquaq; scientia occurrentia, docente Aristotele I. Post. VII. §. 2. & c. X. §. 5. primò genus ὑποκείμενον, *de quo* quid *demonstratur*, deinde *affectiones*, sive ἴδια πάθη, quæ demonstrantur, & deniqve *axiomata*, sive principia, ex quibus demonstratur. Ex tali ergo genere ait oportere esse demonstrationis cum media, tum extrema, & quidem, quatenus illud non materialiter spectatur, sed quatenus formaliter, ratione τρόπου ἐπιστήμης, modi sciendi cuiqve scientiæ accommodato. *Fit enim ut de una eademq; re in diversis agatur scientiis, sed modus considerandi est diversus.* Quod exemplo affectuum jam illustravimus num: CXIX. Ex genere itaque uno eodemque juxta eundem modum considerandi spectato fluere debent, quæ in aliqvâ scientiâ proponuntur. Ita autem se habent, qvæ rei, quâ tali, adeoqve per se insunt, vel ita, ut ipsa ad definitionem illius pertineant, vel hæc ad definitionem illorum. Quæ autem hoc modo se habent, dubium non est, quin vernacula & propria sint suis subjectis. Ex talibus ergò omnis demonstratio debet constare. Quod si quis non attendat, sed aut affectiones extraneas de subjecto demonstret, ut si Geometra doceat, lineam esse visibilem, albam, pulchram: aut affectiones scientiæ proprias de alieno subjecto, v. c. in Physicis esse in loco de substantia immobili: aut proprias quidem affectiones demonstret de subjecto proprio, ast non ex principiis vernaculis, sed alienis, quod Plato fecit probans, in eadem opera, inter quæ & militandi munus numerat, incumbere debere viros & mulieres, ex eo, quod canis fœmina æquè venatur, ut mas, & fœminæ aves aliæqve

bestiæ

bestiæ fortissimè pugnent pro fœtibus suis, si quis, inquam, hoc faciat, is μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος facere & malè dicitur demonstrasse I. Post. IIX. Quod autem in scientiis contemplativis γένος ὑποκείμενον est, id finis est in disciplinis activis & effectivis. Ut enim ibi genere subjecto, ita hîc fine metimur omnia, quâ de causa & Galeno dicitur κανὼν & κριτήριον omnium eorum, quæ in istis disciplinis proponuntur lib. de arte tuendi sanitatem ad Thrasybulum cap. XXIX. Et hinc excusari non potest, si quis in tali aliqua scientia affectionem aliquam demonstret de subjecto aliquo, quæ ad finem istius scientiæ nullum planè habet respectum. E. gr. de plantis & herbis, præter Physicum, agit & Medicus, sed hic non aliâ actione, quam hâc, quatenus vim illa habent ad tollendum morbum, veluti rhebarbarum ad purgandam choleram, absynthium ad absumendos plures & vitiosos humores. Unde istarum solùm qualitatum rationem habet, per quas finem prædictum ista consequi possunt. Quodsi intra hos limites se non contineat Medicus, sed ad ea qvoqve progrediatur, qvæ nihil planè ad finem istum obtinendum habent momenti, veluti si de altitudine & proceritate, de crassitie & tenuitate, aliisqve differentis plantarum, quas perpendit naturalis Philosophus, agat, is culpa non vacabit, quod falcem miserit in segetem alienam. Atqve hæc est constans & perpetua Aristotelis doctrina.

CLIX. Sed ecce, hic iterum nova oritur difficultas. Quoties enim fit, ut ipse Aristoteles agens de rebus v. c. Ethicis principio Physico utatur. Exemplum si qvis desideret, habebit illud l b. II. Eth. c. I. ubi qvæstionem proponit de virtute morali, qvonam pacto scil. comparetur, num naturâ insit, an doctrinâ, vel consuetudine acquiratur. Et principio quidem probat, qvod non insit naturâ. Utitur autem inter reliqvas & tali ratione. Quæ naturâ, inqvit, constant, numqvam aliter, atqve sunt, assvescunt, veluti ignis, quia naturâ fertur ad superum locum,

assvefieri potest, ut deorsum feratur, terra autem nunquam, utsursum svapte vi tendat, quod naturali inclinatione inferiorem locum petat. At hominis natura ita ad virtutes morales se habet, ut imbutus iis contrariâ assvefactione in vitia præceps ruere queat. Naturâ ergò non consistunt. Hæc conclusio ad Ethicam pertinet, & tamen principium, quo probatur illud, Physicum est. Fecit ergo hic ipse Aristoteles transitum in aliud genus, quod tàm crebro Platoni & aliis veteribus Philosophis vitio vertere consvevit. At non simpliciter prohibitum est uti in aliquâ scientiâ principiis alterius scientiæ, sed tum solum, quando inter subjecta illarum disciplinarum non est aliqua communio sive *simpliciter*, ut subjectum unius sit quadantenus subjectum alterius, sicut fit in scientiis subalternatis: (idem enim est illarum subjectum cum subjecto earum scientiarum, cui sunt subalternatæ, nisi qvod in illis restrictius qvadantenus sit & ad certam materiam contractum. Uti enim in Arithmeticâ consideratur numerus simpliciter & in Geometria linea simpliciter: ita in Musicâ, quæ Arithmeticæ subalternata est, agitur de numero sonoro, in Opticâ autem, qvæ subalternata est Geometriæ, linea radiosa, XIII. Met. III.) sive *secundum quid*, ut si inter diversa subjecta sit aliqua similitudo aut analogia, aut alia talis affinitas, aut etiam affectiones aliqvæ, qvod fit in exemplo proposito, à subjecto scientiæ removeantur. Aliter enim id demonstrari non potest, nisi ex naturâ subjecti & affectionis, cujus ratio in aliâ scientia expenditur, veluti quid sit naturâ inesse, & quasnam illud habeat proprietates, nullibi nisi in Physicis docetur. Cum ergò demonstrandum est, quod virtus moralis, cujus consideratio ad Ethicam pertinet, naturâ constet, utique in subsidium vocari Physicam oportet. Sed quoniam de hâc quoqve re ex professo alibi tractavimus, nimirum lib. I. de variis scientiarum gene-

ribus c. XIX. ubi de sede demonstrationum disseruimus diducere nunc eam supersedemus.

CLX. Illud interim non possumus, quò minus hîc qvoq; moneamus, qvod non is solum non demonstret ex propriis, qui ex alienis principiis aliquid probat, sed ne is quidem, qui ex communibus qvid concludit, velut ex axiomatibus Dialecticis, aut etiam ex talibus causis, qvæ rebus quamplurimis possunt accõmodari. Utrisq; enim τὰ ἴδια, propria, opponuntur, & ex neutris fiunt demonstrationes τῷ διότι I. Post. XIII. Unde non possumus satis mirari imbecillitatem eorum, qui Aristotelem reprehendunt, qvod Astrologiæ, quam Judicariam vocant, in scriptis suis non habuerit rationem. Præterquam enim, quod Mathematicas disciplinas (utpote quas inter προπαιδεύματα, ut vidimus, retulit) tradere non intenderit, vel ex qvorumvis insuper Astrologorum scriptis satis apparet, eos aut *aliena* planè in assignandis causis proferre, ut cum ex aspectibus cœli concludunt, hunc vel illum, qui sub hoc sidere natus est, fore furem aut latronem &c. cum tamen tales & similes προαιρέσει definiantur IV. Topic. IV. Met. II. I. Rhet. I. Προαίρεσις autem nostra libera sit, neque à motu cœli pendeat, nisi planè per accidens: aut *communes* saltem adducere *causas*. Posito enim, qvod stellæ talem, vel talem in cœlo situm obtinentes, quantum ad illas attinet, ita disponere aptæ sint corpora hominum, ut ad hanc vel istam virtutem, aut ex opposito ad hoc vel illud vitium inclinentur, fieri tamen potest, ut secus res cadat ob particulares causas in hac sublunari plagâ operantes, quas infringere aut minuere posse siderum operationes ipsimet negare non audent. Non enim nisi universalis causa est cœlum, indifferens ex se ad producendos quosvis effectus in sublunari hâc regione, ideoque omninò eget causâ particulari, à qua determinetur ad producendum effectum hunc vel illum. Ita Sol solus non potest generare

nerare hominem, sed causa particularis, videlicet alius homo accedat, necesse est, quò respicit Aristoteles II. Phys. II. dicens: *Sol & homo generant hominem*, & qvidem *ex materia*, intellige, certâ & determinatâ. Neque enim qvodvis ex quovis Sol naturaliter facere potest, etiamsi accedat causa particularis efficiens, sed quicquid facit, ex eo facit, quod dispositum est. E. gr. ex semine caryophilli non generat rutam, neqve ex semine rutæ violam aut amaranthum, sed ex semine caryophilli caryophillum, ex semine rutæ rutam, & sic deinceps. Atqve hinc fit, ut pro diversitate materiæ Solis virtus juncta particularibus causis diversa opera producat, qvod plenius diduximus in Dissertatione *de Fato* n. III. Jam quoties accidit, ut materia, ex qvâ quidam gignuntur à diversis parentibus, sit diversimode disposita? Hoc ergò qvoties fit, inclinationes istorum, cum ad eas non parum conferat materiæ dispositio, non erunt uniusmodi, etiamsi forte intra eandem ejusdem regionis longitudinem & latitudinem, sub eâdem constellatione, deniqve & uno eodemqve momento sint nati. Et qvoties eâdem horâ sub eâdem inclinatione cœli ex eodem utero gemelli prodeunt, & tamen nec vires eorum sunt eædem, nec genius idem, nec studia eadem, multò minus casus & eventus iidem. Cujus simile cernitur & in aliis rebus naturalibus. Sub eodem enim cœli aspectu ex eâdem terrâ prodeunt lolia, frumentum & aliæ res valdè diversè. Plura non addimus, quæ videri possunt apud Joannem Picum Mirandulæ comitem in libris, quos scripsit in Astrologiam, itemqve Bernardum Mirandulanum lib. XXII. Eversionis singularis certaminis, & alios, qui de hac materiâ ex professo scripserunt & vanitatem Astrologiæ satis solidè & dilucidè detexerunt.

CLXI. Unâ verò hinc etiam intelligitur, quid sentiendum sit de iis, qui Aristotelis tractationem Meteorologi-

cam de cometis ideò imperfectionis arguunt, quod nihil illic de ſignificationibus tradiderit illorum. Si enim de ſignificationibus naturalibus, ex cometarum ratione manantibus, loqvuntur, falſum eſt, quod Ariſtoteles nihil de iis tradiderit. Apertè namq́ve docet lib. I. Meteor. cap. VII. cometas ſolere ſigna eſſe æſtus & ſiccitatis, nec non inuſitatarum interdum procellarum. *Cum crebri*, inquit, *& plures apparent, aridus admodum & flatuoſus redditur annus. Cum verò rariores & magnitudine non perinde inſigni conſpiciuntur, non ex æquo tale quid fieri ſolet.* Nec aliter Ptolemæus lib. II. de ſiderum affectionibus cap. XIV. cujus ſententiam Proclus Diadochus in Paraphraſi his exprimit verbis: *Ἔτι δὲ τὰ κατὰ καιροὺς ἐν τῷ ἀέρι ἐπιγινόμενα, οἷον αἱ συστροφαὶ τῶν κομητῶν, καὶ αὐτὰ ὡς ἐπιπολὺ ἀνέμους προσημαίνουσι, καὶ ξηρότητας· καὶ τοσούτῳ πλέον, ὅσον ἂν εἰς πλείονα μέρη συστῶσι, καὶ ἐπιπολὺ διαμένῃ τούτων ἡ σύστασις*, *Præterea, quæ ad tempus in aëre conſpiciuntur, veluti converſiones cometarum, ut plurimum ventos & ſiccitates deſignant eò quidem vehementiores, quo pluribus in locis fuerint, earumq́ conſtitutio diutius perdurarit.* Quod uberius illic proſequitur atque exemplis illuſtrat. Sin ad ſignificationes ſupernaturales reſpiciunt, quales ſunt, cum ſupremum Numen cometis utitur, ut præſagis mortis magnorum Regum aut principum, vel etiam mutationis ſtatus regiminis, ſive in Eccleſiâ, ſive in politia, & ſimilium, produnt judicii infirmitatem. Hujusmodi enim ſignificationes non magis Phyſicæ conſiderationi ſubſunt, quàm illud, quod iris à Deo conſtituta ſit ſignum fœderis ab illo cum Nöa & poſteritate ejus initi, de quo nihil quicquam ex naturæ lumine conſtat, ex quo tamen demonſtrationes Phyſicæ proficiſcuntur. Quo accedit, quod inter cometas & prædictos eventus nulla ſit neceſſaria connexio, ſive non per ſe cohæreant. Unde & non ſemper mors principum, aut Regum, neq; mutatio rerumpublicarum aut Eccleſiaſtici ſtatus excipiunt com-

cometarum aſpectus. Sed & ex adverſo ſæpè moriuntur Reges ac principes, & tamen antè obitum illorum nulli in ipſorum ditionibus apparent cometæ. Sed tantum de methodo quoqve demonſtrativâ.

CLXII. Sunt, qui methodis ſuprà recenſitis addant & *diviſionem*, prementes veſtigia *Platonis*, qui paſſim diviſionem μέθοδον vocat, veluti in *Politico*, dicens, πολὺ ἢ μάλιστα καὶ πρῶτον τὴν μέθοδον αὐτὴν τιμᾶν τοῦ κατ' εἴδη δυνατὸν εἶναι διαιρεῖν, *longè maximè & primò methodum eam in pretio eſſe habendam, quâ quid in ſpecies dividimus.* Putabat enim Plato diviſionem quoqve habere vim aliquam probandi, quod licet *Philoponus* neget comm. in I. Prior. c. XXXI, verba tamen ejus, qvibus in Sophiſtâ utitur, tale qvid omninò præ ſe ferre videntur. Poſtquam enim varias expoſuiſſet artium diviſiones ac varia genera, eo fine, ut Sophiſticæ artis definitionem inveſtigaret, ita concludit, ſecundam inferens definitionem, ἴθι δὴ νῦν συναγάγωμεν, *Age nunc jam colligamus dicentes apparere ſecundò Sophiſticam eſſe genus artis acquirendi. &c.* Deinde paulò inferius colligens tertiam definitionem: *Illud igitur genus*, inquit ſub perſonâ Hoſpitis, *artis acquirendi, quod commutat, emit, cauponatur, ſive ſuas vendat ipſe ſeu tertius artes, aut utrovis modo in hujusmodi rebus ſe gerat diſciplinas vendens, perpetuò tamen, ut videris, appellabis Sophiſticum?* Cui Theætetus reſpondet: Ἀνάγκη, τῷ γὰρ λόγῳ δεῖ, συνακολουθεῖν, *Neceſſe eſt. Nam rationi aſſentiri oportet.* At ſolâ diviſione uſus fuerat. Apparet ergò Platonem vim aliquam δεικτικὴν diviſioni quoqve tribuiſſe. Quâ in re, & qvidem meritò, ipſum deſerit Ariſtoteles, qui perſpicuè oſtendit diviſionem nihil probare, ſed petere τὸ ἐν ἀρχῇ I. Prior. XXXI. & II. Poſt. cap. V. Quia tamen diviſio non parum inſervit definitionibus rerum inveſtigandis, adeoq; viam nobis ad cognitionem ſuo modo ſternit, poteſt & ipſa quadantenus μέθοδος dici, licet non habeat

vim probandi. Ita enim eam ipse Aristoteles vocat I. de An. cap. I. quærens de methodo, quâ perduci possimus ad cognoscendam naturam & rationem animæ, sitne illa methodus, annon, & si *una* non sit, utrum sit ἀπόδειξις, ἢ διαίρεσις, ἢ καὶ τις ἄλλη μέθοδος. Quare videamus quoque, antequam hinc abeamus, quid circa divisiones, quibus Aristoteles uti solet, operæ pretium sit annotasse ad faciliorem ejus intelligentiam. Multis enim & hic imponit præconcepta & falsa, quam fovent, circa hanc doctrinam opinio, faciens, qvo minus Philosophi mentem assequantur, aut divisiones approbent ejus.

CLXIII. Talis opinio est illorum, qvi dicunt, genus semper dividendum esse in species suas per διχοτομίαν, qvæ est εἰς δύο ἴσα τομὴ, docente Suidâ in Lexico, *sectio in duas æquales partes*. Hujus membrum utrumqve iterum per διχοτομίαν esse subdividendum, & sic porrò, donec ad indifferentia perveniatur. Quam doctrinam ex rivulis Platonis fluxisse ex Philebo & Politico ejus obscurum non est. At Aristoteles non rarò in tres, quin & in quatuor interdum, & plures, partes genus aliquod dividit, sicut ex libris de Historiâ Animalium aliisqve videre est. Hic ergò rursum à recto tramite descivisse eam, quam observasse debuisset, ἀκρίβειαν neglexisse velut de tribunali pronunciant. At longè iterum & ipsi à scopo aberrant. Licet enim eorum probari non possit institutum, qui, dividere rem aliquam volentes, minutatim illam concidunt & non tam dividunt, quàm frangunt, atque hoc ipso animum distrahunt, quod & Seneca reprehendit Epist. *LXXXIX.* dicens; *Res in partes, in frusta dividendæ sunt. Dividi enim illas, non concidi est utile. Idemq; vitii habet nimia, qvod nulla divisio: simile namq; confuso est, quod in pulverem sectum est;* natura tamen rei dividendæ non semper id permittit, ut in duo solum membra fiat divisio, qvod facile quivis, dummodo æqvus sit arbiter, concedet, si vel ad sola incommoda, quæ ex tali divisio-

visione nonnunquam resultant, attenderit. Quæ verò illa sint, docuimus rursùm libris de variis sciendi modis & mediis lib.II. cap.VII. num.V. & seqventibus, ubi & modum ostendimus indagandi definitiones per divisionem. Nempe, dividendum non semper genus esse per duas, sed aliquando etiam, pro re natâ, per tres, qvin & plures differentias. Hinc cum differentiæ, genus primò dividentes, & ipsæ sint dividuæ, divisionem esse instituendam per ea, quæ non per accidens, sed per se cum illis cohærent. Inde porrò divisionem ad dictum modum esse continuandam, donec perveniatur ad differentias, qvarum aliæ per se non dentur, ex qvibus illa, qvæ speciei definiendæ competit, sit annotanda. Deniqve cum hoc factum, genus denuò dividendum esse per alias differentias (variæ enim unius generis differentiæ dantur, ceu constat exemplo animalium, qvorum differentiæ non solùm à vitæ genere, sed & actionibus, moribus, ipsisqve partibus peti possunt I. Hist. Animal. I.) & has rursùm per alias, donec tot sint inventæ differentiæ, qvæ omnes, simul sumptæ, cum specie reciprocentur. Ita enim fieri, ut earum nullæ sint extra genus primum, neqve superfluum qvid adsit, cum solùm ultimæ differentiæ assumantur, neqve diminutum qvicqvam, cum non prætermittatur aliqvid eorum, qvæ ἐν τῷ τί ἐστι prædicantur, qvemadmodum prætermittitur ab illis, qvi unicam tantùm differentiam assumunt in definitione. Vid. II. Post. XIII. & I. Part. An. III. Atqve hinc bene Ammonius in præfat. Comm. in Porphyrium non ineptè distingvit inter διαίρεσιν, ἐπιδιαίρεσιν & ὑποδιαίρεσιν, inter divisionem, condivisionem & subdivisionem. Et qvid singula sint, statim declarat his verbis: Ἐστὶ μὲν οὖν διαίρεσις ἡ κατὰ πρώτην ἐπιβολὴν τομὴ τοῦ πράγματος· ἐπιδιαίρεσις δὲ, ἡ κατὰ δευτέραν ἐπιβολὴν τομή· οἷον, κατὰ πρώτην ἐπιβολὴν τέμνω τὸ ζῶον εἰς λογικὸν καὶ ἄλογον· τοῦτο διαίρεσις· κατὰ δὲ δευτέραν, ὡς τὸ ἐπουράνιον, καὶ ἐπιχθόνιον, ἤτοι θνητὸν καὶ ἀθάνατον, τοῦτ' ἐστιν ἐπιδιαίρεσις· μόνη δὲ τῇ ὑπὸ

δια-

διαφέρει ἀλλήλων· ὑποδιαίρεσις δέ ἐστιν, ἡ τοῦ διαιρεθέντος ἤδη πράγματος τοῦ μέρους, ἤτοι εἴδους τομή· εἶδος δὲ λέγω νῦν, τὸ ὑπάλληλον, οἷον, ὅτι τοῦ ἐπουρανίου τὸ μέν ἐστιν ἀπλανές· τὸ δὲ, πλανώμενον· τὸ γὰρ ἐπουράνιον εἶδος ἦν τοῦ ζώου, τοῦτο δὲ ὑποδιαιρούμεν εἴς τε τὸ ἀπλανὲς καὶ τὸ πλανώμενον, *Divisio*, ait, *est sectio rei ex prima notione. Condivisio ex secundâ notione rei partitio est, ut cum animal ex prima notione in rationis particeps & expers dividimus, appellatur divisio: cum vero ex secunda in supra cœleste & terenum, mortale aut immortale distribuitur, condivisio fit; sed hæ inter se solum ordine differunt. Subdivisio est, partis illius rei, quæ jam divisa est, speciei videlicet sectio, (speciem nunc dico, quæ & genus & species esse potest, si ad aliud & aliud comparetur) ut supra cœleste animal aliud fixum est, aliud errans. Nam supra cœleste animalis species erat, hoc verò in fixum vagumq́; subdividimus ita, ut fixi & vagi genus existat.* Hæc ille.

CLXIV. Id quoque circa divisiones observatu non indignum est, imò in lectione Aristotelis necessarium. Notum est, quod divisio non sit unius generis, sicut inter alios iterum annotat Ammonius Comm. in Porph. de specie & in librũ de Interpr. non procul ab initio, ubi ita scribit, ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ κυρίως λεγόμενοι τῶν διαιρέσεων τρόποι, τοῦ γένους εἰς τὰ εἴδη, καὶ τοῦ ὅλου εἰς τὰ μέρη, καὶ τῆς ὁμωνύμου φωνῆς εἰς διάφορα σημαινόμενα φανερόν, *quod tres sint divisionis modi, videlicet generis in species, totius in partes, & vocis æquivocæ in varias significationes, est manifestum.* *Generis* in *species* divisio est, cum animal dividitur in hominem, equum, canem. *Totius* autem *in partes* divisio duplex est. Vel enim dividitur in partes *similes*, ut dividuntur venæ, arteriæ, caro, ossa. Hæc enim divisa easdem habent partes & inter se & universo similes; vel in *dissimiles*, ut corpus in caput, thoracem, manus, pedes. *Vocis* autem *homonymæ* divisio est, cum homo dividitur in hominem vivum, pictum & sculptum, ens in qvid, quantum, quale, & aliquid. Ex his nihil

nihil difficultatis ſubeſt diviſioni totius in partes. Satis enim clarum eſt, quomodo ea ab aliis diſtingvatur. Circa reliqua autem duo genera facile fieri poteſt, ut quis decipiatur, ſi minus ſit circumſpectus. Magnâ enim interdum affinitate ſynonymis juncta ſunt æquivoca, ut diviſio vocis, quæ in illa fit, tanquam diverſa ſignificata, videri poſſit eſſe diviſio generis in ſpecies. E.g. lib. IV. Meteor. III. & ſeq. Philoſophus πέψιν ſive concoctionem dividit in πέπανσιν, ἕψησιν & ὄπτησιν *maturationem*, *elixationem & aſſationem*. De his multis videtur concoctio dici, tanquam genus de ſpeciebus. At aberrant longè. Propriè enim πέψις dicitur de illis concoctionis ſpeciebus, quæ fiunt à nativo ac congenito calore humidum digerente, non ab externo, ut ἕψησις & ὄπτησις, quæ ab externo perficiuntur calore & obtinent quidem nomen generale concoctionis, verum ob ſimilitudinem ſolùm quandam aut analogiam, quod perinde, ut propriè dicta coctio, perficiantur, calore humidum intemperatum digerente. Species autem, quæ analogiâ ſolùm quâdam cum aliquo communicant, τοιαῦτα tantùm dicuntur, non ταὐτὰ, id eſt, *talia* vel *ſimilia*, non etiam ταὐτὸ, *eadem*. Neqve enim res aliquo modo unum exiſtentes ſtatim ſimpliciter unum ſunt: neq; verum genus ex ſimili aliquo cenſeri debet, ſed ex ipſa naturâ & eſſentiæ congruentiâ cum ipſis, de quibus enunciatur, ſpeciebus. Ita lib. II. Phyſ. c. III. t. 31. cauſæ quatuor dicuntur eſſe ſpecie, *forma* ſcil. *materia*, *finis*, *& principium*, *unde motus*. Hoc multis imponit, ut exiſtiment eſſe hanc diviſionem cauſæ, ut generis in ſpecies ſuas, ſed præter Ariſtotelis mentem. Non enim cauſa de his quatuor ſpeciebus dicitur συνωνύμως, ſive æqualiter, ſed κατὰ πρότερον καὶ ὕστερον, ut alibi eſt oſtenſum. Unde licet variis in locis Philoſophus de cauſis egerit, velut lib. II. Poſt. XI. I. Met. II. V. c. II. II. Phyſ. III. I. de Part. An. c. I. I. de Gen. An. c. I. lib. de ſomno & vigiliâ c. II.

nullibi tamen generalem causæ definitionem protulit, sed semper vocabulum distinxit. Ea namqve, qvæ multifariam dicuntur, distingvere, est ea definire. Et tantum quoqve de divisione.

CLXV. Divisionem excipit *ἀνάλυσις*. Nam & hæc inter methodos numerari solet, sicut de Platone testatur Philoponus comm. in I. Prior. xxxi. qvod quatuor fecerit methodos, videlicet divisionis, definitionis, demonstrationis, & resolutionis. Quid autem analysis sit, ut intelligatur, nosse ante omnia expedit, qvid vox *ἀναλύειν* propriè designet. Est igitur vox hæc, propriè accepta, peregrinantium & usurpatur de illis, quando rebus ex animi sententia confectis domum regrediuntur. Tum enim viam, quam ante calcaverant, repetunt & quasi retexunt. Nempe, ut *καταλύειν*, metaphora à curribus petitâ, docente id Thucydidis Scholiaste, significat *ad diversorium*, quod *καταγώγιον* vocatur, *pervenire*, quia tum solvuntur equi, indeqve in tabernam sive hospitium concedunt: ita *ἀναλύειν* est *domum reverti*. Hinc verbum hoc in genere dicitur de iis, qui alicunde quoqvo modo revertuntur, velut apud Athenæum lib. II. istis verbis, *ἀπὸ τῶ δείπνων ἀναλύοντες*, *à cœnâ revertentes*. Sed & Hesychius in Lexico *ἀναλῦσαι* ait idem esse, quod *τὸ βεβλαμμένον τινὰ δι' ἐπῳδῆς ἀπαλλάξαι*, *fatigatum quempiam carminibus vel præstigiis remeare*. Appianus quoqve lib. IV. Bell. civil. eodem sensu: *Ἀναλύοντα*, *revertentem*, inquit, *à compotatione occiderunt*. Per metaphoram autem traducta est vox hæc ad Geometras, qui *τὸ ἀναλύειν* suum fecerunt, ut Arithmetici *τὸ λογίζεσθαι*, & Musici *τὸ ἁρμόζειν*, teste Plutarcho in libro, an seni sit gerenda respubl. Dicunt verò Geometræ *ἀνάλυσιν*, ut explicat Philoponus in I. Poster. & Eustratius, aut quicunq; Græcus Paraphrastes est III. Ethic. *inventionem propositionum, per quas colligitur vera conclusio*, eiqve opponunt *σύνθεσιν*, quæ à confessis quibusdam propositionibus ordiens desinit in

nit in id, quod est in quæstione. E. gr. Si propositum sit demonstrare, quonam pacto triangulum æquilaterum constituatur, id conficitur per propositiones, & hoc vocatur συνθεῖναι. Ἀνάλυσις verò id, in quod desinit σύνθεσις, sumit, ut confessum, nempe, conclusionem τῆς συνθέσεως & eo usque τὸ συνθετὸν retexit, quoad invenerit propositiones, per quas illa quasi contexitur. Inde porro in universam Philosophiam hæc vox translata est, ubi ἀνάλυσις dicitur reductio rei in sua principia, vel etiam conclusionis cujusque in propositiones, quæ continent causas & principia conclusionis. Unde, quantum ad posterius Suidas: Ἀναλύειν, inquit, λέγεται, τὸ τοὺς συνθέτους συλλογισμοὺς συνάγειν εἰς τοὺς ἁπλοῦς, καὶ εἰς τὰς προτάσεις, ἐξ ὧν αὐτοῖς τὸ εἶναι, Ἀναλύειν est *compositos syllogismos ad simplices reducere, & ad propositiones, ex quibus illi constant.* Quoad prius autem ita Alexander Comm. in I. Priorum: Ἡ σύνθεσις, ait, ἀπὸ τῶν ἀρχῶν ὁδός ἐστιν ἐπὶ τὰ ἐκ τῶν ἀρχῶν· ἡ δὲ ἀνάλυσις ἐπάνοδος ἐστιν ἐπὶ τὰς ἀρχὰς ἀπὸ τοῦ τέλους, *Compositio est via à principiis ad ea, quæ sunt ex principiis: analysis autem est regressus à fine*, h.e. ab eo, in quo desinit σύνθεσις, ad principia. Ex Themistio, Ammonio, Philopono, Eustratio & aliis his gemina adduximus lib. III. de variis sciendi generibus cap. III. n. VI, VII, IIX, IX. ubi & observavimus, Platonicos quoq; Philosophos ἀνάλυσιν ita describere, interq; eos & Alcinoū, qui in peculiari libello summam doctrinæ Platonicæ nobis reliquit. In illius libri c. V. agit de analysi, & tria quidem ἀναλύσεως ex mente Platonis affert genera, quæ tamē omnia ita sunt cōparata, ut satis appareat, analysin Platoni nihil aliud esse, quam viam à posteriori ad id, quod naturâ est prius. Primum genus ἀναλύσεως, inqvit, est ἀπὸ τῶν αἰσθητῶν ἐπὶ τὰ πρῶτα νοητὰ ἄνοδος, *via, quâ à sensibilibus ad intelligibilia prima ascendimus, ut si ab eo, quod in corpore dicimus pulchrum, ad illud, quod in animo dicitur pulchrum, transeamus, ab eo ad illud, quod in vita officiis versatur, ac deinde ab eo ad illud, qvod in le-*

gibus, atque ita porrò ad immensum pulchritudinis mare, ut iis quasi gradibus ipsum, quod reliquum est, pulchrum intueamur. Altera ἀνάλυσις est διὰ τῶν δεικνυμένων καὶ ὑποδεικνυμένων ἄνοδος ἐπὶ τὰς ἀναποδείκτους καὶ ἀμέσους προτάσεις, *quâ per demonstrata & subdemonstrata ad primas &, quæ medio carent, propositiones ascendimus.* Fit ea, ut paulo post ipse explicat, hoc modo: *Initio supponitur, quod quæritur, & quæ priora sunt, considerantur, eaq; demonstrantur à posterioribus ad superiora progrediendo, donec ad primum, & id, quod in confesso est, perveniamus, à quo sumto rursus initio, ad id, quod quærebatur, compositionis modo regredimur.* Subjungit exemplum: *Quæro e.gr. an immortalis sit animus, eoq; ipso supposito, an idem semper moveatur, quæro, hoc demonstrato, iterum quæro, an id, quod movetur, semper per se moveatur, quod cum rursus demonstravero, num, quod per seipsum movetur, motus principium sit, quæro: postremo, utrum origine careat principium, quod quidem ut certissimum à cunctis admittitur: ingenitum quippe quod est, interitus quoq; est expers. A quo, cum sit perspicuum, demonstrationem colligo ejusmodi: Si principium originis est expers, erit & interitus. At quod per se movetur, motus est principium: per se autem anima movetur: expers igitur & interitus & originis, & sic immortalis est anima.* Tertia ἀναλύσεως species est ἐξ ὑποθέσεως ἄνοδος ἐπὶ τὰς ἀνυποθέτους ἀρχάς, *quæ ex suppositione ad ea, quæ sine suppositione sumuntur, pergit principia. Qui enim*, ait in seqq. tertiam hanc resolutionis speciem exponens, *aliquid quærit, illud primò ipsum supponit, deinde quid ex hypothesi sequatur, advertit. Tum verò, si ipsius suppositionis sit reddenda ratio, alio supposito quærit, utrum id, quod prius fuerat suppositum, rursus ad aliam sequatur suppositionem, idemq; semper observat, donec ad illud, quod non amplius ex suppositione sumitur, pervenerit principium.* Jam dubium non est, quin prima illa intelligibilia, primæ item istæ & medio carentes

propositiones, & deniqve ea, quæ vera sunt sine suppositione, naturâ priora sint & principii habeant rationem. Ἀνάλυσις itaque juxta Platonem quoqve nihil aliud est, quàm progressus ab eo, quod posteriùs est, ad id, quod naturâ prius est, ut sunt simplicia, causæ, principia &c. Quò & ista Eustatii pertinent, qui in Homerum Comm. scripsit, quando ἀνάλυσιν ἀναδρομὴν vocat, ἐκ τοῦ συνθέτου εἰς τὸ ἁπλοῦν, *recursum* vel *ascensum ex composito in id, quod simplex est.*

CLXVII. Ἀνάλυσις ergò, ut tandem concludamus, in scientiis juxta significationem, ab omnibus receptam, nihil aliud est, quàm progressus ad ea, quæ priora sunt, ad causas & principia, cui opponitur σύνθεσις, quæ nihil aliud est, quàm progressus ab his, ad ea, quæ ex principiis conflata aut collecta sunt. Utraqve in omnibus penè obtinet scientiis, quatenus illæ sub ratione doctrinarum & disciplinarum considerantur. Quivis enim scientificus Doctor, quamcunqve scientiam profiteatur, sive activa sit, sive effectiva, sive contemplativa, antequam ex principiis suis demonstret, primùm investigat ipsa principia, à quibus pendet res proposita, vel conclusio demonstranda, nisi fortè nimis manifesta sint, ut in Geometriâ: investigat autem mediante analysi: ex inventis verò deinceps docet & demonstrationes componit. Qua in re ipsi convenit cum deliberantibus. Hi enim, postquam certum sibi finem ac scopum præfixerunt, statim indagant media, quæ ad finem illum obtinendum conducant, quod Philosophus itidem ἀναλύειν vocat III. Ethic. c. V. iis autem inventis ad agendum demum se accingunt. Veluti, si ob imminens Reipublicæ alicui periculum tributa sint conferenda, hoc veluti fine constituto, suscipitur deliberatio de modo, ut qui omnium convenientissimus sit, eligatur: qualis sine dubio est, si unusqvisqve tantum conferat, quantum facultates ipsius permittunt, veluti si is, cujus facultates sunt, ut

XXX. det III. contra is, cujus facultates sunt, ut D, det V, ille autem cujus facultates se extendunt ad M, det X florenos. Fas enim est, ut qui sentit commodum, sentiat & incommodum. Et licet honore præcedant divites, non idcirco tamen qvoqve præcedere debent & immunitate, ut scribit Cicero in I. Philipp. Unde & Dio lib. LII: *Justum*, inquit, *est aeqvumqve, neminem horum* (tributorum,) *neque privatum hominem, neque populum immunem esse: cum ex æquo ad omnes utilitas eorum, in qua insumuntur, redeat.* Sed servanda est proportio, ne unus plus oneretur, qvàm alter, sed omnes æqualiter, pro ratione facultatum. Sortem enim, quam patiuntur omnes, nemo ferre recusat. *Ubi autem inæqualitas, ibi facile obrepit livor & invidia, ut subditi pari dolore aliena commoda, ac suas injurias metiantur*, ut habet Tacitus I. Hist. Porrò cum jam de modo contribuendi certi quid statutum est, deliberatio ulterius suscipitur de modo colligendi id, qvod unusqvisqve ex tenore prioris statuti conferre est obligatus, num singuli ad certas personas partem suam deferre debeant, an aliqui constituendi, qui eam à singulis, ædes ipsorum adeundo, exposcant. Qvod si hoc fuerit conclusum, conducuntur mox tales, atque ad singulos cives mittuntur, hi jussa exeqvuntur, idqve tamdiu, donec in unum comportata sint, quæ singuli contribuerunt. Hoc ergo ἀναλύειν est in iis, qvæ deliberationibus subsunt. Ast eodem modo procedere oportet eum, qui demonstrare, aut scientiam aliqvam alios docere, propositum sibi habet. Hoc enim scopo præstituto, investigare tenetur principia, idque juxta methodum Analyticam, qvibus inventis demum ad demonstrationem accedere potest, perqve illam à principiis ad conclusionem progredi, donec fine suo potiatur & scopum præfixum attingat, h. e. scientiam penes alterius, discentis scil. animũ relinqvat. Quod si deliberantibus semper in promptu essent media, eaqve ad obtinendum finem, & quidem sola conduce-

ducere nimis clarum esset, nulla deliberatione indigerent, sed qvia illud non ita obvium est, necessaria est deliberatio, ut inveniantur & eruantur media idonea. Ad similem modum, si demonstraturis in promptu essent principia demonstrationis, eaq; simul discentibus maximè essent perspicua, velut in Arithmeticâ & Geometriâ accidit, analysi opus non esset, sed statim poni possent principia ista, & mox ex illis concludi, sicut Euclidem in Elementis facere videmus: ast, qvia principia illa sæpe numero ignota sunt, ideo analysis necessaria est, ut inveniantur principia ad scientiam accommodata, & tum ad σύνθεσιν sive demonstrationem ipsam procedatur.

CLXIIX. Observat hoc cumprimis in Acroamaticis Aristoteles. Nempe maximo semper enititur opere, ut principia rectè ponat, qvod in eorum cognitione exacta & exqvisitâ tota res sit sita. Tum enim demum unumqvodqve nos *scire* putamus, *cum illius causas & prima principia usque ad elementa tenemus* I. Phys. cap. I. Et *error in principio parvus*, si longius procedatur, *fit decies millies major* I. de cœlo c. V. t. 33. Multum ergò operæ impendit Philosophus, ut principia & elementa cujusqve generis investigaret. Ad hoc autem analysi usus fuit, quam non dubitamus eum intellexisse per viam πρὸς τὰς ἀρχὰς lib. I. Eth. c. I. Inprimis verò hanc methodum adhibuit in inquirendis principiis eorum, quæ dicuntur non καθ' ἓν, sed πρὸς ἕν, vel ἀφ' ἑνὸς, ut sunt sanum & medicinale IV. Met. II. In talibus enim non licet unam communem naturam separare, qvæ sit principium & τὸ εἶδος, sive forma, ut in univocis, sed licet fortè intellectus primùm talia confusè sub una notione comprehendat, sapiens tamen ea distingvere & particulariter unumqvodqve ad idem genus pertinens considerare debet, & ex iis porro unum ad alterum reducere usqve ad primum. Aliàs enim impossibile est, ut talium elementa & principia inveniantur, qvoniam aut unum ex his est alterius prin-

principium, & hoc alterius, usqve ad primum: aut omnia unum aliquid, qvod eodem cum cæteris nomine venit, immediatè respiciunt, qvod & inprimis exactè considerari oportet. Est namque mensura reliqvorum, & qvò qvid propius in suo genere ad illud accedit, eò magis tale est, quò autem magis ab illo recedit, eò minus tale est. Per resolutionem ergo oportet revocari unum ad alterum, ut principium totius generis inveniatur. Hoc pacto investigavit Aristoteles principia motus. Initio distingvit motum in suos gradus, sive, ut communiter vocant, species, qvæ qvidem sunt qvatuor, generatio, alteratio, augmentatio, & motus localis: postea hos motus inter se confert, ut inveniat, qvis illorum primus sit secundum naturam, atqve adeò principium cæterorum. Reperit autem talem esse motum localem. Is enim & naturâ, & tempore, & perfectione reliqvis motibus est prior. *Naturâ* qvidem, qvia cæteri motus sine locali esse non possunt, localis autem potest esse sine reliquis. Patet hoc inde, qvia nec generatio, nec augmentatio esse potest sine alteratione. Cùm enim generatur qvidpiam, alteratur materia v. g. cum ex aqvâ fit aër, alterationem subit materia, ita qvidem, ut una eademqve numero materia, qvæ ante fuit frigida, nunc fiat calida, & qvæ ante fuit gravis, nunc fiat levis. Qvod autem crescit, per alimentum crescit: alimentum autem ab initio est dissimile & qvodammodo contrarium ei, qvod crescit, tandem autem fit simile ei operâ facultatis nutrientis, qvæ alimentum transmutat: ex dissimili autem fit simile per altenem, hæc igitur augmentationem antecedit. Alterationem verò præcedit motus localis. Cùm enim qvid alteratur, necesse est, ut præsto sit alterans, qvod actu tale faciat id, qvod potentiâ tale est: at tale movens non semper similiter se habet, sed aliqvando propinqvius est, aliqvando autem longius ab eo remotum, qvod alteratur. Hoc autem sine motu locali fieri
non

non poteſt. Sit exemplum. Aqva actu frigida eſt, potentiâ autem calida: hæc potentia ab igne in actum deduci poteſt, ſed neceſſarium eſt, ut aqua illi debitè jungatur. Quomodo e- nim ignis, aliquot mille paſſibus ab aquâ diſtans, eam calefacc- re poſſet? Ut igitur augeatur quidpiam, oportet primum fie- ri motum localem, quo alimentum reddatur propinqvũ: quod fit, cum e.g. animal edit aut bibit, & per os illud tranſmittit in ventriculũ, ubi per concoctionem alteratur, & in chylum ver- titur, qui ex ventriculo ultra tendens tandem in ſanguinem transmutatur, quo nutritus atque animal augetur. Idem ordo obſervatur *in generatione* animalis. Primum enim ſemen per motum localem trajicitur in uterũ, in utero autem tamdiu al- teratur ab agente propinqvo, donec tandem induat ſpeciem a- nimalis. Ex quo etiam ſimul manifeſtum eſt, quod motus localis tempore ſit prior. Quamvis enim in una eademqve re, ortui atqve interitui obnoxiâ, localis motus ſit ultimus (pri- mum namqve oportet rem generari, de hinc autem alteratur & augetur, donec tandem & ſecundum locum moveri incipi- at, qui ideo & perfectorum motus dicitur, ſicut in animalibus perſpicuè apparet) ſimpliciter tamen motus localis eſt primus. Anteqvam enim res generetur, neceſſe eſt, aliud aliquid, vel- ut generans, loco moveri, quod in reliqvis motibus, ſicut o- ſtendimus, ſimiliter obtinet. Deniqve & *perfectione* cæteris prior eſt motus localis, non ſolùm, quia iis, quæ generantur, ul- timò, cum ad perfectionem pervenerunt, ineſt, id autem, quod generatione ultimum eſt, perfectione primum eſt II. part. An, cap. I.: ſed & ideò, quia iis ineſt, quæ perfectiorem nacta ſunt naturam. Inanimata enim non moventur ſecundum locum, nec plantæ, imò ne animalia quidem omnia, velut conchylia oſtreæ, & alia id genus, qvod inſtru- mentis, locali motui deſtinatis, careant, perfectioribus autem animalibus ineſt, & quidem tum maximè, cum ad ultimam

ſuam perfectionem pervenerunt. Atque hinc & nullus motus eſt continuus præter lationem. Reliqui namqve motus omnes inter oppoſitos definitosqve terminos verſantur, terminos, inqvam, à quibus incipiunt, & in quibus deſinunt. Veluti generationis & corruptionis termini ſunt ens & non ens, alterationis calidum & frigidum, humidum & ſiccũ, augmentationis & diminutionis magnum & parvum, perfectum & imperfectum. Motus autem, qui ex contrariis tendunt in contraria, ſunt contrarii. Ex. gr. motus ex calido in frigidum eſt contrarius motui ex frigido in calidum: motus ex parvo in magnum eſt contrarius motui ex magno in parvum &c. Contraria autem non poſſunt eſſe ſimul in eodem. Neceſſe itaqve eſt, ut id, qvod movetur in contrarium, quieſcat pauliſper in termino, à quo fit motus in contrarium, atqve adeò tempus aliquod inter motus iſtos ſit interjectum. Aliàs enim, cum termini iſti ſint oppoſiti, duo oppoſita erunt ſimul, quod impoſſibile eſt omninò.

CLXIIX. Cæterum nec motus localis omnis eſt continuus. Tres enim ſunt motus locales, *circularis*, *rectus* & *compoſitus*. Quorum poſtremus ſecundum naturam tantùm ſubſtantiis compoſitis viventibus competit, reliqui autem duo motus ſimplices ſunt, & ſimplicibus conveniunt corporibus. Nec plures ſunt ſimplices, præter illos duos, qvia nec plures ſunt magnitudines ſimplices, qvàm duæ, recta videlicet & circularis. Magnitudinem enim ſeqvitur motus, & ut magnitudo ſe habet, ita & motus IV. Phyſ. c. XI. & XII. Ex his motus rectus, qvi fit ſuper magnitudine finitâ (ſuper infinitâ enim non eſt motus, quia non datur talis magnitudo, ſicut probatum eſt III. Phyſ. c. IV. & ſeqq.) non eſt continuus. Motus enim, qui fit ſuper iſtiusmodi magnitudine in infinitum, reflectatur oportet, qvoniam magnitudo finita pertranſitur tempore finito. Ex qvo fit, ut, cum perventum eſt ad terminũ magni-

gni-

gnitudinis, cesset motꝰ, nisi mobile revertatur ad principium, unde cœpit moveri. At eò reverti non potest, nisi moveatur contrario motu. Contrarii enim motus sunt, qvorum termini, ut diximus antè, sunt contrarii, cujusmodi in loco sunt sursum & deorsum, ante & retrò, dextrum & sinistrum, secundum qvas contrarietates necesse est reflecti id, qvod motu recto movetur. Contraria autem differunt secundum speciem X. Met. IV. Motus ergò contrarii non possunt esse unus & continuus motus. Imò eo ipso, qvod sunt contrarii, impediunt se invicem & destruunt, ita naturâ ferente contrariorum, & uno incipiente cessat alter. Præterea, in puncto reflexionis datur quies, interrumpens continuitatem. Fieri namqve non potest, ut mobile ad punctum aliqvod perveniat, & ab eo rursum recedat sine intermediâ quiete, qvoniam accedere & recedere sunt contraria, nec possunt simul esse. Deniqve, sicut linea recta habet principium, medium & finem, sic & motus, qui fit per lineam rectam (sive sursum, quomodo levia moventur, sive deorsum, qvomodo gravia) principium & finem habet, & conseqventer est finitus, & simul inæquabilis. Non enim eâdem celeritate mobile movetur, cum discedit à principio, & cum accedit ad finem, sed cum res gravis, veluti lapis, naturaliter movetur, quod fit, quando deorsum descendit, tantò celerius movetur, quantò propiꝰ ad finem accedit. Cùm autem contra naturam, qvod fit, quando sursum jacitur, secus accidit. Qvò magis enim à principio discedit, eò tardiùs movetur. At in circulari motu non deprehenditur quid tale. Circulus enim ubiqve & nullibi habet principium, medium & finem, quia cuncta, quæ in circumferentiâ circuli sumi possunt, æqualiter absunt à centro, quod est extra circumferentiam circuli, quâ de causa & omnes lineæ à centro ad circumferentiam ductæ sunt æquales juxta definit. XIV. lib. I. Element. Euclid. Nullum ergò in circumfe-

 rentia

rentia accipi poteſt punctum, quod non æquè dici poſſit principium, medium & finis. Uti autem circulus ſe habet, ita & motus circularis, quoniam magnitudinem ſequitur motus, ut paulò ante diximus ex IV. Phyſic. Motus itaque, qui fit in circulo, eſt infinitus, quia nunquam eſt in principio, quin ſimul ſit in medio & fine, & ſic ſemper & nunquam eſt in principio, medio & fine. Quæ etiam cauſa eſt, cur ſphæra ſive globus, dum convertitur, ſemper moveatur & quieſcat. Movetur enim, non ad centrum, ſed circa centrum, adeoq; in ſeipſo quieſcit, & nunquam ſecundum ſe mutat locum, quia à principio non diſcedit, ſed manet in eodem loco, neq; unquam pervenit ad finem. Continuus ergò hic motus eſt, ſemper ſibi æqualis, atqve ita naturâ cæteris omnibus motibus prior exiſtit. Prius enim eſt naturâ, imò non naturâ ſolùm & definitione, ſed & tempore æquabile inæquabili (cum hoc privationis rationem habeat, illud autem habitus naturam præ ſe ferat) & quod æternum eſſe poteſt eo, qvod non poteſt IIX. Phyſ. t. 75. Quanquam & aliæ ſint rationes, quibus idem valeat confirmari. Nimis enim clarum eſt, quod circulus prior ſit omni figurâ recti lineâ, partim quia ſimplicior eſt, partim, quia perfectior. Simplicior quidem, quia circulus eſt figura unâ lineâ contenta: at figuræ rectilineæ pluribus continentur, velut triangulum, quæ eſt prima inter figuras rectilineas, tribus; quadrangulum quatuor &c. Perfectior autem eſt, quia partium, quæ in circulo dari poſſunt, nihil extra ipſum accipi poteſt. Clauditur enim ac terminatur ſe ipſo. Figuræ autem rectilineæ à lineis continentur extra terminatis, atqve hinc ſingulæ illarum protrahi & additionem extrinſecus accipere poſſunt lib. I. de cœl. c. II. t. 12. Cùm ergò magnitudinẽ motus ſequatur, inter magnitudines autem circulus prior ſit, manifeſtum eſt, motum circularem eſſe naturâ priorem recto, & per conſequens inter motus omnium primum. Quod enim compoſito prior ſit, ſatis clarum eſt, quia hic ex illo conſtat.

CLXIX.

CLXIX. Porrò talis motus, quem circularem diximus, per accidens quidem inest etiam elementis. Veluti ignis, qui per se fertur sursum, per accidens, cum sursum latus est, fertur in orbem: imò qvodammodo præter naturam & per vim. Quiesceret enim ad proprium perveniens locum, nisi externâ vi moveretur, sicuti terra quiescit, cum ad medium mundi pervenit: neq; perpetuus est ille motus, quod non semper moveatur idem ignis numero, sed specie, quod non obscurè quoq; docet Philos. ipse II. Meteor. c. I. Jam inductione constat, motum, qui alicui rei accidentalis est, aut præter naturam inest, alteri alicui inesse per se & secundum naturam. Nam qvod nonnulli dicunt, fieri non posse, ut, qvod alicui est accidentale, alteri sit substantiale, id planè falsum est. Qvis enim negaverit calorem sangvini essentialem esse? & tamen materiæ sangvinis accidit II. Part. III. Similiter diaphanum est de pupillæ essentiâ: at in cornu est accidens. Illi enim inest ex necessitate finis, qui est ἐσία in naturalibus IV. Meteor. cap. ult: huic autem ex necessitate materiæ, seu πάθυς alicujus, quod materia sustinuit, factâ in ipsâ transmutatione. Deniqve figura eadem est in homine vivo & in cadavere I. Part. Anim. cap. I. quis autem inficias iverit, figuram hanc cadaveri accidere, homini autem esse substantialem? Inprimis verò hoc evidens est in motu. Accidit enim, ut terra superum locum petat, nempe, cum ab aliqvo sursum projicitur: at igni motus hic est naturalis & substantialis. Rursus accidentarium, quin & præternaturale est, si ignis ad inferiora descendat, ut fit in fulgure: at terræ aliisqve gravibus, quà talibus, hic motus est naturalis. Qvod si verò in motibus rectis ita se res habet, nempe ut is, qui alicui corpori inest per accidens & præter naturam, alteri conveniat per se & secundum naturam, verisimile utiq; est, idem in motu circulari qvoqve, imò in eo præcipuè, locum habiturum esse. Quis enim crediderit, eum motum solùm, qui conti-

nuorum ac sempiternorum est, omnibusque cæteris motibus prior, rebus cunctis per accidens & præter naturam inesse? Consequens igitur est, ut detur corpus aliqvod simplex, qvod secundum naturam circulari motu moveatur, qvod tantò præstantius erit cæteris, quantò præstantiorem nactum est naturam, & quantò plus distat ab his, quæ generationi & corruptioni aliisqve mutationibus sunt obnoxia I. de cœlo cap. II. t.16. Hoc autem cœlum est, quod circulariter moveri multa confirmant. Videmus enim Solem, Lunam, & reliquas stellas omnes, qvæ motu diurno oriuntur & occidunt, ascendere ab ortu ad fastigium, deinde iterum descendere usqve ad horizontis superficiem, tum evanescere & aliquandiu sub terrâ latere, hinc denuò eodem modo oriri & pristinum cursum repetere, ita ut in motu suo semper eandem distantiam à terrâ retineant. Si enim hanc mutarent, non retinerent eundem situm ad se, neqve eandem magnitudinem, qvoniam quæ propiora sunt, sub majori visionis angulo cernuntur, qvam si fuerint remotiora. At φαινόμενα hæc solus circularis motus salvare potest. Cœlum ergò moveri circulariter in aprico positum est, qvod Ptolemæus quoqvè hâc & similibus rationibus probat lib. I. Almagesti c. III, in quem locum conferri possunt, quæ Theon Alexandrinus eruditè in comment. annotavit: Accedit, qvod motus cœli sit velocissimus, atqve citissimè absolvatur: at talis est circularis. Linearum enim æqualia spatia continentium minima est circularis, & in æquali mole minor est omnibus sphæræ sperficies, qvod demonstratur à Mathematicis. Citiùs ergò absolvetur motus super circulo factus qvocunqve alio, facto super aliâ figurâ, idem spatium complectente, II. de cœl. IV. t.29.

CLXX. Qnamvis verò motus cœli sit circularis, non tamen unus est motus: quia aliàs sidera omnia eodem modo se haberent, qvod non contingit. Sol namqve vertici nostro jam

jam appropinquat, post iterum ab eodem refugit. Luna jam Soli conjungitur, postea paulatim recedit. Denique in omnibus aliis stellis id observatum est, qvod pristina sua loca soleant mutare. Perspicuum ergò est, quod in cœlo plures sint motus & inter se distincti. Qui tamen omnes ad duas species restringi possunt. Motus enim omnis, qui in cœlo observatur, tendit aut ab ortu in occasum, aut ab occasu in ortum. Ille viginti qvatuor horarum spatio absolvitur, & per se competit primo mobili, per accidens autem cæteris sphæris, quatenus scilicet à primo mobili continentur & virtute ejus circa terram cum eo circumaguntur, non aliter quàm navis, quæ secundo flumine cursum conficiens omnes insidentes secum devehit, aut rota ab unâ ad partem alter mota, omnia ipsi imposita secum in eandem partem rapit. Hic autem singulis orbibus inferioribus proprius ac peculiaris est, & contranititur quasi primo mobili, aut obviat ei, ad eum modum, qvo homines in navigio vecti, decurrente secundo flumine, contra flumen, sive à prora ad puppim, progrediuntur, aut formica rotæ figuli à dextrâ in sinistram circumactæ insidens in partem oppositam prorepit.

CLXXI. Ex qvo non obscurè colligitur, non omnia, quæ in cœlo sunt, æquè simplici gaudere motu. Soli enim, Lunæ &c. duplex adscribitur motus, nempe ab occasu in ortum & ab ortu in occasum, qvorũ ille per se ei competit ac proprius est, hic autem per accidens ei convenit & communis est cum aliis. Ita Sol quotidiè intra viginti qvatuor horas movetur ab ortu in occasum circumactus à primo mobili: at motum proprium, qui est ab occasu in ortum, annuo demum spatio absolvit. Luna autem cursum suum proprium intra mensem conficit. Idem in cæteris planetis omnibus observatur. Quisque enim illorum motum habet proprium, qui mutationum in his sublunaribus causa est, velut generationis & corruptio-

nis,

nis, item viciſſitudinum, æſtatis & hyemis, veris & autumni II. gener. & corrupt. X. t. 56. & communem, quo moventur cum primo mobili, ut partes totius, ſeu ut contentum in continente, quod eſt una continua magnitudo, cui per ſe motus ille communis competit, qui, quod reliquis ſeu propriis motibus naturâ prior ſit, dubium non eſt. Et velociſſimus enim eſt, & æquabilis ſemper, & ſimpliciſſimus, ideoq; & cæterorum omnium motuum eſt regula ac menſura, à quo & continuitatem ac perpetuitatem habent ea, quæ altero motu moventur. Et hæc cauſa eſt, cur ab Ariſtotele & Platone hic motus vocetur πρώτη φορὰ, *primus motus*, quod primo mobili inſit, & quod velociſſimè movendo omnium primò periodum abſolvat, ſitqve κατὰ φύσιν cæteris omnibus localibus motibus prior, non autem localibus ſolum, ſed & reliquis. Niſi enim primum mobile moveretur, nec ſecunda moverentur, velut Sol, Luna &c. Hæc porrò niſi moverentur, nulla eſſet generatio, nulla corruptio. Accedente enim Sole generationem, & recedente corruptionem fieri videmus II. Gener. & corr. cap. X. t. 58. Unde Sol & homo hominem generare dicuntur ex materiâ II. Phyſ. II. t. 26. generatione autem ſublatâ in ſublunaribus ceſſat & motus localis; nihil enim ex illis moveri poteſt ſecundum locum, niſi prius ſit, ſicut Philoſophus ait: Τοῖς μὴ οὖσιν, οὐκ ἀποδιδόασι τὸ κινεῖσθαι IX. Met. III. Quicqvid autem eſt ex illis naturaliter, id eſſe cœpit per generationem. Porrò, niſi cœlum moveretur, nec alteratio ulla eſſet. Præſentia n. Solis caloré, abſentia frigus gignit, ut dictum ſupra ex I. Meteor. c. III. At hæ ſunt primæ inter omnes illas, ſecundum quas fit alteratio, qualitates, à quibus cæteræ omnes pendent II. Gen. & Corr. II. IV. Meteor. c. I. Porrò alteratione nulla fit augmentatio, ſicut oſtēſum antè. Ergò nec illa fit ſine motu locali. Atq; hinc & cœtera omnia, quæ in ſe ſecundum affectiones & δυνάμεις tranſmutari ſolent, veluti corpora ſimplicia, circularem imi-

imitantur lationem. Cùm enim ex aquâ gignatur aër, & ex aëre ignis, & rursum ex igne aër, atqve ex aëre aqua, ideo in orbem generationem ire dicimus, qvia rursus eodem redit reciprocaturqve. Et hâc de causâ rectus qvoq; horum motus continuus dicitur, qvod circularem imitetur II. Gener. & corr. c. IV. t. 25. & c. X. t. 59. Rectè ergo Philosophus I. Meteor. II. motum cœlestem ait esse principium omnium mutationum, quibus elementa caducaqve corpora cientur, atq; adeo mundum hunc inferiorem cœlestium corporum motibus esse qvomodo continuatum, ut omnis ejus virtus ab illis regatur. Nec malè alii cœli motū comparant cum motione cordis in animali. Nam ut hâc cohibitâ omnes reliqvi motus cohibentur & animal interit: sic & cœlesti motu sublato omnes reliqvos motus disperdi & mundum dissolvi oportet. Qvod Homerum qvoq; per catenam auream significare voluisse, Plato in Theæteto arbitratur. Interpretatur namqve illam Solis & cœli circuitum, qvo perseverante omnia asserventur, & qvo qvasi ligato, cuncta dissolvi, atqve evenire, qvod dicitur, ut sursum deorsum omnia misceantur, sit necesse. Sic ergò Aristoteles methodo Analyticâ invenit motum primi mobilis esse motuum omnium primum, adeoqve eorum principium, qvia principium & primum idem sunt I. Post. II. §. 12. Ex motu autem isto, cum nihil moveatur à seipso, porrò collegit, dari primum movens immobile, qvod est Deus. Qvâ de re jam supra aliqvid est dictum.

CLXXII. Eandem methodum & in Metaphysicâ usurpavit. Hæc enim primorum principiorum primarumqve causarum est scientia, I. Met. cap. I. & II. quæ non aliter, nisi per ἀνάλυσιν, investigari possunt. Qvod cum aliqvi non considerârint, satis sinistrè de hoc opere judicarunt, quasi nihil contineret, qvod utile sit πρὸς διδασκαλίαν καὶ μάθησιν, ut videre est apud Plutarchum in Alexandro, aut ἀμεθόδως planè scriptum

Eee esset,

esse, qvod Nicolaum Damascenum, Philosophum Peripateticum, qui Augusto Cæsari charissimus fuisse dicitur, existimasse refert Averroes procœmio in X. lib. ex Alexandro testimonio desumto. Sed nec hodie desunt, qvibus non admodum benè audit Philosophus, & quidē ideò, qvod nec demonstrationes, nec definitiones in Metaphysicâ suâ adhibuerit, non animadvertentes, quod neutræ ibi inveniant locum. Objectum enim Metaphysices est *ens*, quà ens est IV. Met. I. At ens non habet unam aliquam communem rationem, per quam demonstrari quid possit de eo, sed est ex eorum numero, qvæ dicuntur πολλαχῶς IV. Met. II. & quidem κατὰ πρότερον καὶ ὕστερον, sive πρὸς ἕν. Qvæ autem ita se habent, ea non habent naturam aliqvam communem, sicut ea, qvæ dicuntur καθ' ἕν, aut causam unam eandemqve, qvæ omnibus, ad id genus pertinentibus, tàm primò, qvàm iis, qvæ seqvuntur, sit communis, & per qvam alia de ipso communi demonstrari possint, sed unum ex illis est causa alterius, usq; ad ipsum primum, qvod cæterorum norma & mensura existit. Jam accidit non rarò, ut primum illud habeat rationem aliquam se priorem, qvod fit in iis omnibus, in quibus aliud est τὸ εἶναι πρᾶγμα, aliud τὸ εἶναι πράγματι, velut in compositis VII. Met. X. III. de animâ c. VI. & tum de isto primo demonstrari quidpiam nihil prohibet, quia subjectum & quid est sunt distincta, & hoc naturâ prius est. Ast alia est ratio primi entis, quod & ipsum solum simpliciter ens est, cum cætera sint talia, aut talia entia, velut corporea, corruptibilia, &c. Hoc enim non habet rationem aliquam priorem, sed in ipso idem sunt ipsum ens & quid est, εἶναι πρᾶγμα, & εἶναι πράγματι, sicuti in simplicibus fieri oportet. Non enim dicuntur eò, quod aliud in alio sit, ut materiâ VII. Met. t. 41. Deest ergò hic medium demonstrationis, quia aliàs, cum quidditas, quæ deberet esse medium, cum subjecto eadem sit, minus extremum & medium in demonstratione forent idem, quod est absurdum. Neqve

officit

officit quicquam, quod Aristoteles ipse IV. Met. II. entis, quà ens est, dicat esse aliquas affectiones, quæ illi per se insint, veluti sint unum & multa, idem & diversum, & eorum species, ut differentia, contrarietas & alia hujusmodi, quæ entis, quatenus ens est, naturam seqvuntur. Nam hæc ipsa quoqve non minus æquivocè dicuntur, ac ipsum ens. Unde & in V. & X. Met. non minus ejusdem, contrarietatis, unius, totius, partis & aliorum talium diversæ significationes numerantur, atque ipsius entis. Quod si autem aliqua ex his insint primo enti, inerunt ei sine medio, qvod medium hic à subjecto non erit distinctum. Atqve hinc fit, ut ex affectionibus illis constituantur prima principia seu axiomata, quæ omnes scientiæ accipiunt, & enti quidem, prout ens est, insunt, sed demonstrari non possunt, IV. Met. t. 9. nisi fortè demonstratione elenchticâ aut ducente ad impossibile. Talem enim etiam in Philosophia prima dari non negamus, eoqve sine dubio respexit quoqve Aristoteles, quando VI. Ethic. cap. VI. dicit, *sapientis* (hic autem Philosophus primus est, I. Met. I. & II.) *esse, de nonnullis habere demonstrationem.* Et XI. (XIII.) Met. c. 1. sapientiam *demonstrationem* vocat, *quæ circa accidentia versatur.* Quamvis enim horum ostensiva demonstratio ex prioribus non sit, ut in scientiis particularibus, est tamen alia quædam, ea scilicet, quæ ad impossibile ducit.

CLXXIII. Non latet nos, quid hîc soleat obverti. Quidam dicunt, licet affectiones entis communes de ipso ente demonstrari non possint, posse tamen de singulis entibus per rationem ipsius primi entis. Verùm talis demonstratio nulla est. Ex eodem enim genere oportet esse medium & extrema demonstrationis I. Post. VII. In hâc autem medium & affectio quidem ad Philosophiam primam pertinent, cætera autem entia secundum partem considerata alias diversas & peculiares constituunt disciplinas, sicut docet Philosophus XI. Met.

III. dicens, *Philosophi primi scientiam esse entis, quatenus ens est, universaliter, non secundum partem, & hâc ratione differre à Mathematicis & naturali scientiâ, quæ secundum partem considerent assumentes genus proprium uniuscujusq́, de quo quærant principia & accidentia, ut talia, non ut entia.* Quod si dicant fortè, licet singula entia, quatenus secundum partem considerantur, ad Metaphysicam non pertineant, v. c. ut sunt mobilia, corruptibilia &c. pertinere tamen ad illam, quatenus sunt entia, atque sic affectiones entis de illis demonstrari posse, respondemus, ne id quidem fieri posse. De partibus enim alicujus universalis non demonstratur affectio ipsius universalis, nisi quatenus continetur sub universali, cujus tanquam subjecti primi, qvod πρῶτον δεικτικὸν Græci dicunt, est demonstratio. E. gr. de vite & ficu quæritur, cur abjiciant folia, non quatenus illa vitis, hæc ficus est, sed quatenus utraq; est latifolia. Latifoliis enim arboribus hæc est affectio communis II. Post. XVII. At de ipso ente, quatenus ens est, universaliter demonstrari non possunt affectiones propriæ, demonstratione scilicet ostensivâ, ut ostensum est: ergò nec de entibus in parte consideratis.

CLXXIV. Alii dicunt, nihil prohibere, quò minus affectiones aliquæ etiam de ipso ente demonstrentur. Non enim omnes, inquiunt, æquè primò insunt, sed ita illæ inter se sunt connexæ, ut una ab altera pendeat tanqvam à causâ. E. gr. qvod ens sit verum, demonstrari posse volunt ex eo, quod sit unum; qvod sit bonum ex eo, qvod sit verum: unum enim esse *ratione* prius vero, hoc autem bono, quia illud idem sit, quod conforme intellectui hoc autem idem, qvod conforme sit appetitui, intellectus autem appetitu sit prior. Verùm & huic doctrinæ parùm solidi subest. Ut enim de uno jam nihil dicam, unde, quæso, probabunt, verum & bonum esse affectiones entis? Sanè verum absolutè non dicitur, nisi de compositione & divisione intellectus, propter hanc autem, atqve adeò δευτέρως, etiam de oratione, quæ σύμβολον est ista-

istarum. Cum enim intellectus componit, quæ reipsâ sunt composita, & dividit, qvæ reapse sunt divisa, compositio & divisio talis veræ dicuntur, qvod si secus res habeat, falsæ. Et hinc disertè verum dicitur affectio τῆς διανοίας VI. Met. cap. ult. οὐ γάρ ἐστι τὸ ψεῦδος, καὶ τὸ ἀληθὲς ἐν τοῖς πράγμασιν, ἀλλ' ἐν τῇ διανοίᾳ, *Non est falsum & verum in rebus, sed in dianiâ.* Qvod si autem aliqvando verum & rebus tribuitur, id non fit, nisi impropriè, nec ideò magis affectio entis dici potest, quàm falsum, qvod & ipsum qvandoqve rebus à Philosopho aptatur, veluti V. Met. XXIX. At πάθος sive affectio rei propria, ei, cujus est propria, ἰδίως competere debet. Neqve absolutè verum dicitur de rebus, sicuti dicitur de compositione & divisione intellectus, sed cum apposito. V. gr. non rectè dico de hoc poculo, qvod sit verum, sed qvod sit verum poculum; nec de Petro, qvod sit verus, sed qvod sit verus homo. At hoc in affectionibus locum non invenit. Non enim citra nugationem dixeris, Petrū esse hominem risibilem, quoniam jam tum in definitione risibilis homo includitur, qvod propriæ affectiones omnes definiantur ex additione subjecti XII. Met. V. Cum genere quidem proprium, quando de aliqvo prædicatur, semper efferendum est, v. c. non dicendum est, quod homo sit scientiæ capax, sed qvod sit animal scientiæ capax V. Topic. III. §. 7: at cum subjecto efferri nō potest citra nugationem. Deniq; quid verum denotat, cum de rebus effertur? Illi dicunt, id, quod conforme est intellectui. At qvis, audiens, hoc non fictum esse aurum, seu tale, qvod speciem auri mentiatur, sed verum, hanc veri notionē sibi format, ut cogitet, ideò id verum esse aurum, quod conforme sit intellectui, hoc ut genuinum aurum concipienti? Scilicet hoc est perpendiculum ponere juxta saxum, & non saxum juxta perpendiculum, aut pedem calceo, non calceum pedi aptare. Neqve enim intellectus noster est mensura rerum, sed res intellectus. Non ideo, quia nos existimamus, aliqvem esse album, is est albus, sed quia albus quispiam

eſt, ideo nos album eſſe cogitantes verum cogitamus. IX. Met. ult. Conf. lib. Categ. c. XII. §. 7. & I. de Interpr. c. IX. §. 14. Sicut nemo eſt, qui audiens, orichalcum eſſe falſum aurum, Solis occultationem eſſe falſum luminis deliqvium, non exiſtimat, ideo hæc falſa dici, qvod appareant talia, qualia eſſe dicuntur, reverâ autem non ſint talia: ita contra, nemo eſt, qui non, audiens, hoc eſſe verum aurum, hanc notionem formet, non apparere hoc ſolùm eſſe aurum, ſed & eſſe re ipsâ id, qvod eſſe dicitur, ut adeò verum rebus additum, nihil aliud ſit, quàm particula, ut in Scholis vocare ſolemus, ponens, quæ ei, cui adjungitur, non addit novam ſignificationem, ſed ſolùm indicat, id, quod tale quid eſſe aut non eſſe dicitur, propriè & reverâ eſſe, aut non eſſe tale, veluti cum fœminam aliquam dicimus virginem eſſe intactam aut illibatam. Perinde enim eſt, ſive dicamus virginem ſimpliciter, ſive virginem illibatam, quoniam quæ illibata non eſt, virgo non eſt, & quæ virgo eſt, eô ipsô, quo virgo eſſe dicitur, illibata intelligitur eſſe. Ita ergò ſe verum quoqve habet ad res relatum. Nihil enim intereſt, ſive quid dicamus eſſe aurum ſimpliciter, ſive verum aut genuinum aurum. Quod enim verum aurum non eſt, nec ſimpliciter aurum eſt, ut felle tincta, quæ auri ſpeciem mentiuntur, ſed nihil minus ſunt, quàm aurum. At ita ſe non habent affectiones verè tales. Ad minimum enim vel ex propriâ diſſentientium doctrinâ novum rationis reſpectum addunt iis, de qvibus dicuntur.

CLXXV. Sed nec bonum eſt affectio entis. Nam primò bonum æqvè æqvivocum eſt, atqve ipſum ens I. Ethic. cap. IV. (VI.) At nec propriæ affectiones debent eſſe æqvivocæ, nec ipſum ſubjectum. Propriæ affectiones enim (τοῦ μαθεῖν χάριν ἀποδίδοται) V. Top. c. I. §. 5. aut γνώσεως ἕνεκα §. 3. *diſcendi aut cognitionis gratiâ afferuntur.* Cognitio autem & diſciplina omnis ex notioribus proficiſcitur, quale certè id non eſt, qvod ambiguum exiſtit. Id enim ἀσαφὲς ποιεῖ τὸ ῥηθὲν, ut ibidem docet

docet, §. 5. Neqve est, quodqvis excipiat, ipsum Aristotelem unam expressisse rationem boni, definiens illud per *appetibile* I. Eth. cap. I. Nam nec appetibile ἁπλῶς dicitur, sed qvoddam, quia *jucundum* est; qvoddam, qvia *honestum*; qvoddam deniqve, qvia *utile*. Unde hic locum invenit, quod observat Philosophus I. Top. XV. §. 15. dicens, contingere aliqvando, ut æquivocis una aliqva assignetur definitio, qvæ tamen definitum ab æqvivocatione non liberet, cum & in ipsâ definitione lateat ambiguitas, qvod uberius illustravimus alio loco. Tacemus, quod appetibile non sit ipsa ratio aut essentia boni, sed consequens potius ejus. Non enim ideò, quia quid appetitur, bonum est, sed ideo potius, quia bonum est, appetitur. Imò fortè ne conseqvens qvidem absolutè. Si enim conseqvens boni necessarium foret appetibile, tùm semper, quò qvid melius est, eo magis esset appetibile. At Philosophus III. Topic. cap. II. §. 21. dicit, non semper id, qvod melius est, esse & αἱρετώτερον, *magis expetendum*, Ex. gr. Philosophorum vita optima est, sed non ideò omnibus, præsertim iis, quibus ad vivendum necessaria non suppetunt, magis expetenda. Sed hoc transeat. Id solùm nunc observamus, qvod bonum juxta Aristotelem non de omnibus entibus dicatur. Manifestè enim V. Met. XIV. illud numerat inter affectiones mobilium, vel eorum, quæ agere possunt, aut pati. Immobilia autem apertè excipit, & peculiares qualitates illis assignat. Qvod facit & XI. (XIII.) Met. cap. I. ubi *bonum*, ait, *in agendis existere & iis, quæ sunt in motu, non in immobilibus*. Item XIII. (XI.) Met. cap. III. ubi *pulchrum* quidem *in immobilibus & Mathematicis* esse dicit, *non* autem *bonum, quod hoc in operatione consistat*. Sed & lib. I. Eud. cap. IIX. dicit *aliquâ quidem ratione in omnibus prædicamentis bonum reperiri etiam in quantitate, propriè tamen bonum agibile esse*. Ulterius lib. Categ. cap. X. §. 9. & 10. contraria distingvit in *mediata* & *immediata*, & inter *mediata*

col-

collocat *bonum & malum, quod non necesse sit omnia bona vel mala esse.* Idem repetita VI. Top. cap.XIII. §.10. ubi itidem non solùm *bonum* dari scribit & *malum*, sed & *neutrum.* Et tale quid Boëthius in Postprædicamentis ait esse *divitias & pulchritudinem, quæ neq; bonæ sint, neq; mala.* Non minus verò & res Mathematicæ tales sunt. Veluti circulus, quatenus figuram aliquam Mathematicam significat, neqve bonus est, neq; malus, sed pulcher aut deformis. Quâ de causâ etiam nemo facilè, qui ἀκριβεῖαν in loquendo observare amat, faciem alicujus venustæ virginis dixerit bonam esse, (hæc enim magna esset κακόζηλος) sed formosam; nec iridem bonam, sed pulchram.

CLXXVI. Sed posito, quod unum, verum, bonum sint veræ affectiones entis, demonstratio tamen illa nimis esset jejuna. Omne unum est verum. Omne ens est unum. E. O. ens est verum. Nec melior illa: Omne verum est bonum. Omne ens est verum. E. Omne ens est bonum. Juxta has enim unum, verum, bonum ita cohærent, ut id, qvod priori loco ponitur, posterioris sit causa, bonum scilicet veri, & verum boni. Sed quis hoc sibi persuaserit, inprimis, si definitionum singulorum, quas illi afferunt, habuerit rationem? Unum enim dicunt esse, quod est indivisum: verum autem, qvod est cônforme intellectui: bonum deniqve, quod est appetitui conforme. Ast quomodo hæc cohærent? Nunquid enim ideò quid intellectui est conforme, quia est indivisum? Non opinamur. Nam & ea, quæ divisa sunt ab invicem, cognoscuntur intellectu, & quidem verè cognoscuntur, cum intellectus non solùm apprehendat ea, quæ similia, æqualia aut eadem sunt, quorum hæc secundum quantitatem, illa secundum essentiam, ista secundum qualitatem sunt indivisa, sed & his opposita, dissimilia, inæqualia, diversa. Qualis item est connexio inter conforme intellectui & bonum, sive appetibile?

Neqve

Neqve enim, solùm appetibile est, qvod est conforme intellectui, sed etiam id, qvod est conforme sensui aut phantasiæ, sicut in brutis apparet, quibus multa sunt bona & appetibilia, cum tamen intellectu non sint prædita. Denique nec omne id, quod est intellectui conforme, est statim bonum, sive appetibile. Annon enim & hoc, diametrum non esse commensurabilem costæ, est conforme intellectui? ast quis hoc appetibile statuerit esse. Vitia item morbus, cœcitas, demum privationes omnes, in se spectatæ, sunt aptæ admovendum intellectum, sive excitandam in eo sui cognitionem, (hoc autem illi dicunt esse conforme intellectui) si non *πρώτως*, *δευτέρως* tamen, cum oppositorum cognitio aut dijudicatio ad eandem pertineat facultatem. Nunquid ergò & hæc bona erunt dicenda?

CLXXVII. Denique, cum alii videant, ne sic quidem obtineri posse, qvod demonstrationes ostensivæ dentur in Metaphysicis, ad aliud asylum confugiunt, dicentes, affectiones has, unum, verum, bonum demonstrari posse ex propriis definitionibus, velut omne ens esse unum ex eo, quod ens omne sit indivisum. Divisa enim quæ sunt, jam non unum sunt, sed multa: non ens, sed entia. Quod autem ex definitionibus affectionum ducantur demonstrationes, ipse, inquiunt, docet Aristoteles II. Post. c. XVII. §. 2. dicens, *medium* (demonstrationis) esse *definitionem extremi*, nempe *primi*, i. e. *majoris*, ut ipse exponit §. 6. Fatemur, dicere hoc Aristotelem: at non de quàvis definitione affectionis ibi loquitur, sed causali, quæ ultimò resolvitur in definitionem subjecti, ut visum nobis ante; non autem de essentiali definitione, multò minus de *λόγῳ ὀνοματικῷ*, sive definitione nominali. Cùm enim demonstratio à causa petatur, causa autem semper sit diversa ab eo, cujus est causa, quomodo definitio nominalis aut essentialis affectionis, quæ planè eadem est cum definito, medius terminus

demonstrationis dici posset? Petitio τοῦ ἐν ἀρχῇ, non demonstratio est, cum idem per idem probatur, veluti Lunam pati eclipsin ex eo, quod privetur lumine, aut honestum quid esse, ex eo, qvod deceat. At talis est definitio illa unius, quâ illud dicitur esse id, quod est indivisum. Ut taceamus & indivisum non simpliciter, sed variis modis dici. Qvoddam enim ita est indivisum, ut tamen dividi possit, velut mensa, arca, domus &c: quoddam autem ita, ut nullo pacto dividi queat, velut unitas in numero, punctum in magnitudine, νῦν in tempore, & in substantia Deus.

CLXXVIII. Patet etiam hinc, quid respondendum sit illis, qvi dicunt, non dari quidem in Metaphysicis demonstrationes, qvæ procedant ex causis formalibus, dari tamen quasdam, quæ ex causis virtualibus proficiscantur. Sic enim distingvuntur causæ à Cajetano in I. Post. II. quem illi seqvuntur. Dicunt autem illas quidem esse causas veras ac realiter causantes, ut barbarè nobis cum iis loqui liceat, secundum genus aliqvod causæ, qvæ & realiter distingvantur ab eo, cujus sunt causæ, sicut diametralis interpositio terræ inter Solem & Lunam distingvitur realiter ab eclipsi Lunæ, cujus illa vera ac realis causa est. Has autem non tam esse causas eorum, qvorum dicuntur esse causæ, eò qvod realiter ab iis non distingvantur, qvàm rationes, cur illa insint. E. gr. immortalitatis animæ causam esse ajunt immaterialitatem. Qvamvis enim hæc reapse distincta non sint, hanc tamen rationem esse, ob qvam immortalitas animæ insit. Nempe etiam hæc nituntur tibicine parùm firmo. Si enim virtualis causa non differt reipsâ ab eo, cujus est causa, qvomodo causæ, & quidem talis, ex qvâ demonstratio ostensiva ducitur, nomen tueri potest, cum causa semper sit diversa ab eo, cujus est causa, vel juxta pervagatum illud: *Nihil est causa sui ipsius?* Esset enim idem seipso naturâ prius & posterius, qvandoqvidem omnis causa est naturâ

prior

prior eo, cujus est causa I.Post.II. Exemplum porrò, qvo naturam illustrant causæ virtualis, quam vocant, minus est conforme. Si enim ideò anima est immortalis, qvia est immaterialis, atq; adeò immaterialitas (liceat nobis rursus cũ illis loqui) est causa immortalitatis, tum ex opposito materialitas erit causa mortalitatis & corruptibilitatis. *Cum enim negatio est causa, cur non insit, tum affirmatio est causa, cur insit*, I.Post.XIII.§.8. At posterius hoc falsũ est. Datur enim aliquid, quod materiale quidem est, sed incorruptibile & immortale, velut cœlum, qvod materiam habere dicitur I.de cœl.c.IX.t.95. & tamen immortale est ac incorruptibile II.de cœlo c.I. Unde etiam simul patet, qvod immortalitas & immaterialitas non ratione solùm, sed & ὑποκειμένῳ, adeoqve reipsa, sint distincta. Reliqvum ergò est, ut dicamus, in Metaphysicis non invenire locum demonstrationes propriè dictas, quod erat probandum.

CLXXIX. Sed nec definitiones propriè dictæ ibi locum habent. Ens enim in communi spectatum est ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων, h. e. ex eorum numero, quæ de pluribus diversimodè dicuntur. Aliter enim substantia est ens, aliter quantum, aliter quale, aliter generatio, aliter privatio &c. IV.Met. II. At talia definiri non possunt, nisi fortè distinctionem eorum juxta varias significationes definitionem dicas, ex quâ nihil demonstrare licet. Primum ens autem, qvod primò in Metaphysicis consideratur, definiri non posse, vel ex eo patet, quod definitio omnis habeat partes. Est enim oratio: orationis autem omnis partes aliquas esse extra dubium positum est VII.Met.t.33. Quomodo autem partes definitionis ad invicem se habeant, docetur IIX. Met.t.15. Nempe hæc quidem se habet, ut materia, altera autem ut actus, licet non omnis materia sit pars definitionis; ea enim materia, quæ communis est, & aliàs prima audit, nullius quidditatis pars est, quâ de re videndus est Aristoteles VII.Met.X. & XI. Quæ igitur nullam

habent materiam, neque sensibilem, neque intelligibilem, indivisibilia omninò & unum sint oportet IIX.Met.text.16.consequenter autem horum definitio non erit: partes enim haberent, quibus tamen omninò destituuntur, cum materiæ omnis sint expertes. At ita se habet primum ac simpliciter ita dictum ens, quod primò consideratur in Metaphysicis. Si enim materiam aliquam haberet, compositum esset, & sic aliquid se prius agnosceret, quo existente illud esset. At prius se non agnoscit, primum namqve absolutè est: simplex igitur omninò sit, necesse est, quod non definiatur ab alio, sed omnia potius finiat. Sed nec ea, quæ per se enti insunt, definiri possunt. Quatenus enim ad ens in communi referuntur, itidem æquivoca sunt, & variis modis dicuntur. E.gr. inter affectiones, quæ enti per se insunt IV. Met. c. II. numerantur & hæc, prius & posterius, genus & species, totum & pars, & cætera hujusmodi: at singula hæc diversimodè accipiuntur, sicut videre est V. Met.XI.XXV.XXVI.XXIIX. Quatenus autem aliqua ex illis ad primum ens reducuntur, sunt & ipsa simplicia, & prima. Neq; enim in his ita se res habet, ut in aliis affectionibus. In illis namq; præter substantiam, quæ additur in eorum definitionibus, adhuc aliud quidpiam continetur, quod prius est, nempe ipsum genus, quod semper naturâ prius esse iis, quorũ est genus, docet Aristoteles VI.Top.IV. Ex quo fit, ut affectiones ejusmodi semper in priora resolvantur, velut simitas in curvitatem, curvitas verò in aliquid aliud, donec tandem ad primam contrarietatem deveniatur, quæ unum & multa continet. At primæ affectiones non habent rationes priores præter ipsam primam substantiam, cui primò & immediatè insunt. Alioqui enim hæc rursus composita esset ex pluribus, diversam rationem habentibus, & sic non esset primum ac simplicissimum ens. Et hinc facilè intelligitur, quæ causa sit, cur Aristoteles de simplicibus nec qvæstionem aliquam formari

mari posse, neqve doctrinam ullam esse asserat VII. Met. ult. text. 60. In omni enim doctrinâ & qvæstione qværitur aliquid de aliquo, in simplicibus autem aliquid de aliqvo qværi non potest, sed si qvæstio aliqva formaretur, esset ejusdem de eodem, cum sint simpliciter unum quid, nihil compositum continentia aut coagmentatum.

CLXXX. Alia ergò obtinet in Metaphysicâ methodus, qvàm ὁριστικὴ & ἀποδεικτικὴ, nempe ea, quam paulò antè diximus ἀναλυτικὴν. Principiorum enim, ut diximus, hæc est scientia: principia autem si obscura sint, aliter investigari non possunt, nisi per ἀνάλυσιν, à compositis progrediendo ad simplicia, ex notioribus nobis ad notiora natura, & posteriora subinde revocando ad priora, donec ad simpliciter primum perveniatur. Ita si dubium esset, orationis principia esse vocales & consonantes, Grammatica, quæ circa orationem versatur, in vestibulo statim quærere cogeretur principia illa, resolvendo orationem in periodos, periodos in commata, hæc in nomina & verba, nomina & verba in syllabas, syllabas deniq; in vocales & consonantes. Similiter si in Arithmeticis dubium esset, an unitas sit principium numeri, numeri compositi resolvendi essent in simplices, simplices in simpliciores, usq; ad primos, binarium & ternarium, hi autem tandem in unitatem. Eodem itaq; pacto procedendum in Metaphysicâ, in quâ quæruntur principia entis, quatenus ens est. Ea ut inveniantur, ante omnia ens, qvippe commune πρὸς ἕν, resolvendum est in sua significata, & ex his unum ad aliud reducendum, usqve ad primum. V. gr. Cum ens aliud sit actu, aliud potentiâ, actus autem & naturâ, & definitione, & tempore, & cognitione prior sit potentiâ IX. Met. c. IIX. ens potentiâ reducitur ad ens actu, hoc autem cum sit id, qvod est per actum, reducitur ad ipsum actum: ex actibus porrò unus ad alium, usqve ad unum aliquem primum actum, semper eodem

 modo

modo se habentem, quem includunt reliqvi omnes. Item, cum ens aliud sit per se, aliud per accidens, hoc qvidem neglecto, cum nulla scientia occupata sit in ente per accidens considerando, sive contemplativa sit, sive activa, sive effectiva VI. Met. II, ens per se, qvod dicitur tot modis, qvot sunt σχήματα τῶν κατηγοριῶν, veluti quid, quantum qvale, πρός τι &c. VII. Met. I. revocandum est ad τό τι sive substantiam, utpote quæ & naturâ, & tempore, & defininitione, deniqve omnibus modis prior est reliqvis entibus, ut ibidem docetur: ex substantiis autem cum quædam sit composita, ut ignis, aqua &c. quædam materia, quædam denique quidditas seu forma, in hanc qvidem reliquæ duæ sunt resolvendæ, cum ab ea habeant, ut sint τι vel τὸ δέ τι l. VII. Met. IV. & V. deniq; ex qvidditatibus una reducēda est ad aliam, donec perveniatur ad primam quidditatem quæ sit principium reliqvarum omnium quidditatum.

CLXXXI. Eadem methodus observanda est in tractandis affectionibus entium, veluti sunt unum & multa, sub quibus continentur diversa, differentia, opposita, dissimilia, qvæ sunt species multorum & apertè ᾗ ὄντος πάθη appellantur, lib. IV. Met. II. Ex his differentia reducuntur, ad diversa. Omnia n. qvæ differunt, diversa sunt, sed nō omnia, quæ diversa sunt, statim sunt differentia. Nempe quicquid differt, aliqvâ ratione idē cum est cum eo, à qvo differt, aliqvatenus tamen qvoqve ab eo diversum est. Quæ namq; differunt numero, convēiunt specie, qvæqve specie differunt, genus idem habent. At diversa aliqva esse possunt, qvæ nullo pacto conveniunt, sed se totis distant, ut ens & non ens, ad qvæ omnia differentia tandem reducuntur. Differentiam n. perfectam facit contrarietas X. Met. IV. contraria verò reducuntur ad privativè opposita, cum prima contrarietas sit habitus & privatio, semperq; ex contrariis id, qvod deterius est, habeat rationē privationis, velut nigredo respectu albedinis, & frigus respectu caloris, curvum item respectu recti &c.

cti &c. Porrò privatio omnis est contradictio aliqua, quia qvod privatum dicitur re aliquâ, vel omninò eam habere nō potest, vel quidē habere, reapse tamen non habet, aut simpliciter, aut non hoc vel illo modo. Multipliciter enim dicitur privatio, ut videre est apud Aristotelem ipsum lib. V. Met. cap. XXII. & lib. X. cap. IV. Denique prima contradictio est inter ens & non ens. Tandem ex iis, quæ unum sunt (est autem hoc & multorum principium, ad qvod ista, ceu posteriora, ad id, quod prius, revocantur) alliquod unum est ut indivisum, velut unum continuum, item universale &c. aliqvod autem unum est, ut indivisibile, velut in numero unitas, in magnitudine punctum. Atqve ex his quidem illud unum, qvod indivisibile est, naturâ prius est eo, quod est indivisum. Illud enim hujus mensura est. Unde & artifices in dijudicanda re aliquâ versantes tamdiu resolutionem instituunt in priora, unumqve altero metiuntur, donec ad aliqvod minimum & indivisibile pervenerint, sive id simpliciter & absolutè sit indivisibile, sive secundum quid, quale est, quo non datur minus secundum sensum, sive ita, ut non liceat aliquid ab eo auferre, quin facilè sentiatur & deprehendatur. Ita pedem metiuntur palmo, palmum digito, digito autem tanquam primâ mensurâ & indivisibili, quo non datur minus secundum sensum, utuntur, etiamsi aliàs in multas adhuc partes dividi possit. Eodem modo unciam in ponderibus tenuiorum adhibent, tanquam mensuram. Talento enim facilè aliquid additur vel detrahitur, qvod non animadvertatur: at unciæ vel scrupulo si minimum addatur vel detrahatur, facilè innotescit. His ergò velut mensuris in ponderibus dijudicandis utuntur. In qualitatibus autem dignoscendis utimur simplicibus, tanquam mensurâ compositarum. E. gr. ad id, qvod valdè calidum, putamus cætera calida & ad ejus scientiam, quem valdè doctum arbitramur, reliquorū eruditionem exi-

gimus & æstimamus. In omnibus autem his tantam ἀκρίβειαν non deprehendimus, quantam in Arithmeticis, ubi omnium numerorum mensura est unitas, quæ prorsus indivisibilis est, ita ut nihil quicquam ei addi aut detrahi possit, non secundum sensum solùm, sed & intellectum. Unde hæc reliquis mensuris & unitatibus naturâ prior est, cæteræqve ita vocantur κατ' ἀναλογίαν, aut similitudinem qnandam cum illâ. Qvod non solùm obtinet in mensuris qualitatum, sed & quantitatum. Utut enim non unitas solùm, qvæ mensura numeri est, sit simpliciter indivisibilis, sed & punctum, quod principium magnitudinis est, cætera autem non simpliciter, sed ut Philoponus ait in I. Post, XX. πρὸς τὴν ἡμετέραν συνήθειαν, *secundum nostram consvetudinem:* simplicior tamen ac prior unitas est puncto, quia unitas est cum positione (non licet enim concipere punctum, nisi alicubi situm esse intelligamus, veluti in principio aut in fine, aut in medio lineæ,) at unitas est sine positione. Sic ergò unum in qualitate & quantitate, quinimò in omnibus accidentibus reducitur ad unum in numero. At hoc ulterius reducitur ad unum in substantiâ, quippe per quam sunt omnes quantitates, qualitates, deniqve accidentia cuncta. Cum substantiâ autem similiter res comparata est, ut cum reliquis generibus. Ut enim in passionibus, in qualitatibus, quantitatibus numeri sunt & unum quiddam in omnibus, quod sit mensura & simplicissimum, quale in numeris, ut diximus, est unitas, in magnitudine punctum, in ponderibus uncia aut scrupulus, in sonis diesis, in oratione vocalis, in motu momentum, in tempore νῦν, in demonstratione immediata propositio, & sic deinceps: sic & in substantiis datur numerus, inter eas autem est una prima, simplicissima ac indivisibilis, quæ reliquis omnibus est perfectior, atque principium ac mensura illarum, quæ rursus est ipsa prima quidditas, seu forma separata, actus per se subsistens & sem-

per eodem modo se habens. *Sic ergò in Metaphysica* omnia resolvuntur in primum quid est, quæ & causa est, cur ipsa vocatur scientia τὸ τί ἐστι VI. Met. I. & *XI. (XIII.)* VI. Cum enim reliquæ scientiæ, factâ subjecti in propriam illius rationem & affectionum in propria principia resolutione, quiescant, atque sic ipsius quid est nullam rationem afferant, sed illud, aut inductione ex notioribus nobis manifestantes, aut supponentes ea, quæ generi per se insunt, ex eo demonstrant, sola Metaphysica rationes, quas cæteræ scientiæ supponunt, in priorem resolvit, donec perveniat ad primum quid est, in quod, cum illo prius non detur, nec in caussis progressus detur in infinitum, omnis desinit resolutio. Quemadmodum autem ratio ipsius quid est, quamdiu divisibilis est, ita quidem, ut ejus aliquid sit tanquam materia, aliqvid tanqvam actus, definitio est, quam sola θέσει à demonstratione differre supra est ostensum: sic ratio ipsius primi quid est, definitio dici non potest, cum prorsus sit indivisibilis, definitio autem omnis partes habeat dicto modo distinctas. Hoc ergò definitione non cognoscitur, sed alio modo, nempe intellectus simplici apprehensione, ea ratione, qua res sensui subjectæ sensu v.c. visu vel tactu apprehenduntur IX. Met. c. ult. Et hic quidem omnium cognoscendi modorum est perfectissimus & simplicissimus, ac initium omninm scientiarum. Qvoniam tamen difficile est nobis ea, quæ manifestissima sunt, eo modo, uti sunt, concipere, hinc non negamus, fieri, ut similitndine qvadam rationes cum iis, quæ nobis notiora sunt, ea comparantes, compositiones quasdam interdũ comminiscamur, indeqve definitiones & demonstrationes earundem secundum analogiam construamus. Verũ ubi analogia solum est, ibi non est res ipsa. V.gr. ubi analogum sanguinis est, ibi sangvis nõ est, & ubi analogum cordis, ibi cor non est propriè dictum. In piscibus est aliquid, quod analogum est pennis in avib9, nempe pinnæ. Qvis autem pinnas

pennas dixerit? Propriè ergò loquendo definitiones & demonstrationes in Philosophiâ primâ non dantur, sed analysis in supremos λόγυς, qvorum primus simplici νοήσει ab intellectu nostro apprehenditur secundum suam naturam. Quod aliquantò diductius nobis fuit ostendendum, cum à paucis advertatur, & tamen, eo non intellecto, impossibile sit, Aristotelem intelligi in Metaphysicis disserentem.

CLXXXII. Et tantùm de analysi qvoqve, quâ uti diximus Philosophum in investigandis principiis scientiarum. Ubi tamen illud observandum adhuc est, quod non semper ea investiget, sumto initio ab effectibus, sed aliquando & aliam ineat viam. Interdum enim à communibus quibusdam effatis omnibus notis orditur, & ab iis ad minus communia pergit, donec ad propria pervenit. Γνώριμα γὰρ γίνεται τὰ στοιχεῖα, καὶ αἱ ἀρχαὶ διαιροῦσι, τὰ ἡμῖν δῆλα καὶ σαφῆ, inquit I. Phys. cap. I. t. 3. *Elementa* enim *principia, quæ naturâ sunt nota, nobis autem utplurimum ignota sunt, fiunt nobis perspicua dividendo & resolvendo nobis nota.* Hanc viam sequitur in investigandis principiis rerum per naturam generabilium & corruptibilium. Sic enim disquisitionem illam auspicatur: *Necessum est*, inquit, *aut unum esse principium, aut plura; & si unum sit, aut esse mobile, aut immobile*, quorum utrumqve refutat I. Phys. III. & IV. *Sin plura*, pergit, *aut finita ea sunt, aut infinita, quorum posterius non potest esse, cum impossibile sit, infinita pertransiri*, atqve adeò ex his scientiam nasci. Finita itaqve ea esse concludit, & quidem non multa, sed pauca. Principia enim ita debent esse comparata, ut neque ex se invicem fiant, neque ex prioribus, sed ex iis sint omnia in illo genere, cujus sunt principia, sicut principia & elementa vocum neque ex se sunt composita, neque ex aliis, sed ex iis omnes reliquæ voces constant. Talia autem non multa, sed pauca esse solent. Tandem hæc ipsa requisita ostendit in prima contraria quadrare. Ideò enim

qvod

quod contraria sunt, non possunt esse ex se invicem, quoniam contraria maximè distant; quia autem prima sunt, non possunt esse ex aliis: essent enim ex prioribus, & sic non essent prima. Inde ergò infert, principia & elementa rerum per naturam generabilium esse contraria, in quo nonsolùm omnes Philosophos consentire, ait, sed pergit insuper & per inductionem ostendit, verissimum esse, quod non ex quovis quodvis fiat, sed omne id, quod fit, fiat ex contrario. Hoc autem jam est principium proprium in Physicâ, ex quo multa ibi deducuntur I. Phys. III. seq. Aliquando, præsertim quando definitiones indagat, primum ostendit, quid non sit res, quod sic animus præparetur ad eò facilius assequendũ quid sit res, quod quidem declarat definitio. Discutiendo namq; quod res non sit hoc, neqve illud neq; istud propter rationes in mediũ allatas, relinquitur tandem aliquid, quod naturam atqve essentiam ipsam rei declarat. Hâc methodo utitur in investigandâ definitione loci in IV. Phys. III. seqq. item summi boni I. Eth. cap. III. seqq. Nonnunquam ab eo, quod naturæ rei propositæ, quæ aliorum principium est, secundum analogiam respondet, exordium capit, illudq; illustrat, indeq;, quæ ad rationem propositæ rei spectant, elicit. E. gr. in quo ratio materiæ primæ rerum per naturam generabilium & corruptibilium sita sit, deducit, facta secundum analogiam comparatione cum materiâ sive subjecto eorum, quæ per artem mutantur I. Phys. t. LXIX. Aliter enim cognosci non potest, nisi per negationem, quomodo eam considerat Philosophus VII. Met. III. aut cognitione analogicâ, licet Plato hanc spuriam & adulterinam appellet in Timæo.

CLXXXIII. Egimus hactenus de methodis, qvæ ad modũ tractandi partes cujusq; disciplinæ pertinent. Nunc de ordine etiam aliquid dicendum, quo partes totius alicujus disciplinæ inter se cohærent, qui & ipse non rarò methodus vocatur,

citur. Quanquam enim aliqui ordinem à methodo diſtingvant, eò, qvod illius officium ſit, ordinare ſive diſponere diverſas diſciplinæ partes & θεωρήματα, & alia qvidem primo, alia ſecundo, alio tertio collocare loco, & ſic deinceps, donec ad extremum perveniatur: hujus autem munus ſit δεικνύειν ſive probare, aut manifeſta reddere ea, quæ ante fuerunt diſpoſita, qvod diſcrimen in ipſo Ariſtot. fundatum eſſe volunt, cumprimis in I. de part. Anim. c. I. ut alibi dictum, videlicet lib. III. de variis ſcient. gener. c. II. §. III: Ariſtot. tamen ſæpiſſimè methodi vocabulum ita uſurpat, ut utrumq; eo complectatur, μέθοδον videlicet, quam illi vocant propriè dictã, & ordinem. Quoties enim illi methodus idem eſt, quod tota ſcientia per certâ viâ & ordine tractata, veluti I. Phyſ. I. I. Ethic. c. I. & alibi multoties? Galenus quoqve paſſim voce hâc ita utitur, ut ordinem, qui in ſcientiis attenditur, eo comprehendat, velut i l. I. Meth. c. IV. ubi dicit, methodo quippiam invenire, & τυχόντως, *fortuitò ac temerè*, invenire eſſe oppoſita. Illud autem eſſe idem, quod invenire certâ quâdam ratione & ordine, ita, ut in diſquiſitione aliqvid primum ſit, aliquid ſecundum, tertium, quartum & ſic porro, donec ad id, quod ab initio propoſitum eſt, ſit perventum. Quæritur ergò, qualem Ariſtoteles ſive methodum, ſive ordinem (perinde enim nobis eſt, qvali vocabulo quis uti malit) in integrâ quâdam ſcientiâ obſervare ſoleat, num uno ubiqve ordine incedat, an in diverſis diverſo & alio utatur.

CLXXXIV. Vulgò methodum duplicem faciunt, qvæ in diſciplinis veniat attendenda, & unam quidem dicunt ſyntheticam, aliam analyticam, vocem hanc paulô aliter accipientes, ac veteres eam vidimus uſurpaſſe. Nempe methodum ſyntheticam vocãt, quæ procedit à principiis ad principiata, à ſimplicibus ad compoſita, à partibus ad totum. Hanc autem dicunt finem ſupponere, & à notione ejus ad conſiderationem medio-

rum

rum, qvæ velut principia aliqva virtute finem continent, progredi. Illâ dicunt usum esse Philosophum in disciplinis theoreticis pertractandis, veluti in Physicâ. Ibi enim primum agere de principiis corporis naturalis, velut materia & forma, hinc demum de ipso corpore naturali, qvod ex his compositum est; item prius agere de elementis, quæ simplicia corpora sunt, & tùm de corporibus mixtis, metallis, mineralibus, animalibus &c. Hanc autem ad hibuisse, ajunt, in disciplinis effectivis & practicis, veluti in Ethicâ, qvam peculiarem aliquã & à Politicâ distinctam putant esse disciplinam. Primum enim in illâ πραγματέια considerare finem, qui est ipsa εὐδαιμονία sive summum bonum, hinc autem virtutes, quæ sint media ad finem illum obtinendum conducentia. Hæc illi.

CLXXXV. An hæc doctrinæ Aristotelis sint conformia, valdè dubitamus. Nam ut de Analyticâ methodo prius dicamus, principiò finis in practicis disciplinis non semper ita notus est, ut statim poni possit, quin non raro disquisitione & declaratione satis prolixâ indiget, antequam ab eo liceat ulterius progredi. Quanquam enim artifices & viri prudentes, quippè periti earum rerum, quæ arti & prudentiæ subjacent, finem plenè habeant cognitum, antequam consilium capiant de mediis ad finem obtinendum facientibus, & ad agendum aut faciendum se accingant: ei tamen, cui scientia de prudentia aut arte tradenda est, non semper finis ille ita exquisitè cognitus est, ideoqve declarandus venit à Doctore scientifico, ita quidem, ut ex instituto manifestetur, in quo ratio & natura ejus sita sit, imò & quod sit, ostendatur, si res ita postulat, qvod facere videmus Aristotelem in Ethica πραγματέια, quam falsò illi peculiarem & à Politica distinctam putant esse disciplinam, cum sit pars quædam ejus & qvidem prima, quæ στοιχεῖα, elementa ejus tradit, ut disertè docet ipse Arist. IV. Polit. c. XI. unde & disertè πολιτική τις vocatur I. Eth. cap. I, XIII. I. Magn.

Mor.cap.I. item πολιτικὴ περὶ τὰ ἤθη 1. Rhet.c.IV. Considerat enim ibi Philosophus finem ultimum civitatis aut reipublicæ, nempè beatitatem civilem. Ita autem de eâ agit, ut primò ostendat, quod sit c.1. deinde definitionem ejus inquirat progrediendo ex notioribus nobis ad notiora naturâ, & ab eo quid non sit ad τὸ quid sit. Ostendit ergò cap. III. IV. & seqq. quod non sit voluptas, nec honor, nec facultatum copia, nec virtus, nec idea boni, sed operatio animæ rationalis secundum virtutem perfectam in vitâ perfectâ. Quo facto singula hujus definitionis membra accuratè exponit per omnes decem Ethicorum libros. Et principiò quidem cum dixisset, felicitatem sive summum honum esse *operationem animæ rationalis*, hâc occasione dividit animam in duas facultates, rationalem scilicet & irrationalem: rationalem autem δύναμιν rursus duplicem facit, & alteram quidem rationem habere dicit, ut facultas λογιστικὴ & ἐπιστημονική: alteram autem ideò rationalem dicit, quod rationem habenti facultati obedire possit, qualis est in homine appetitus. Dum enim hæc rationi hominis obtemperat, particeps quodammodò est rationis, sicut filius obtemperans Patri prudenti quadantenus particeps est prudentiæ. Utramqve partem dicit Philosophus suis oportere instructam esse virtutibus, siquidem homo civiliter beatus esse velit. Hæc ille I. Eth.cap.ult. Hinc lib. II. de virtutibus ipsis agere incipit, & primum quidem de eâ virtute disputat, quæ sedem habet in appetitu hominis, quod notior ea sit nobis. In ejus naturam primum accuratè inquirit, & tandem invenit, eam esse habitum προαιρετικὸν *in mediocritate consistentem ad nos relatâ & ratione definita, prout vir prudens definiret*, sicuti definit eam II. Eth. VI. Hujus definitionis membra singulatim persequitur, & initio quomodò comparata sit mediocritas, quæ in virtutibus spectatur, considerat, partim in eodem cap. VI. partim in sequentibus. Deinde ut manifestum fiat, quomodo virtus sit habitus προαιρετικὸς III. c. I. II. III.

considerat, quid sit spontaneum, cujus species aliqua est προαί-ρεσις, & huic oppositum, invitum, tum in specie quid sit προαί-ρεσις & quomodo à voluntate, cum quâ magnam affinitatem habere videtur, distingvatur, expendit cap. IV. (II.) & seqq. eoqve facto, cum abundè constitisset, in quo ratio virtutis moralis in genere consisteret, ad virtutes in specie progreditur, earumqve naturam declarat à cap. IX. (VI.) III. Eth. usqve ad finem IV. quam totam tractationem eò dirigit, ut inveniat, quæ sit optima ac perfectissima in facultate appetente virtus, quam demum V. Eth. ostendit esse justitiam universalem, quæ quasi complexus sit omnium virtutum moralium, cumqve ea à justitiâ particulari sit distincta, quomodo ab hac differat, & quæ hujus ratio ac natura sit, aperit ac determinat. In VI. autem ad virtutes in facultate animæ rationem habentis, quæ aliàs intellectus dicitur, residentes progreditur, cumque facultas illa non sit uniusmodi, sed & ipsa suas partes habeat, uti paulò ante jam innuimus, nempe λογιστικὴν sive βουλευτικὴν, & ἐπιστημονικὴν, in has primum dividit facultatem λόγον habentem cap. II. utqve inveniat, quæ sint virtutes hujus facultatis, inquirit in numerum habitum ejus, eorum scilicet, quibus ratio rectè disponitur ad munia sua obeunda. Cum enim virtus sit optimus habitus, dubiũ non est, quin inter has virtutes facultatis istius inveniantur. Habituum porrò intellectꝰ, quos memoravimus, quinq; sunt, videlicet scientia, ars, prudentia, intelligentia & sapiẽtia, ex quibus primus & duo postremi sunt habitus intellectus scientifici, reliqui autem duo sunt habitus intellectus deliberativi. Jam autem nõ omnes ex his sunt optimi & perfectissimi habitus, sed prudentia quidem est optimus habitus intellectus deliberativi, sapientia autem est optimus habitus intellectus scientifici. At hujꝰ hic nondum habetur ratio, cum in Ethicis non inquiratur nisi illud bonum, quod inter ea, quæ homini, quà homo est, bona sunt, omnium est optimum:

mum: qvod qvidem cum felicitate civili idem est I.Eth.cap.I. VII.Polit.c.II. per sapientiam autem, quæ intellectus est primorum principiorum & causarum primarum, qualis Deus est, homo non civiliter beatus est, sed divinam quadantenus felicitatem participat, ad quam altera illa viam parat. Hactenus ergò felicitas civilis homini competens, quatenus homo est, erit operatio animæ rationalis secundum justitiam universalem & prudentiam, cujus naturam hâc de causa Arist. in VI. Eth. fusius pertractat. In VII. autem Eth. de iis disserit, quæ magnam cum virtute morali cognationem habent, veluti de virtute heroicâ, quam divinam esse dicit, & ad aliam πραγματείαν pertinere, item de continentiâ & tolerantiâ, quas definit, & in quo à virtutibus propriè dictis differant, ostendit, nullo alio fine, nisi ut rationem virtutis tantò clariorem reddat & ostendat, continentem & tolerantem de felicitate, qualem in Ethicis definit, gloriari non posse, eò qvod virtute perfectâ nondum instructi sint, sed solum dispositi qvadantenus ad eam. Eo peracto particulam, qvæ in definitione felicitatis ultima erat, eam scilicet, quâ dicebatur esse operatio animæ rationalis secundum virtutem perfectam IN VITA PERFECTA, illustrare aggreditur. Ostendit enim, quod vita hominis perfecta non sit, nisi in societate. Non enim homo est animal solivagum, sed κοινωνικὸν, at conversione gaudens: conversatio autem omnis molesta est, nisi sit inter amicos. Ostendit ergò amicitiâ indigere hominem ad beatè vivendum, & qualis illa sit, indicat, nempe non talis, qvæ pro fine habeat utilitatem aut jucunditatem, sed honestatem, deniqve, qvomodo illa à reliquis amicitiæ speciebus differat, ostendit, & quæ sunt alia hùc pertinentia. Quâ in re pertractandâ insumit totum IIX. & IX. Ethic. Tandem cum voluptas, quam quis percipit ex operatione secundum virtutem perfectam, sit necessarium aliqvod ejus conseqvens: (inductione namqve hoc manife-

nifestum est, qvod perfectam operationem, quæ est potentiæ rectè dispositæ, ad id, qvod est optimum eorum, quæ sub objecto ejus comprehenduntur, comitetur voluptas, veluti perfectam contemplationē, visionem &c. ideò de voluptate, perfectam illam, quæ in definitione summi boni exprimitur, virtutem conseqvēte, aut comitante, disserit X. Eth. & quid ac qualis ea sit, aperit, eoq; facto rationem humanæ felicitatis hactenus tot libris illustratam repetit cap. VI. eâqve ad extremum præstantiorem aliquam dari demonstrat, videlicet contemplativam, qvæ tamen non sit hominis, qvatenus homo est, sed quatenus est θεῖόν τι, cujus rationem expendere alterius sit πραγματείας. Nihil ergò aliud in Ethicis agit Philosophus, nisi ut definitionem felicitatis, quæ reliqvorum in Politicis pertractandorum finis est, exponat, tantum abest, ut finem hunc præsupposuerit, aut levi brachio tetigerit, quod illi Analyticæ methodi proprium arbitrantur.

CLXXXVI. Simul autem ex his patet, quàm parùm firmū sit, qvod iidem asserunt, Aristotelem in Ethicis ordiri à summi boni, tanqvam finis, notione, & inde progredi ad consideratio-nem virtutum, ut mediorum ad finem illum obtinendum facientiū. Vidimus enim virtutem pertinere ad essentiam sive rationem summi boni. At qvis media dixerit pertinere ad essentiam finis, medicamenta ad essentiam sanitatis, demonstrationem ad essentiam scientiæ, asciam, serram, dolabram, ad essentiā arcæ? Opposito potius modo se res habet. Media enim cuncta sunt finis gratiâ &, nisi ad hunc obtinendum conferant aut conferre possint, nullius sunt habenda. Ideoq; hæc omninò per finē, non finis per illa est definiendus. Prior etiā est finis naturâ suâ iis, quæ sunt propter finem: definitio autem constat ex naturâ prioribus XI. Top. IV. Et qvid, sodes, mediū est propriè loquendo? Perspicuū id est vel ex exemplis modò adductis. Nempe id medium propriè est, qvo causa aliqua efficiens utitur

ad intentum finem assequendum. Sic enim Medicus utitur medicamentis ad ægro restituendam sanitatem; Doctor scientificus demonstratione ad scientiam cũ altero communicandam; arcularius asciâ, serrâ, dolabrâ ad faciendam arcam. Ex eâdem causâ penna dicitur medium ad scribendum, penicillum ad pingendum &c. Jam autem virtutum, quatenus ad beatam vitam referuntur, talis ratio non est. Divitiis qvidem, robore & similibus aliis, qui beatè, i.e. secundũ virtutem vivere vult, utitur tanquam mediis & instrumentis, inter qvæ illa passim numerantur, veluti I. Eud. II. & VII. Polit. c. 1. de virtutibus autem tale qvid dici non potest, utpote qui habitus sunt, à qvibus operationes istæ, in qvibus summum hominis bonum consistit, fluunt: hos autem qvis operationum propriarum media esse dixerit?

CLXXXVII. Deinde non solùm in Theoreticis, sed & in Practicis atqve effectivis disciplinis à notione principiorum, itemqve elementorum, partium, simplicium fit progressus ad considerationem eorum, qvæ ex iis constant aut ab iis pendent. Id qvod manifestum est inductione. Sic in Politicis à consideratione domus, qvæ est pars civitatis, eaqve simplicior, fit progressus ad considerationem civitatis ipsius I. Polit. II. & seqq. In Grammaticâ, quæ effectiva disciplina est, à principiis & elementis orationis exordium petitur, & ab his ulterius ad syllabas, à syllabis ad nomen & verbum, & sic porrò ad ea, qvæ magis composita sunt, proceditur. οὐδεὶς γὰρ ἀναγινώσκειν διδάσκεται, πρὶν πάσας ἐκμαθεῖν τὰς συλλαβάς, αὐτὰς, πρὶν ἅπαντα τὰ στοιχεῖα τῆς φωνῆς, inquit Gal. I. de diff. puls. *Nemo enim quispiam prius docetur, legere quàm syllabas omnes didicerit, neq; syllabas ipsas prius, quàm cuncta vocis elementa.* Sic & in Analyticis prius agitur de termino & propositione, qvâm de syllogismis, & sic in aliis. In Medicinâ qvoq; tradendâ idem observavit Avicenna. Ab elementis enim auspicatur, & ab his transit

ad hu-

ad humores & ad alias corporis partes naturâ posteriores, tùm de sanitate disserit, & sic deinceps. Quanquam non semper etiam in Theoreticis disciplinis à simplicibus ad composita, à partibus ad totum progressus fiat. In Physicis enim non prius igitur de partibus animalis, qvàm de ipso animali, sed contrarium etiam accidit; de partibus quoqve dissimilaribus prius disserit Philos. in libb. de Hist. animal. quàm de similaribus, cùm tamen illæ magis sint compositæ. Item de animalibus prius agit, qvàm de plantis, cum tamen plantæ sint simpliciores animalibus. Denique nonne finis, à quo illi disciplinas practicas & effectivas auspicantur, principii rationem habet? Qvomodo ergò methodum analyticam, quam propriam esse volunt disciplinis practicis, à syntheticâ, quam Theoreticis accōmodant, in eo distinguunt, qvod illa à fine, hæc à principiis progrediatur? Sane quod finis principium sit, dubitari non potest. Causa enim est. Omnis autem causa est principium V. Met. I. & II. Imò finis non solùm causa est, sed & prima inter omnes causas. Hujus enim gratiâ agit efficiens in materiam, ut in eam formam introducat, quæ cum fine coincidit. Inde passim Philosophus finem in Practicis primum principium esse dicit. Ἐν ταῖς πράξεσι τὸ οὗ ἕνεκα ἀρχή, *in actionibus id, cujus gratia* (hoc autem finis est II. Physic. III.) *principium est, quemadmodum in Mathematicis* ὑποθέσεις, inquit VII. Eth. VIII. Idem repetit I. Eud. VIII. & lib. II. c. X. De effectivis autē idem docet II. Eud. cap. XI: *Quemadmodum*, inqvit, *in Theoreticis hypotheses sunt principia, ita in effectivis* τὸ τέλος ἀρχὴ καὶ ὑπόθεσις, *Veluti*, addit, *si hoc sanum esse debet, necesse est hoc esse, quemadmodum ibi si triangulo duo recti insunt, necessum est hoc consequi.* Quod si autem finis in practicis & effectivis disciplinis principium est, à fine autem in illis scientiis exordium sumitur & inde ad ea, quæ sunt propter finem, transitur, utiqve manifestum est, quod in illis qvo-

que à principiis fiat progressus ad ea, qvæ à principiis pendent.

CLXXXIIX. Quod etiam dicunt, in activis & effectivis disciplinis finem spectari ut effectum, & resolvi in media, tanquam in sua principia, quæ virtute illum contineant, id planè falsum est. Consideratur namqve ibi finis, non ut genitus est, quomodo rationem effectus habet, sed ut generandus, aut acquirendus, seu, ut in Scholis loqvuntur, non quatenus jam spectatur in executione, sed quatenus adhuc est in intentione. E. gr. finis scientiæ Analyticæ non est scientia jam producta, sed per demonstrationem adhuc producenda; finis scientiæ Medicæ non est sanitas ægro jam collata, sed adhuc conferenda. Jam autem finis in intentione spectatus non habet rationem effecti, sed rationem principii. Unde primum esse dicitur in intentione, & ultimum in executione. II. Part. Animal. cap. I. Et qvomodo principium τῶν ποιητικῶν καὶ πρακτικῶν δυνάμεων finis dici posset ab Aristotele, si ut effectus ibi consideraretur? Quomodo enim principium dici potest, quod ultimum est, quatenus est ultimum, cum principium omne sit primum, adeò ut *primum & principium idem* esse dicantur I. Post. cap. II. §. 12? Et quid clarius est in Aristotele, quàm hoc, qvod affectiones omnes, in disciplinis activis & effectivis occurrentes primò ex fine demonstret? At demonstratio ex fine non petitur, ut effectus est, sed ut principium est & causa.

CLXXXIX. Tandem, qvoties in disciplinis Theoreticis quoque à fine initium est capessendum? Id sanè in omnibus fieri necesse est, qvæ ad finem certum sunt destinata, veluti in partibus corporis animalium. Ex fine enim reliqua, quæ ipsis insunt, etiamsi ex necessitate quoqve alterius cujusdam causæ, veluti materiæ insunt, primò veniunt demonstranda. Ideò necessarium est, ut finis ante omnia manifestus

red-

reddatur, ne ex ignotis demonstratio procedat. E. gr. cum de oculo agitur, ante omnia finis ipsius rectè constituendus & declarandus est, utpote, ex quo demonstranda veniunt omnia πάθη, quæ oculo per se insunt. Veluti qvod aqveæ sortis qvoad certam partem oculum esse oporteat, ex fine ejus deducitur, qui est visio. Ad hanc enim necessarium est, ut oculus sit velut speculum lucidum, in quo recipi queant imagines rerum visibilium, sine quâ receptione visio fieri non potest. Hæc enim non consistit in actione, sed in passione potius, in receptione & perceptione scilicet visibilium specierum. Idem de reliquis partibus est judicandum. Organa autem omnia, sive naturalia sint, sive artificialia, aut qvocunq; tandem nomine veniant, ad finem sunt exigenda, ideoq; hujus consideratio exqvisita merito sibi principem in eâ, quæ de talibus suscipitur, πραγματεία, locum vendicat. Vide I. Polit. cap. II. I. Part. An. I. *II. Phys.* VI. & IX. Cætera non tangimus hoc loco, quippè jam alibi satis discussa.

CXC. Aliter ergò de ordine, qvem Aristoteles in scientiis observat, est judicandum. In genere, & quidem principio, qvoad disciplinas contemplativas, hoc tenendum, cum tria sint, qvæ in unaquâqve scientia occurrunt, τὸ ὑποκείμενον, quod objectum vulgò dicimus, *principia & affectiones I.* Post. VII. §. 2. & X. §. 5. postrema autem duo ad ipsum τὸ ὑποκείμενον se referant juxta illud: *Extrema & media oportet esse ex eodem genere I.* Post. VII: ante omnia illic objecti, de qvo agere vult, rationem illustrat, eoqve fine aut definitionem ejus statim ponit, siquidem manifesta ea sit, aut, si obscurior, eam investigat ad methodum II. Post. XIII. præscriptam atqve in partes resolvit, has autem iterum in alias usque ad elementa, demum singulas, si necessarium sit, definit & modò hujus, modò illius, modò partis definitionem primo collocat loco, prout doctrinæ ratio id reqvirit. Quod si etiam fortè a-

licui eorum, qvæ expendit, nomen sit compositum, cujus significatio non cuivis statim est obvia, aut etiam obscurum sit, num res nomine isto significata sit in rerum natura, necne, primum quid vocabulum significet, exponit, & rem ipsam revera per nomen illud denotatam esse demonstrat, eoqve facto demum eam definit. Frustra enim inqviritur, qvid sit res, nisi prius constet, an sit II. Post. VII. Hinc considerat per inductionem, qvænam objecto illi insint universaliter & per se in secundo modo, eorumqve singulorum definitiones similiter indagat, ut per illas de objecto ipso, tanquam primo universali, ista demonstret. Eo facto objectum illud vel ex definitione, vel ex communi hominum sententia & experientia, prout occasio fert, in species dividit, eademqve ratione, quâ genus ipsum, singulas pertractat. Quod si etiam earum aliqvæ partes habeant, eas singulas, cumprimis autem dissimilares, si qvibus gaudet, similiter expendit, & si res naturalis sit, ex qua materia quæqve constet, & quo fine singulæ gaudeant, considerat, atqve ex eo illas definit. Denique cum scientiis omnibus commune sit, ut in eadem de utroqve oppositorum agatur, licet non semper eodem modo (si enim alterum habeat rationem habitus, alterum rationem privationis, aut etiam negationis, tum illud considerat quidem per se, hoc autem per accidens IX. Met. II.) utrumqve horum & ipse considerat, nisi fortè ratio alterius oppositi ex ratione alterius adeò manifesta sit & evidens, ut illustrare eam necesse non sit, imò superfluum potius & supervacaneum. Cum autem objectum univocum non est, non definit illud, nisi fortè sit ex tertio genere communium πρὸς ἕν, de qvibus diximus antè: sed in significata sua distinguit, eorumq; principia distinctè investigat & unum reducit ad alterum usqve ad primum, quod est mensura cœterorum. Quod si verò cuncta ista communia aliqua habeant consequentia (accidit enim aliquando etiam

eorum,

eorum, quæ non dicuntur καθ' ἕν, esse aliqua consequentia, quasi una aliqua esset eorum natura II. Post. XIV.) considerat & illa eo, quo conveniens est, loco, & quomodo cuiqve illorum ea conveniunt, ostendit. Conjugatorum quoqve cum eadem sit scientia, singula, si opus fuerit, expendit, nunc ipsam formam, nunc ea, quæ à formâ deducuntur, præponens, aliquando autem saltem unum ex illis considerat, quod cætera, eo probè intellecto, facilè ex illo deducantur & intelligantur.

CCIX. Porrò, quod in disciplinis contemplativis est objectum, id Galenus in activis & effectivis disciplinis ait esse finem. Qvod & verissimum est, dummodò rectè intelligatur. Ut enim in Theoreticis disciplinis objectum scopus est, ad qvem collineant cuncta, quæ ibi traduntur: sic scopus, ad quē omnia collineant in disciplinis activis & effectivis, est finis. Quâ de causa Galenus finem κανόνα & κριτήριον omnium, quæ illic traduntur, vocat lib. de rat. tuend. sanit. ad Thrasyb. cap. XXIX. De activis a. non obscurè idem docet Philosophus cum alibi, tùm I. Eud. IIX. Interim negari non potest, quod & discrimen aliqvod his intercedat, sicut in talibus fieri solet, qvæ κατ' ἀναλογίαν sibi mutuò respondent. Neqve enim ut in Theoreticis affectiones de objecto demonstrantur: sic demonstrationes in practicis instituuntur de fine. Principium potius illic finis est, ex quo ducuntur demonstrationes, sicut paulo antè dictum est ex VII. Ethic. IIX. & II. Eud. XI. Objectum autem, de qvo demonstrationes fiunt, aliud est. E.gr. In scientiâ de arte Medicâ de sanitate non demonstratur qvicquam, sed ipsa, aut ejus ratio vel definitio, principium est, ex quo multa demonstrantur, imò, in qvam omnia, qvæ in universa istâ scientia continentur, ultimò resolvuntur, qvemadmodum in Arithmeticâ cuncta reducuntur ad definitionem unitatis, in Geometria ad definitionem puncti, in Physicâ ad definitionem naturæ, & sic deinceps. Aliud ergò objectum est

in

in disciplinis activis, & effectivis, aliud scopus, sicut & in artibus & prudentia, de quibus sunt disciplinæ istæ, duo hæc sunt distincta. Objectum enim in illis e. gr. in artibus est materia, quam formare aut exornare laborant artifices. Veluti artis statuariæ òbjectum est æs aut marmor, &c. Architectonicæ ligna & lapides, Sutoriæ corium, Sartoriæ pannus. Finis & scopus autem sunt ipsa forma materiæ inducenda, quæ conjunctim sumta constituunt compositum. Ita Architectonicæ finis est forma domus materiæ ejus, lignis & lapidibus, inducenda, sive ipsa domus, Statuariæ artis statua, & sic porrò. In scientiis autem objecti nomine venit, de qvo aliqua demonstrantur. Demonstrantur verò aliqva de materiâ, quam diximus, qvatenus scilicet illa finem respicit, item de mediis conducentibus ad finem obtinendum. Ea enim talia vel talia esse oportet. Quod probatur ex fine, quoniam ad obtinendum illum conferre ea oportet, si non dici solùm, sed & reverà esse debeant media. Hæc namqve omnia metimur fine. Ita qvod demonstratio debeat constare ex veris, primis, immediatis & causis probatur ex ratione scientiæ. Est enim hæc cognitio rei per causas. Demonstratio autem est syllogismus ἐπιστημονικὸς i.e. *pariens scientiam* I. Post. c. II. §. 5. Ast non potest parere talem cognitionem, qualis est scientia, nisi constet ex veris &c. ut perspicuè ostendimus in sæpius citatis libris de variis scientiarum generibus & mediis eò perveniendi. In disciplinis activis & effectivis ergò antè omnia Aristoteles agit de fine, ejusq; notionem aut supponit, si satis nota sit, velut in Dialecticis. Ibi enim non definit opinionem, quæ est finis Dialecticæ I. Top. XIV. §. 1. quia neminem latet, quid sit opinio & quomodo à scientia distinguatus: aut, si non satis obvia sit, investigat & secundum singulas partes, resolutione factâ, declarat, ut nihil remaneat, quod dubium sit, aut obscuritatem aliquam contineat. Hinc porrò ad considerationem materiæ, cui id, quod finis rationem habet, induci debet, progredi-

greditur, eam in partes diducit, si quas habet, & speciatim circa unamquamqve ostendit, quibus mediis sit opus, ut finis intentus obtineri possit, item quæ impediant, quò minus ille aliquando ex voto obtineatur, & quomodo impedimenta, sive obstacula illa, sint removenda, idque ex propriis cujusque præstat principiis. Quod si porrò unum aliquod ex illis, in quæ materia dividitur, principatum inter cætera obtineat, ita ut finis πρώτως ϗ κυρίως, *primariò & principaliter*, capax sit, id exquisitè considerat, reliqua autem ad illud exigit. Quò quid enim propius ad illud accedit, eò magis finis particeps erit.

CXIIC. Ex quibus jam patet, qvod Aristoteles in omnibus scientiis, sive Theoreticæ eæ sint, sive practicæ, sive effectivæ, eum servet ordinem, ut causas, principia & elementa, quæ naturâ suâ clariora sunt, priori loco pertractet, dehinc autem reliqua, quæ illa conseqvuntur. Ex talibus enim nascitur omnis scientia 1. Post. II. VI. Top. c. IV. Jam contingit quidem interdum, ut ea, quæ suâ naturâ clariora sunt, sint & nobis clariora, velut in Arithmetica, necnon in Geometriâ, & doctrinâ de Syllogismo. Qvid enim terminus sit, & quid propositio, nobis clarius est, quàm quid syllogismus, perinde ut in Grammaticis nobis clarius est, quid sit vocalis aut consonans, item qvid syllaba, quàm quid nomen sit & verbum. Hoc cum evenit, statim principia ista ponit citra inquisitionem prolixam, sicut in Analyticis statim ponit, quid sit propositio, qvid terminus. Sæpius autem fit, ut principia & elementa sint quidem naturâ suâ γνωριμώτερα, non autem nobis, & tunc investigat ea, & quidem ita, ut ex iis, quæ nobis sunt γνωριμώτερα, initium ducat; idqve meritò. Ut enim in practicis ex iis, quæ alicui bona sunt, studemus facere, ut ea quoqve, quæ per se & absolutè bona sunt, ei bona fiant, quod inprimis â magistratu in civitatibus fieri videmus: (Quo fine namq; ille punit flagitiosos? Non alio sanè, nisi hoc, ut emendet & virtuosos red-

dat, quorum illud alicui, veluti flagitioſo, bonum eſt (melius enim tali eſt, pœnam luere & emendari, quàm pœnam effugere & in malitià obſtinatum reddi, ſicut præſtat, membra aliqua putrida abſcindi, quàm totum corpus perimi) hoc autem abſolutè & ſimpliciter bonum eſt:) ſic & conandum eſt ſcientifico doctori, ut diſertè ex iis, quæ diſcenti clariora ſunt, naturâ autem ſuâ minus clara, ea qvoqve clara reddat, quæ naturâ quidem ſuâ ſatis clara & perſpicua ſunt, diſcenti non item, ſicut paſſim requirit Philoſophus velut I. Eth. c. I. [2.] VI. Top. c. IV. §. 2. I. Phyſ. c. I. V. Met. I. VII. IV. & alibi. Notius autem nobis eſt, quid res non ſit, quàm quid ſit: item quid ἐνδόξως de quaque re dici poſſit, quàm quid ſecundum rei veritatem de ea oporteat dici. Confuſum quoqve quod eſt, nobis notius eſt, quàm quod magis diſtinctum &c. Hoc ergò probè obſervat Philoſophus, ut, cum de re aliqua nobis obſcurâ, cujuscunqve ea ſit generis, tractat, prius conſideret, quid res non ſit, quàm quid ſit, & quid ſit opinionibus ſapientum virorum conſentaneum, prius decernat, quàm quid res ipſi ſit conforme, deniqve confusè prius rem pertractet, & poſthàc demum enucleatius ſingula expendat. Qvâ de re aliquid jam ante qvoqve eſt dictum. A talibus ergò ad principia progreditur, quæ naturâ ſuâ priora ſunt, & ex his porrò ad ea, quæ ſunt poſteriora, qvod in omnibus iis attendit, quæ talem inter ſe habent nexum, ut poſteriora à prioribus pendeant & ſine his exactè intelligi non poſſint, qvomodo ſe habent principia & elementa ad ea, quæ ex illis conſtant, finis ad ea, quæ ſunt finis gratia, genera deniqve ad ſpecies & ſic deinceps.

CXIC. Aliqvando tamen talem ordinem obſervare non potuit Philoſophus, velut in Metaphyſica. Hæc enim à principiis & cauſis ad alia non progreditur, ſed in iis acquieſcit, cum aliud non ſit, quàm primorum principiorum, primarumqve cauſarum ſcientia, ut ſupra diximus, & oſtendit ipſe

I. Met.

I.Met.c.I.& II. Nihil aliud ergo hìc agit, quàm ut prima principia per ἀνάλυσιν investigata, atqve in certa genera divisa, justo ordine locet, aliqva hinc eorum, qvoad licet, demonstret, & si in aliqvo genere plura sint, qvæ primorum nomine veniant, qvodnam absolutè primum inter ea sit, declaret. Et qvidem, cum principia sint duplicis generis, alia τοῦ πράγματος alia τῆς γνώσεως, alia *rei*, alia *cognitionis*, atqve hæc nobis sint notiora, quàm illa, de his, postquam ostensâ naturâ & difficultate hujus scientiæ more suo lib.I. opiniones, quas veteres foverant de primis principiis, recensuisset & examinasset, in seq. agere incipit. Rursus cum principia cognitionis sint triplicis generis, nempe *hypotheses*, *axiomata* & *definitiones*, ut iterum ipsemet docet lib. I. Post.II. & X, initio lib. II. inquirit *inprimas hypotheses*, quas quaternario numero comprehendit. Sunt autem sequentes: *Dari primam materiam, primum principium motus*, porrò *primam formam* aut primum quid est, & deniqve *ultimum rerum omnium finem*. Cùm enim singulæ scientiæ ex causis deriventur, infinita autem scientiâ comprehendi non possint, necesse est, ut tandem ad primas causas in quoqve genere perveniamus, inqve iis cursum sistamus. Hoc igitur probat Philosophus c.I.cap.II. ubi non obscurè simul indicat, inter hypotheses has, si inter se conferantur, omnium primam esse hanc, quod sit ultimus rerum omnium finis. *Hic enim*, inquit, *non est alterius gratiâ, cum ejus gratiâ sint cætera.* Finis autem & primum quid est coincidunt, sicut & aliâs simpliciter forma & finis idem sunt I.Gener.Anim. cap. I. Et hæc sunt, quæ libro II. proponuntur. Porrò lib.III. more suo proponit dubitationes, ut sibi viam sterneret ad ea, quæ deinceps pertractanda erant. Oportet enim, ut in Prodromo fusiùs dictum, priùs de rebus λογικῶς agere & κατὰ δόξαν, ut tantò magis hæreant animo, quæ ad ipsam pertinent substantiam rerum. Hinc lib.IV. disputat de *primis axiomatibus*, quæ in ge-

nere entis, quatenus ens est, quærenda esse dicit. Sunt autem hæc duo: *Impossibile est idem simul esse & non esse*, & *Quodlibet est, vel non est.* Ex quibus principio illud simpliciter primum esse ostendit ex eo, qvod & certissimum sit & notissimum. Postea verò quomodo ambo adversus pertinacem sive præfractum adversarium, saltem ἐλεγχτικῶς, demonstrari possint, manifestat. Ulterius lib. V. *definitiones primas* explicare aggreditur, quæ in nulla scientia peculiariter habitant, sed per omnes disciplinas se diffundunt, ut sunt definitiones principii, causæ, naturæ, unius, entis, substantiæ, prioris, totius, partis, & similium. Talia autem cum sint πολλαχῶς λεγόμενα, aliter definiri non possunt, nisi per enumerationem variarum significationum, ut suo loco est observatum. Has igitur in isto libro recenset, cum quo considerationem principiorum cognoscendi concludit. Hinc porrò progreditur ad explicationem primorum principiorum essendi. Quæ quidem, ut jam suprà innuimus, aliter inveniri non possunt, nisi per reductionem eorum, quæ entia dicuntur, in primum principium. Sic enim investigantur principia in iis, quæ dicuntur secundum prius & posterius, aut πρὸς ἓν, in quibus & ens est IV. Met. II. Inter entia autem quærenda esse prima essendi principia, dubium non est, cum non ens non possit esse principium entis, nisi per accidens. Distinxerat autem ens jam ante variis modis, & initio qvidem in ens per se & per accidens. Hanc distinctionem repetit, & ens per accidens statim à consideratione Metaphysices removet, qvod entis per accidens nulla sit scientia, neqve contemplativa, neq; activa, neq; effectiva VI. Met. II. Deinde dixerat τὸ εἶναι καὶ μὴ εἶναι obtinere etiã in affirmationibus & negationibus, & in his quidem τὸ εἶναι idem esse qvod verũ, τὸ μὴ εἶναι autem idem, qvod falsum esse. Utrumq; iterum excludit à πραγματείᾳ hâc, quod verum & falsum sint affectiones τῆς διανοίας VI. Met. III. Tandem ponit & hoc, qvod ens

ens aliud sit actu, aliud potentiâ, quæ ambo dubium non est, quin pertineat ad considerationem Metaphysicæ. His ergò ita positis, resumit VII. Met. ens per se, qvod totidem modis dici asserit, qvot sunt σχήματα τῶν κατηγοριῶν, ex qvibus τό τι, sive *substantiam*, & *naturâ*, & *definitione*, & *tempore*, & *cognitione* cæteris entibus demonstrat esse *priorem* c. I. Unde porrò concludit, primum ens, qvod sit principium reliquorum, qværendum esse inter substantias. Jam autem & substantia non eodem dicitur modo. Hoc enim dicitur substantia ut *materia*, istud ut *formâ*, illud ut *compositum*, ex quibus compositum ostendit prius esse materiâ, ambobus autem formam c. II. & III. De hâc igitur exquisitè postmodum agendum esse infert. Cum autem non parum difficilis sit ejus cognitio, considerationem ejus ex nobis notioribus institui vult, eoqve fine primum de eâ λογικῶς differit à cap. IV. ad ult. VII. Met. Deinde autem IIX. magis φυσικῶς, ubi inter alia indicat, qvod forma sit duplex, vel *ratio alicujus certa materiæ*, ut sunt formæ substantiarum materialium; vel *actus per se subsistens*, ut sunt substantiæ, quæ non habent materiam, & has dicit ipse ἁπλῶς ὅπερ τι, adeoqve principem locum sibi vendicare inter entia c. VI. In IX. Met. porrò resumit alteram distinctionem entis in ens *actu* & *potentia*. Ex quibus hoc primum expendit repetendo significationem potentiæ ex V. Met. XII. ubi potentiam aliam *activam* constituerat, aliam *passivam*. Hanc ergo ad illam, ceu priorem, reducit c. I. Rursus cum inter activas alia sit *rationalis*, alia *irrationalis*, quarum hæc est unius, illa contrariorum, ad hanc revocat illam cap. II. & seqq. Tandem autem *potentiam* omnem ad *actum* reducit atque hunc & *ratione*, & *naturâ*, & *tempore*, & *substantiâ*, & *dignitate priorem* esse potentiâ ostendit c. VIII. & IX. Inter actus autem omnes ait esse primum ac perfectissimum eum, qui nihil potentiæ admixtum habet & simplici notione apprehenditur

tur citra compositionem & divisionem. Qualis rursus non, nisi in immobilibus datur. His ita expensis, cum ens & *unum* tàm arctam inter se cognationem habeant, ut propemodum una natura esse videantur, quod perputuò se invicē seqvantur, ut *principium* & *causa* IV. Met. II. de uno quoq; agit, & repetitis ejus significationibus unum, quod ideò ita dicitur, quia indivisum est, revocat ad unum indivisibile, quale in tempore est τὸ νῦν, in motu momentum, in magnitudine punctum &c. Quæ omnia reducit ad unum indivisibile in numeris, hoc autem ad unum in substantiâ, quod iterum in immobilibus vel immaterialibus solum quæri necesse est. Inde progreditur ad species multitudinis, qvod opposita considerare unius sit, & quidem cum & multorum non sit ratio eadem, sed qvædam ex illis sint diversa, qvædam differentia, à differentibus, qvæ ad diversa reducuntur, incipit, eaqve dividit & ad maximè differentia reducit, qvæ sunt contraria, hæc porrò ad prima contraria, quo facto omnia, quæ sub ratione multorum eveniunt, revocat ad ea, qvæ totâ sua substantiâ diversa sunt, qvalia sunt corruptibile & incorruptibile, in quibus diducendis totus X. Met. est occupatus. Quem excipit XI. Met. (qui hactenus perperam creditus fuit esse XIII, ut rectè judicat Du Vallo in Synopsi) ubi inquirere incipit, numqvid Mathematica, veluti numeri & lineæ, sint principia entium, aut si illis dignitas hæc tribui non possit, num ideis fortè sit concedenda. Ostenderat enim hactenus ipsum primum qvid est, qvod demonstraverat esse entium omnium principium inter immobilia & immaterialia esse quærendum. Cum igitur & Mathematica sint immobilia & à materiâ abstracta, existimare qvis potuisset, hæc fortaſſis fore principia entium, qvod & statuerant Pythagoræi. Plato autem, præter hæc, adhuc alias ponebat substantias immateriales, qvas ideas vocabat & principia entium esse putabat. Verùm Aristoteles utrumqve pro-

prolixè refellit partim λογικῶς, partim φυσικῶς, oſtendens, entia mathematica, veluti numeros, non eſſe ſubſtantias, adeoqve nec prima entia, ideas autem planè nihil eſſe per integrum XI. & XII. qui hactenus falsò creditus fuit XIV. Tandem, poſtquam XIII. Met. qui hactenus XI. habitus fuit, compendiosè repetierat, & quaſi in expeditam quandam ἀνακεφαλαίωσιν lectoris gratiâ redegerat, quæ ex dictis tractationi poſtremæ de ſubſtantia immateriali & immobili conferre videbantur, additis quoqve nonnullis ex naturali ſcientiâ, quæ eidem fini inſervirent, libro XIV. Metaph. qui hucusqve pro XII. venditatus fuit, ſubſtantiam illam inveſtigat, ita quidem, ut oſtendat dari neceſſariò aliquam talem ſubſtantiam, in quam omnia entia reſolverentur, quod quidem præſtat per reſolutionem motus in ſua principia & elementa, dehinc quid illa ſit, inquirit, proprietates ejus declarando, deniq; quæ iſti ſint ſubjectæ immobiles ſubſtantiæ, & quomodo ea univerſo præſit, determinat, atqve his univerſæ ſuæ Philoſophiæ colophonem imponit. Non ergò in Metaphyſicis, quemadmodum in aliis ſcientiis à prioribus ad poſteriora progreditur, ſed ab his ad prima pergit, inque eorum ſimplici cognitione acquieſcit. Unde & hæc ſcientia non ſcientia τοῦ διότι dicitur, ſicut cæteræ, ſed ὅτι ἐστι ἐπιστήμη paſſim ab Ariſtotele nuncupatur, inter alia & I. Met. cap. I.

CXC. Præter hæc accidit nonnunquam, ut aliqua ſint naturâ aliis priora quidem, nexus tamen talis inter ea non ſpectetur, ut ex unius notione alterius cognitio pendeat, quomodo ex. gr. ſe habet tactus & viſus. Ille enim hoc quidem naturâ prior eſt, ut & cæteris omnibus ſenſibus, quoniam hic ſolus à cæteris ſeparari poteſt, reliqui autem ab hoc non item, lib. de ſomno & vigiliâ cap. II. De talibus cum diſputat Philoſophus, ordinis naturæ nullam rationem habet, ſed ſolùm facilioris cognitionis. Neqve enim de ſenſibus diſſerens prius agit de tactu, & poſtea de viſu, ſed à viſu potius πραγματείαν illam

lam auspicatur. Cum enim in singulis sensibus cognoscenda sint hæc tria, objectum, medium & organa, hæc quidem omnia in sensu visus maximè distincta & clara sunt, in tactu autem medium & organum obscurissima sunt, adeò, ut si à tactu cœpisset Philosophus, sanè dubitari potuisset, an quilibet sensus organa & medium agnoscat. Sic qualitas naturâ prior est iis, quæ sunt ἐκ τ̃ πρός τι, & tamen Aristoteles in lib. Categor. de his prius agit, quàm de qualitate, sequens non ordinem naturæ, sed cognitionis nostræ, sicut observant Simplicius & Averroes. Plantæ quoqve, licet simpliciores sint & suo modo priores animalibus (sensitivum enim posterius est vegetativo & hoc includit) prius tamen de iis non agit, quàm de animalibus. Quæ ratio? Quia ita non sunt priores animalibus, ut ex plantarum notione horum cognitio pendeat, quin hæc potius juvat cognitionem plantarum, quod operationes utrisque communes in animalibus sint manifestiores & multa sint in animalibus, quibus quædam κατ᾽ ἀναλογίαν in plantis respondeant, veluti radix, quæ instar oris est & alimentum attrahit, & alia hujusmodi, quæ facilius cognoscuntur in plantis, si ea, quibus analoga sunt, in animalibus prius cognita fuerint, in quibus effectus utrisque communes longè sunt clariores & evidentiores. Unde & Theophrastus lib. I. hist. plant. c. I. ὅσα, inquit, τ̃ ἐν φυτοῖς ἀφομοιωτέον τοῖς τῶν ἐν τοῖς ζώοις, ὡς ἄν τις δύνηται κατὰ
„τὸν εἰκότα λόγον ἀφομοιοῦν δεῖ, Omnium, quæ in plantarum
„genere spectatur similitudo petẽda ex iis est, qvæ ex animali-
„bus insunt, qvoad ejus fieri potest. Præterea, de partibus animalium agens, prius considerat partes hominis, qvam aliorum animalium, quia nobis magis in promptu sunt & notiores, eisque cognitis facilius in notitiam partium animalium cæterorum possumus pervenire. Hanc enim ordinis rationem ipse
„reddit, dicens: *Sed* prius partes hominis explicare debemus.
„Ut enim nummos ad id, qvod qvisq; exploratum & certum
„habet, probare solet: ita cæteris qvoq; in rebus agendum

est,

eſt. At homo omnium animalium nobis notiſſimus eſt neceſſario, I.Hiſt.Anim.VI. Contra, cum de generatione animaliū, diſſerit, quod facit l.V.Hiſt.Anim. hominem poſtponit, qvod ejus generatio nobis ſit obſcurior, qvàm aliorum animalium & plurima reqvirantur, ut ea nobis manifeſta fiat. Tandem hâc ipsâ de causâ primùm declaravit & partes inſtrumētarias, ac deinde demum ſimpliciores, qvas ſimilares vocant, qvod illæ ab officiis ſint notiores, hæ autem minus notæ. Neq; enim ut dubium eſt, qvâ parte ſentiamus, ita & dubium eſt, qvâ parte ambulemus. Idem conſilium ſecutus eſt Theophraſtus in pertractandis partibus plantarum. Primum enim declarat partes exteriores arborum, qvippe nobis magis obvias, ut ſunt rami, truncus, radices & alia hujusmodi. Quâ de causâ verò ipſe indicat his verbis: Ἐπεὶ διὰ τῶν γνωρίμων μεταδιώκειν δεῖ τὰ ἀγνώριστα, γνωριμώτερα δὲ τὰ μείζω καὶ ἐμφανῆ τῇ αἰσθήσει δηλονότι, καθάπερ ὑφήγηται, περὶ τούτων λεπτέον· ἐπαναφορὰ γὰρ ἕξομεν τῶν ἄλλων πρὸς ταῦτα, μέχρι πόσου καὶ πῶς ἕκαστα μετέχει τῆς ὁμοιότητος. Quoniam notis „ ignota perſequi oportet & notiora ſunt, quæ grandiora & pa- „ tentiora ſenſibus offerūtur, hinc procul dubio de his primum „ dicendū eſt: reliqva enim ad hæc ipſa redigere nobis in prom- „ ptu erit, qvantum & quousq; qvo quam modo ſimilitudinem „ ſingula contingere videantur. Hæc ille lib. I.hiſt.plant.c.III. „

CXCI. Porrò cum contingat aliquando duo quædam ad ſe invicem ita eſſe comparata, ut neutrū perfectè cognoſci poſſit ſine altero, quod videmus fieri in toto & partibus (qvamvis enim rudem aliquam & adumbratam totius intelligentiam habere poſſimus, antequam diſtinctè cognoſcamus partes, ad perfectam tamen totius cognitionem neceſſaria eſt & cognitio partium) in talibus pertractandis modo ab hoc, modò ab altero doctrinæ Ariſtoteles capit initium, prout unum facilius altero cognoſcitur. Perfectè enim ſimul utraq; cognoſcuntur. Utplurimum tamen cum de toto & partibus diſputat, ab illo

orditur, quoniam hoc, confusè sc. acceptum notius esse solet, sive sensu, sive intellectu fiat apprehensio. Prius enim nobis tota alicujus facies indistinctè occurrit, qvàm oculus aut reliqvæ faciei partes, qvod imprimis manifestum est, cum alicui ex longinquo simus obviam: & plantam, aut arborem, aut animal prius concipimus, quàm oleum, aut ficum, aut canem. Faciliùs enim est de qvodam animali animal enunciare indistinctè, quàm hujusmodi animal determinatè. Vide lib. I. Phys. c. I. Deniqve sunt aliqva, quæ ita ad se mutuò se habent, ut nullum eorum prius sit, neque unum magis ad aliorum notitiam conducat, quàm hæc ad illius. In talia ergò cùm incidit Philosophus, modo ab hoc, modò ab illo exordium sumit, nunc hanc, nunc aliam seqvens rationem. E. gr. II. de partib. An. c. X. de homine prius agendum esse dicit, ob ejus divinitatem. VII. Met. t. 19. de formâ, inquit, prius agi debere, qvod maximè sit dubia. Deniqve ex opposito IV. de part. An. V. in fine tractandum prius esse, ait, de partibus exterioribus animalium mollium & exsangvium, qvod moram sermonis breviorem exigant.

CXCII. Sed & hoc evenit aliqvando, ut genus aliqvod varias sub se complectatur species, quarum consideratio ad diversas pertinet disciplinas, & tùm Philosophus generis qvidem notionem attingit in singulis illis disciplinis, exactè autem illud & exqvisitissimè pertractat in illâ scientia, qvæ principalissimam & potissimam speciem contemplatur, aut si practica vel effectiva disciplina illa sit, in ea, ad cujus finem obtinendum necessaria est exqvisita generis cognitio, cum cæteris aliqvalis & confusâ ejus sufficiat notitia, sive hæc ordine doctrinæ sic prior, sive posterior. Ex. gr. Syllogismi duæ sunt species, demonstrativus & Dialecticus, quibus alii adjungunt & tertium, nempe Oratorium. Nam & enthymema est Syllogismus II. Prior. XXV. qvamvis non sim-

simpliciter, sed περὶ τῆς συνθήκης, συλλογισμός τις I. Rhet. c. I. aut, ut in priori loco est, syllogismus imperfectus. Has species syllogismi non in una sed tribus considerat disciplinis, nempe Analyticâ à Dialectica & Rhetoricâ. In singulis quidem definit Syllogismum, velut I. Prior. c. I. I. Topic. cap. I. I. Rhet. cap. I. qvia sine notione generis, saltem confusa species intelligi nequit. Unde & genus notius dicitur speciebus, qvod his cognitis, cognoscatur & ipsum VI. Top. VI. si non distinctè, confusè tamen. A ἀκριβῶς de syllogismo in genere, & iis, qvæ syllogismo per se insunt egit in Analytica, quia hæc primam & potissimam considerat syllogismi speciem, demonstrationem scilicet, atqve insuper generis accurata consideratio magis necessaria est Analytico, qvàm Dialectico & Rhetori ad finis coesecutionem. Idem observat, cum diversæ disciplinæ practicæ aut effectivæ re alia aliqua una eademqve utuntur ad obtinendum finem suum. Exquisitè enim de istâ re agit in ea scientia, ad cujus finem acquirendum quàm maximè necessaria est res illa, in cæteris autem tantum ex illa depromit de re illâ, quantum de ea ad finis consecutionem nôsse satis esse ipsi videtur. E. gr. Tropis & figuris utitur & Rhetor & Poëta & Histrio. Hinc quæri posset, in qua scientia agendum sit καθ' ἀκρίβειαν de illis? Aristoteles dicit in ea, ad cujus finem maximè illa sunt necessaria. Certum autem est, quod magis iis indigeat ad consequendum finem suum Poëta, quàm Orator. Poëtæ enim res est cum plebeis hominibus, qui rationes non capiunt, sed similitudinibus solùm, tropis, figuris per imitationem adhibitis moveri possunt. Quâ de causa sine dubio Aristoteles τρόπον vocat ποιητικὸν II. Meteor. III. & XI. Met. I. At Rhetori negotium intercedit cum civilioribus & politioribus hominibus, qui deliberare possunt de suis actionibus, & rationum ex verisimilibus & signis deductarum sunt capaces. Ex quo fit, ut finem etiam sine tropis & schematibus obtinere

 possit

possit Orator, modò rationes clarè & distinctè proponat, præsertim, si sermonem habeat ad tales, qui pompam verborum despiciẽtes tantùm, quid ad negotium ipsum pertineat, expendunt, quales fuisse vidẽtur judices in Areopago, ubi hâc de causa Oratori prohibitum erat extra rem dicere I. Rhet. c. I. Omnium maximè verò histrionis interest, uti tropis & schematibus. Unde ad Histrionicam sine dubio pertinebit exquisita horum consideratio, quô & remittit eam Aristoteles lib. de art. Poët. c. XIX. ex qua deinceps Oratori & Poëtæ petenda erunt, quæ de iis nosse ipsorum refert. Idem de actione dicendum. Nam & hæc Rhetori non est propria, sed ipsi cum aliis communis, & πρώτως καὶ κυρίως similiter ad Histrionicam pertinet, unde iterum Oratoribus, quæ sibi ad actionem inserviunt, petendum. Et sanè Aristoteles non obscurè III. Rhet. c. I. indicat ab his tradita fuisse olim ea, quæ pertinent ad actionem. De Demosthene quoqve notum est, quod actionem didicerit ab Andronico & Satyro gesticulandi magistris. Et de Cicerone, qui alicubi disertè dicit bonorum actorum, i. e. histrionum pronunciationem requiri in Oratore, refert Plutarchus, quod Roscio quidem Comœdo in lenioribus affectibus, Æsopo verò Tragædo in vehementioribus magistris sit usus. Deniqve Fabius testis est, consvetudinem fuisse apud Romanos, ut pronunciationem sive actionem non in Rhetorum scholis addiscerent, sed ab aliis præceptoribus haurirent, quos idcircò vocales magistros nuncupabant. Idem de Græcis colligere est ex Platonis Ione & Aristotelis Problematum libris. Unde apparet, citra causam reprehendi à nonnullis Aristotelem, quod de actione, de tropis item & schematibus in genere exquisitè non egerit in Rhetorica suâ.

CXCIII. Hæc sunt, quæ in genere circa methodum Aristoteli in libris acroamaticis familiarem observanda erant. Constat autem, quod pleraqve eorum, quæ annotavimus, ab

ipso

ipſo Ariſtotele in Analyticis fuerint indicata. Hinc ergò ſimul apparet, quàm neceſſaria ſit methodi Analyticæ cognitio ei, qui cum fructu verſari vult in legẽdis hujus Philoſophi ſcriptis. Quod intellexit Simplicius, qui eleganter, ait, eos, qui ſine hâc methodo libros Philoſophicos attingere audent, idem ſubire periculum, qvod ſubeunt illi, qvi adCircem accedunt ſine herbâ moly. Svavitate namq; & amœnitate rationum veriſimilium, quas alii afferunt, circumveniuntur, ut abditam & reconditam in libris Ariſtotelis veritatem nõ valeant penetrare. Quî enim id aſſequi poſſent, cum non ſint inſtructi regulâ ad quam dirigere oportet, & ad quam Ariſtot. ipſe direxit cuncta in ſcriptis ſuis propoſita? Ut fruſtrà quis ſtudet, parietem rectum ſtruere ſine certa regula aut perpendiculo: ſic fruſtrà animus alicujus veritatis ab Ariſtotele propoſitæ ſtudio flagrat ſine ejus diſcernendæ organo, qvod tradit methodus analytica ſive apodictica. Rectiſſimè Galenus II. de temper. c. V: "Principium pravorum dogmatum ait eſſe id unum, nihil de demonſtratione meditatum prius res ipſas inquirere velle. Et" alibi notat eorum arrogantiam, qui ſine arte Apodicticâ ad ſcientias progrediuntur, ac multa incommoda commemorat, in quæ incurrere neceſſum ſit, qui ſine hoc lumine ſatagant philoſophari. *Nam neque nota*, inquit, *aſſumunt, neqve ignota demonſtrant, ſed veluti legislatores id, quod placet, conſtituunt, denique progreſſu orationis, inſtar Euripi cujuſdam, ſummam inconſtantiam præ ſe ferunt.* Quâ de cauſa & non malè Analytica à nonnullis menſuræ & libræ comparatur. Quemadmodum enim frumento ponderando opus eſt librâ: ſic Analyticum veluti libram adhibere & juxta eam examinare, quæ dicuntur, oportet: quod niſi fiat, neqve certi eſſe de rebus poſſumus, neqve eas comprehendere diſtinctè. Qvod ipſiſmet docentibus evenit, ſi cognitione τῶν ἀναλυτικῶν ſint deſtituti. Sicuti enim in frumenti acervo ſcimus quidem frumen-

tum esse ejusqve per se magnam copiam, quanta verò sit, ignoramus: ita qui res solum, ignoratâ Analyticâ, norunt, confusè quidem sanè illas & qvâdam velut caligine involutas tenent, multa de cætero v. his aut ignorant aut non animadvertunt, aut etiam prætermittunt: tum a. perfectè cuncta assequuntur atq; distinctè etiam alios docere possunt, cum Analyticam rebus quasi normam sive mensuram aliqvam applicuerunt.

CXCIV. Porrò habet qvævis scientia suum peculiarem sciendi modum, quem nosse oportet unumquemque, qui in lectione Aristotelis occupatus operam vult sumere non inanem. Pro diverso enim sciendi modo distingvuntur scientiæ, cum fieri possit, ut unius rei sint diversæ scientiæ, sed non qva una II. Post. III. §. 5. Ita rectum angulum considerat non solùm Geometra sed & faber, verum diversimodè, ut aliqvoties jam dictum est ex I. Eth. VII. Ille enim accuratissimè in ejus naturam inquirit, at hic eatenus, quatenus ipsius usui inservit. Idem faciunt omnes disciplinæ effectivæ. Cuncta enim metiuntur fine, quod est opus aut ei ἀνάλογον. Sic Rhetor omnia dirigit ad πίστιν: Dialecticus ad δόξαν: Medicus ad sanitatem sive conservandam sive restituendam. Indeque siccum dicit, qvod Physicus humidum, velut succum nucis, quod vim habeat exsiccandi. Sed & hoc suo loco diximus, Ethicum magna ex parte ea, quæ ipsius considerationi subsunt, metiri προαιρέσει. Nam, ut passim docet Philosophus τῆς ἀρετῆς καὶ τοῦ ἤθους ἐν τῇ προαιρέσει τὸ κύριον. Veluti Rhetoricis docet, hæc vocabula, contumeliam, furtum & similia προαίρεσιν ait adsignificare. Et in V. Metaph. Platonem reprehendit, qvod δυνάμει mendacem definiisset. In IV. Top. similiter inculcat, calumniatorem, furem, Sophistam & alios tales non esse δυνάμει, sed προαιρέσει definiendos. Πάντες enim addit, οἱ φαῦλοι κατὰ προαίρεσιν λέγονται. Sanè si facultatem spectemus, non minori decipiendi facultate Dialecticus pol-

les

let quàm Sophista, nec minori δυνάμει miscendi venena Medicus instructus est, qvàm veneficus, sed hi vitæ hoc genus eligunt, illi non item IV. Met. II. & I. Rhet. I. At aliæ scientiæ προαιρέσεως rationem non habent. Porrò notavimus, Physicum, si cum Mathematico conferatur, res considerare ἐκ προσθέσεως. Naturales enim res sine materia & motu intelligi non possunt. Quod illustrat Aristoteles VI. Met. I. sic scribens: *Naturalia cuncta ita ut simum dicuntur, quod concavitatem notat, verum non quamvis, sed adstrictam ad certam materiam, videlicet nasum.* Ita dicuntur nasus, oculus, facies, caro, os & omninò animal, folium, radix, cortex, & omninò planta. Nullius enim eorum ratio absqve motu, sed semper habent materiam. Quod usqve adeò verum est, ut non solùm in concretis, sed in abstractis vocabulis id obtineat, ut itidem loco suo observavimus. Exiguum enim est, qvod hic spectatur discrimen, in solà penè figura dictionis consistens. In abstractis videlicet τὸ πρῶτον πάσχον obliquè ponitur. e.gr. simitas & curvitas nasi. At concreta in recto casu efferuntur, veluti, simum est nasus curvus. Ita ergò se habent, quæ Physicæ considerationi subjacent. Ast non ita comparata sunt Mathematica, quæ propriam materiam nullam sibi deposcunt, ideoqve & sine tali materia considerari possunt. Neqve enim ut simitatem sine naso fingere non possumus, sic nec curvitatem sine naso aut aliâ aliquâ materiâ, determinatâ cogitare valemus. Est quidem & ipsa necessariò in aliqua materia, verùm non præcisè in hâc vel illâ. Quapropter ab omni tali materiâ abstrahi h. e. seorsim & separatim considerari potest, & sub hâc notione considerant eam scientiæ Mathematicæ. Quæ & causa est, cur Mathematica vocentur τὰ ἐξ ἀφαιρέσεως, I. de Anim. I. VI. Met. I. Atq; hinc etiam fit, ut major in unâ disciplinâ obtineat ἀκρίβεια, quàm in alterâ scientiâ, velut major in Mathematicis, quàm in Physicis aut Ethicis,

quod

quod cum jam in Prodromo explicatum sit, hic fusiùs persequi supersedemus.

CXCV. Hæc accuratè discernere oportet eum, qui lectioni Aristotelis operam navare vult, antequam ad illam accedat. Absurdum enim est, simul quærere scientiam, & τρόπον sive *modum sciendi*, ut ipse loquitur II. Met. III. hoc est, interprete Alexandro Aphrodisæo: *Absurdum est, simul alicujus scientiam quærere, simulq; quomodo ipsa scientia gignatur & comparetur, indagare.* Scilicet hoc ante oportet esse cognitum atque perspectum. Ex quo intelligitur, cur Aristoteles passim in auditore disciplinæ alicujus domestico requirat, ut sit πεπαιδευμένος, sive παιδείᾳ instructus. Δεῖ πεπαιδεῦσθαι πῶς ἕκαστα ἀποδεικτέον, inquit II. Met. III. Et lib. I. de part. Anim. cap. I. dicit, *circa omnem* θεωρίαν & μέθοδον *tàm nobiliorem, quàm ignobiliorem*, esse duas τῆς ἕξεως τρόπους, *scientiam* & παιδείαν. Πεπαιδευμένον autem eum dici, qui ita informatus est, ut *perspicaciter judicare possit*, πῶς ἔχει τὸ ληθὲς εἴτε οὕτως, εἴτε ἄλλως, quæ est conditio solum, sine quâ non potest pædia consistere. Nam formalis ejus ratio spectatur non in re, sed in modo rei. Nempe, ut prudentia non quidem est sine virtute, non tamen est ipsa virtus, & ut intellectio non est sine phantasiâ, non est tamen ipsa phantasia propriè: ita etiam pædia non est quidem sine aliquâ rei cognitione, formaliter tamen ipsamet non est. Unde & disertè ἐπιστήμη τοῦ πράγματος à pædiâ apertè distingvitur citato lib. I. de part. c. I. Pædia autem præditus ab eo, qui scientiam habet, disjungitur III. Polit. his verbis: Ἀποδίδομεν γὰρ τὸ κρίνειν οὐχ ἧττον τοῖς πεπαιδευμένοις ἢ τοῖς εἰδόσιν, *Judicare non minus pædiâ præditis, quàm iis, qui sciunt, attribuimus.* Deniq; res ipsa ostendit, si consideremus, quid à πεπαιδευμένῳ passim requirat Philosophus, eum non in re, sed in modo rei esse occupatum. Requirit ab eo II. Met. III. ut norit πῶς ἕκαστα ἀποδεικτέον, *quomodo singula sint demonstranda.* At ἀπόδειξις est species modi

rem

rem tractandi. Lib.I.de Part. anim.c.I. postulat, *ut dijudicare valeat, utrum partes alicujus disciplinæ ritè sint disposita, ubi sit inchoandum, & ubi sit desinendum.* V.gr. in Philosophiâ civili non à reipublicæ nec virtutum consideratione esse initium faciendum, sed à felicitatis contemplatione, qvod hic finis sit, finis autem in Practicis sit principium I.Ethic. VII. VII. Met. XVII. De universalibus quoqve primum esse agendum, quàm de particularibus, ut propriæ affectiones reduci possint ad primum suum objectum, & ne cogamur idem multoties repetere I.Part.I.&IV. Porrò exigit & hoc, ut norit circa quamqve quæstionem vernàculas rationes discernere à peregrinis, quas propter ἀλαζονείαν, sive jactantiam, sæpè pro οἰκείοις sive domesticis venditant Sophistæ, ut gloriolam qvandam captent, ex quâ postmodum quæstum facere possint. Has enim rationes, qui dijudicare non novit, ἀπαιδευσίᾳ laborare dicitur, quam ea propter ita describit Aristoteles, quod sit τὸ μὴ δύνασθαι κρίνειν τοὺς περὶ ἕκαστον πρᾶγμα οἰκείους καὶ τοὺς ἀλλοτρίους λόγους I. Eudem. VI. h. c. λόγους κοινοὺς καὶ κενούς, I. Eud. VIII. vel λογικούς, qui non ex propriis, sed peregrinis, aut communibus ducuntur principiis, qvalis, ut suo loco dictum, est ratio illa Platonis, qua ostendere nitebatur etiam fœminis militandum esse, qvod canis mas, & fœminæ aves, aliæque bestiæ æqvè bella gerant pro fratribus suis atqve mares V. de Rep. VII. & VIII. de Legibus. Prætera & hoc flagitat, ut dijudicare qveat ea, quæ per se nota sunt, ab iis, qvæ non sunt per se nota, ne omnium sine discrimine causas & demonstratioues exigat, qvod rursus ἀπαιδευσίας indicium esse docet, his verbis: Ἀπαιδευσία est τὸ μὴ γινώσκειν τίνων δεῖ ζητεῖν ἀπόδειξιν, καὶ τίνων οὐ δεῖ, IV. Met. IV Fieri enim non potest, ut omnium sit demonstratio, cum multa sint per se manifesta, velut dari motum & naturam II.Phys.I.& VIII.III. Ad hæc reqvirit, ut non omnium æqvalem ἀκρίβειαν exigat, sed

ubiqve pro materiæ ſubjectæ ratione, I. Ethic. c. I. II. Met. I. Tandem poſcit, ut norit, quodnam ſit κριτήριον, ad qvod veluti ad ſtateram & normam omnia ſcientiæ alicujus theoremata ſint exigenda & dijudicanda. Tale enim κριτήριον in omnibus ſcientiis datur. Intelligimus a. per illud non ſolùm objectum & finem, qvorum illud in ſcientiis Theoreticis hic in practicis primum κριτήριον eſt, (ad hæc enim exigenda cuncta ſunt, qvæ in quâqve ſcientia proponuntur, ut Phyſica Phyſicè, Politica Politicè Medica Medicè intelligantur I. Poſt. VII. lib. Sophiſt. IX.) ſed & primum, quo nituntur rationes, qvibus demonſtrantur ea, quæ objecto per ſe inſunt, aut ad finem per ſe referuntur. In Phyſicis hujusmodi κριτήριον ſenſus eſt. Rationi namque ibi tum demum credendum eſt, cum ei ſenſus reſpondet III. Gener. An. X. Et in III. de cœlo c. VII. ait *τὸ τέλος τῆς φυσικῆς ἐπιστήμης finem naturalis ſcientiæ* eſſe *τὸ φαινόμενον ἀκυρίως κατὰ τὴν αἴσθησιν, id, quod ſemper eſſe apparet, ſecundum ſenſum.* In Politicis tale κριτήριον experientia eſt & aſſvefactio. Non enim rectè judicare poteſt de iis, qvæ ad mores pertinent, niſi qui compoſitæ mentis eſt, aut animum ante habet virtutibus inſtructum; nec de iis, qvæ ad rempublicam gubernandam & conſervandam, niſi qvi omnis generis rerumpublicarum indolem, mores, inſtituta, fortunam &c. aut ipſemet uſu addi dicerit, aut notitiam eorum diligenti hiſtoriarum civilium lectione ſibi comparârit. Unde non malè Polybius τὴν ἐκ ἱστορίας μάθησιν alicubi vocat *ἀληθινωτάτην παιδείαν καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις, veriſſimam inſtitutionem atq; exercitationem ad res civiles.* Sed & hæc cauſa eſt, cur Ariſtoteles I. Eth. II. neget, *juvenem* eſſe *πεπαιδευμένον, Politices auditorem,* videlicet partim ideò, qvod animus ejus nondum ſit virtutibus ſatis excultus, partim, qvod experientiâ ſufficiente nondum ſit inſtructus VI. Ethic. VIII. Et hæc ferè ſunt, quæ Ariſtoteles paſſim in πεπαιδευμένῳ ſcientiarum

tiarum auditore requirit. At cuncta hæc ita ſunt comparata, ut non tàm ad rem ipſam pertineant, quàm modum eam tractandi. In eo ergò παιδείαν eſſe occupatam liqvet.

CXCVI. Cæterum, cum circa modum conſiderandi verſetur & Analytica, ſunt non pauci, qui exiſtimant παιδείαν nihil aliud eſſe apud Ariſtotelem, qvàm hanc ipſam. Quod tamen nobis non ſit veriſimile, etiamſi non negemus præcepta Analytica, quæ universè modum ſciendi tradunt, non parùm ad hanc facultatem adferre adjumenti. Nam & cuncta iſta, quæ à πεπαιδευμένῳ auditore poſtulare Philoſophum, paulò ante diximus, in Analyticis proponuntur, ibiqve fusè explicantur, additis rationibus, cur hoc vel illud obſervari conveniret. Rationes autem, qvibus moti exiſtimamus non veriſimile eſſe, qvod per παιδείαν Analyticam Ariſtoteles velit intellectam, ut paucis contrahamus, qvæ alias fuſius perſeqvuti ſumus, ſunt ſeqventes. Principio ex iis, qvæ hactenus dicta ſunt, manifeſtum eſt, quod παιδεία ſit facultas aliqva in diſcente. Erat enim officium ejus, poſſe ſolerter judicare, quidnam rectè aut non rectè ab eo, qui docet, exponatur. At Analytica facultas eſt in docente. Unde ἀπαιδευσίαν τῶν ἀναλυτικῶν, *Analyticæ ignorantiam*, paſſim veteribus Philoſophis objicit Ariſtoteles, cum in methodum docendi fortè impegiſſent. Deinde πεπαιδευμένος novit, qvæ ſint propria diſciplinæ alicujus principia, item quodnam ſit κριτήριον, ad quod omnia ſcientiæ θεωρήματα ſunt exigenda, qualē ſubjecta materia ἀκρίβειαν ferat, & quæ ſunt alia id genus. At hæc perſpecta non habet Analyticus, quà talis. In univerſali quidem is novit, qvod qvæqve diſciplina ex propriis argumenta deducere debeat, & quænā ſint notæ propriorū principiorum: at, quæ ſint in ſpecie hujus vel iſtius diſciplinæ, veluti Geometriæ, Phyſicæ &c. principia, non habet perſpectum. Item novit, in quâq; diſciplinâ eſſe κριτήριον aliquod, ad qvod exigenda ſint cætera, ſed qvodnam

illud sit, veluti in Physicis, num sensus, an ratio, eum latet. Denique & hoc probè cognoscit, quod non æqualis in omnibus scientiis exigenda sit ἀκρίβεια, sed talis solùm, qualem fert substrata materia, at qualem ferat hujus vel istius disciplinæ objectum, rursus ignorat. Paucis, ex dictis liqvet, qvod quælibet scientia habeat peculiarem sibi παιδείαν. At Analytica est tantùm una.

CXCVII. Neqve est, qvod cum nonnullis qvis excipiat, duplicem esse παιδείαν, aliam universalem, qvam Aristoteles dicat τὴν περὶ πᾶν sive ὅλως παιδείαν I. Ethic. c. I, aliam particularem. Illam esse eandem cum Analyticâ, hanc autem cujusque scientiæ propriam. Id enim ipsum in qvæstione est, num universalis illa παιδεία Analytica debeat dici. Quin imò qvod non sit, ex ipsis Aristotelis verbis satis liquet. Ei enim, qui παιδείᾳ universali instructus est, tribuit Philosophus, qvod rectè judicare possit de omnibus disciplinis tàm exqvisitis, qvam non exquisitis lib. I. de part. Animal. cap. I. Et lib. I. Ethic. c. I: *Unusquisq;, ait, rectè judicat ea, quæ cognoscit, atq; eorum bonus est æstimator*, καὶ ἕκαστον quidem ὁ πεπαιδευμένος, ἁπλῶς δ', ὁ περὶ πᾶν πεπαιδευμένος. At de Analytico, quâ tali, id dici non potest. Analytica ergò non est illa περὶ τὸ πᾶν παιδεία, sed complexus potius omnis particularis pædiæ, quæ circa objectum cujusqve disciplinæ cernitur, sicut & exponit Eustratius comm. in I. Ethic. cap. I. Ait enim τὸ πᾶν in illis verbis Aristotelis: Ἀγαθὸν κριτὴς ἁπλῶς ἐστὶν ὁ περὶ πᾶν πεπαιδευμένος, non τὸ καθόλου significare, sed esse τὸ τῶν καθέκαστον ἄθροισμα, *congregationem omnium singularium*, h. e. ἁπλῶς πεπαιδευμένον, dici, non eum, qui universaliter, sive in genere, novit, qvomodo sit docendum, sed, qui id in specie qvoqve circa quamqve rem habet perspectum. Hinc dubium movet, dicens, non videri possibile esse, ut qvisqvam hominum simpliciter de omnibus

rebus

rebus judicet. Hoc dubium ſolvit duplici ratione. Primò reſpondet, *fortaſſis verum eſſe, quod non detur aliquis, qui ſit in omnibus πεπαιδευμένος; neque id Ariſtotelem negare*; Verba namqve ejus ita accipi poſſe, quaſi ex hypotheſi ſint prolata, ut hic ſit eorum ſenſus: ὥσπερ ὁ καθ' ἕκαστον πεπαιδευμένος κρίνει καλῶς ἐκεῖνο περὶ ὃ πεπαίδευται, οὕτως εἴτις ὑπόθηται ἁπλῶς εἶναι περὶ πᾶν πεπαιδευμένον, τινὰ, ἔσται κριτὴς ἀγαθὸς, ἐκεῖνος τοῦ κρινομένου παντός, *Quemadmodum is, qui pædiâ circa unam aliquam certam rem v.e. ſi quis ſupponatur ſimpliciter πεπαιδευμένος eſſe, ille de omnibus rectè judicabit.* Deinde dicit, Ariſtotelem πεπαιδευμένῳ ἁπλῶς *neque hic, neque alibi, tribuere exquiſitam omnium rerum ſcientiam*, ſed πολυπειρίαν ſolùm, ſive *experientiam multarum rerum. Neq; enim ſcientes ſolùm judicare poſſe de rebus, ſed & eos, qui experientiâ ſunt inſtructi*, quâ de re ita Philoſophus X. Eth. Οἱ γὰρ, inquit, ἔμπειροι περὶ ἕκαστα κρίνουσιν ὀρθῶς τὰ ἔργα, *experientes ſingularum rerum opera rectè judicant.* Sic de lyra judicat nonſolùm is, qui lyram confecit, ſed & is, qvi eam pulſat. Experientia ſcilicet edoctus novit, quæ lyra rectè & affabrè ſit facta. Sic de cibis non coqvi ſolùm, ſed & convivæ judicant, ut non inurbanè dixerit Martialis: *Cœnæ nam fercula noſtris malim convivis quàm placuiſſe coquis.* De picturis porrò ſeu imaginibus judicant nonſolum pictores, ſed & ii judicare apti ſunt, qui multum in his ſunt verſati. *Talem* ergô, inquit Euſtrathius, *rerum cognitionem, experimentalem* Ariſtoteles tribuit etiam πεπαιδευμένῳ. Quod etiam revera ita ſe habet. Diſertè enim in loco, ex Ethicis citato, auditori πεπαιδευμένῳ opponit auditorem ἄπειρον. Ἄπειρος autem cui opponitur, niſi ἐμπείρῳ experientiâ valenti? Quod fortaſſis & Theodorus Gaza conſideravit quando pædiam, quæ ab Ariſtotele vocatur, latinè *peritiam* convertit. Alia ergò eſt γνῶσις, ſunt verba laudati commentatoris, ἡ κατὰ τὴν ἐπιστήμην, alia ἡ κατὰ τὴν παίδευσιν, qualem circa res omnes in aliquo nihil prohi-

bet reperiri. Sunt enim ingenia aliqua ad omnium rerum docendi modum versatilia, quale est descriptum à Platone III. de Republ. & quale fortassis fuit Hermodori, quem cum civitate expellerent Ephesii, proclamârunt: *Nemo de nobis unus excellat, sed si quis extiterit, alio in loco & apud alios sit.* A tali si quis paratus sit ingenio, is sine dubio, si πολυπειρία ἐν τοῖς πράγμασιν accedat, πεπαιδευμένος ἁπλῶς jure optimo dicetur. Ex ejusmodi enim inclinatione, & πολυπειρία παιδεία illa nascitur, sicut altera illa παιδεία ex naturali instinctu ad certum aliquod μάθημα sive disciplinæ genus & experientiâ circa illud ortum trahit. Ubi, ut obiter id tangamus, mirari aliquis posset, quod Interpres Græcus IIX. Top. posterius hoc εὐφυΐας genus non dubitet priori anteponere ita quidem, ut doceat κυρίως eam esse εὐφυΐαν. *Qui enim*, inquit, *ad omnem scientiam æquè parati sunt & ad percipiendum faciles non sunt κυρίως εὐφυεῖς, quia in se non habent τὸ κριτικὸν, quod quidem est prima & κυρίως εὐφυΐα.* Sed fortè non eadem ratio est modi sciendi, qvæ est de scientiæ ipsius. De inclinatione autem ad hanc loquitur ibi Interpres, non malè sentiens, quod ingenia talia, qvæ ad omnem scientiam æquè apta sunt, vaga ut plurimum esse soleant, & aliquale quidem de omnibus, rarò autem exactum de ullâ re judicium ferant, similia medicamentis polychrestis, de quibus Galenus scribit, quod nihil eximiè in ullo certo morbo præstare possint, qvanquam in pluribus rectè adhibeantur. Sed hæc, ut dixi, obiter & velut in transitu sint dicta.

CIIC. Ex dictis interea denuò manifestum est, oleum & operam perdere in lectione Aristotelis, qui historiâ sive experientiâ planè nullâ instructus, mentem ejus asseqvi sperat. Reqvirit enim Philosophus ut ab auditore τῶν λόγων, sic & lectore Scriptorum ἀκροαματικῶν, ut sit πεπαιδευμένος. At nemo παιδεία præditus esse potest, qui nullam habet experien-

rien-

rientiam rerum. Quò accedit, qvod ſine experientiâ intelligere non poſſit principia aut aſsenſum doctori principia iſta ponenti adhibere. Principia enim inductione cognoſcuntur, inductio autem experientia fulcitur. Ita quis intellexerit principium hoc toties in Phyſicis ab Ariſtotele adhibitum, *Non qvodvis fieri ex quovis, ſed quicquid fit, fieri ex contrario, aut intermedio* absque experientia? Eâ autem ſi quis inſtructus ſit, indubium illud non vocarit. Nimis enim manifeſtum eſt, humidum non fieri ex albo, niſi per accidens, ſed ex ſicco, album ex nigro aut flavo aut viridi, calidum ex frigido aut tepido, & ſic in cæteris. Ἐκ δ' ἐμπειρίας ἠρεμήσαντος τοῦ καθόλου ἐν τῇ ψυχῇ, τοῦ ἑνὸς παρὰ τὰ πολλά, ὃ ἂν ἐν ἅπασιν ἢ ἐκείνοις τὸ αὐτὸ, τέχνης ἀρχὴ καὶ ἐπιστήμης, inquit Ariſtoteles II. Poſt. c. ult. *Experientia*, ait, *fieri in animo, univerſale in omnibus, quà talibus ſimiliter ſe habens, quod principium ſit artis ac ſcientiæ.* Et l b. I. Prior. cap. XXX. dicit *experientiæ* eſſe *cujusq́; ſcientiæ principia tradere.* e.g. Aſtrologicæ experientiæ officium eſt, Aſtrologicæ ſcientiæ ſuppeditare principia, id quod ulterius ex hiſtoria confirmat. Collectis enim quantum ſat erat φαινομένοις, (ita vocantur, quæ in cœlo apparent, velut imagines cœleſtes & omnia ſidera atque eorum ortus, occaſus, conjunctiones, diſtantiæ, & id genus alia, quæ facilè ſenſibus comprehenduntur. Confer. I. part. An. I.) Aſtrologicæ demonſtrationes hoc pacto ſunt inventæ. Eodē autem pacto dicit ſe rem habere in aliis tum artibus tum ſcientiis qualibuscunque. Ubi non poſſumus, quin notemus errorem Alexandri, qui in comment. hujus loci bis, quod Ariſtoteles experientiæ proprium eſſe dixerat, ſcientiæ tribuit. Sic enim ille habet: ἑκάστης ἐπιστήμης ἐστὶ τὰς ἰδίας ἀρχὰς ἐξ ὧν αἱ προτάσεις τε καὶ συλλογισμοὶ παρέχειν τε καὶ ἐκλέγειν, *Uniuscujusq́; ſcientiæ munus eſt propria principia, ex qvibus propoſitiones ac ſyllogiſmi fiunt, præbere atque deligere.* Et non

mulò

multò post: *τὰς προτάσεις, τὰς οἰκείας ἑκάστῃ ἐπιστήμῃ, τοῦ κατ' ἑκάστην ἐπιστήμονός ἐστιν ἐκλέξαι ἐκλογῶν οἰκείων, propositiones proprias unicuiq; scientiæ eligere, ejus est, qui unamquamq; scientiam habet.* At Aristot. hoc experientiæ propium fecerat. Et rectè quidem. Scientia enim nō præbet principia, sed assumit illa, jam aliunde cognita & percepta, & ex illis cōclusiones per demonstrationē deducit. Unde & omnem scientiā nasci dicit *ἐκ προϋπαρχούσης γνώσεως ex antecedente cognitione,* nempe principiorum I.Post.I.§.1.& 1.Met.VII. Hæc enim esse sumit docens, reliqua demonstrat. I.Post.X. Præcognoscuntur autem principia per experientiam. Hæc ergò est, quæ legit uniuscujusque scientiæ principia; quâ ea propter instructus sit, necesse est auditor *πεπαιδευμένος* scientiæ, ut intelligat principia à Doctore posita. Hæc enim nisi intellexerit, quomodo reliqua, quæ ex illis deducuntur, comprehendet? Non tamen æquè in omni scientiarum genere experientia requiritur ad *παιδείαν.* In Mathematicis enim exigua animadversiuncula videtur esse satis, cum omnium singularium eadem sit ratio, & principia nonsolum naturâ, sed & nobis sint notiora: at in Physicis longè major longèqve accuratior jure desideratur. Unde & pueri Mathematici quidem fieri possunt, Physici non possunt, judice Aristotele ipso lib. VI. Ethic.

CXCIX. Porrò quod in iis, quæ sub *θεωρίαν* tantùm cadunt, est experientia, id in practicis est consvetudo, quâ principia moralium rerum innotescere non obscurè indicat Philosophus I.Eth.c.IIX. dicens, quod principiorum alia *inductione* cognoscantur sive experientiâ, alia *ἐθισμῷ, consvetudine.* Per hæc autem principia rerum moralium intelligenda esse ait Eustratius. Subdit enim immediatè, exempli loco, *ὡς ἀρεταὶ v.c. virtutes πῶς γὰρ ἄλλως καλὰ εἶναι γνωρίζομεν τὰ σωφρονικά, ἢ ἐκ τοῦ πράττειν ταῦτα καὶ οὕτως ἐν τούτοις ἐθίζεσθαι ταῖς πράξεσιν, quomodo enim aliter cognoscemus bona esse ea, quæ sunt temperata*

nisi

nisi ex actione horum aut consvetudine? Intereſt enim aliquid inter experientiam & aſſvefactionem ſive conſvetudinem. Differunt primò origine. Experientia enim ex obſervatione naſcitur, conſvetudo autem ex actione. Quid namqve conſveſcere aliud eſt, quàm ſæpè & continenter idem facere? ſicut Ariſtoteles detritici farinâ nonnulla quærens in Problematibus ait: ἔθος δεῖ τὸ πολλάκις καὶ συνεχῶς ποιεῖν. Et in I. Rhet. de iis, quæ fiunt ex conſvetudine, diſputans: ἔθει, inquit, ὅσα διὰ τὸ πολλάκις πεποιηκέναι ποιοῦσι, *conſuetudine ea fiunt, quæ, quia ſæpè fecerunt, faciunt.* Deinde & fine diſcernuntur. Experimur enim quid in pluribus ſingularibus, ut cognoſcamus ita eſſe in omnibus. E. gr. ſi videamus aliquem triangulum ex tribus lineis conſtantem, volumus videre alium, ut intelligamus, numqvid eodem modo & ille ſit conſtitutus, & item alium, & rurſus alium, quos ubi vidimus, neq; in ullo ſecus rem ſe habere advertimus, deducimus tandem inde hoc principium, triangulum eſſe figuram tribus lineis conſtantem, qvod nobis ante nondum erat plenè perſpectum. At non eum in finem aſſveſcimus aliquibus, ut diſcamus illa, quæ nobis ante non erant perſpicua, ſed ut fiant in nobis, ſive ut facilius ea agamus. E. gr. Si aliquis aſſveſcat comedere helleborum, facit id non eo fine, ut diſcat helleborum repugnare naturæ. Hoc enim ipſi erat perſpicuum, ſed ut paulatim comedendo non patiatur ab illo, cum comederit, quantum ſibi fuerit viſum. Vid. ſect. XXIIX. Probl. probl. I. Pariter & virtutibus aſſveſcimus non eo fine, ut virtutum naturam cognoſcamus, ſed potius, ut promptè, expeditè & ſine moleſtiâ ea, quæ virtutis ſunt, exequamur. Interim uti experientiâ opus eſt lectori librorum Ariſtotelis, in quibus Philoſophia Theoretica traditur, ita ad virtutes adſvetus ſit neceſſe eſt, qui rectè judicare vult de iis, quæ in Philoſophiâ Practicâ proponit: absqve eo enim ſi ſit, ſi, inquam, non virtutibus, ſed vitiis potius ſit adſvetus, ſimili-

terne prima quidem principia intelligere potis erit. Vitium enim omne in actionibus & animi affectibus, aut in exceſſu aut in defectu ſitum eſt, exceſſus autem & defectus mediocritatem corrumpit: at mediocritas eſt id cujus gratiâ, hoc autem finis eſt & earum rerum, quæ ipſi agimus, principium.
„Unde rectè Ariſtoteles VI.Eth.V: Si quis corruptus ſit per vo-
„luptatem aut dolorem, ei continuo nõ apparebit principium
„nec hujus gratiâ oportere nec propter hoc expeti ac geri o-
„mnia. Vitioſitas enim principii corruptrix eſt. Et lib.I.Eth.
„c.II. dicit: Oportet moribus egregiè inſtructum eſſe eum, qui
„de rebus honeſtis & juſtis atqve omninò civilibus idoneè ſit
„auditurus. Principium enim in hâc diſciplina eſt, rem ita ſe habere, e. gr. amandam eſſe mediocritatem, fugienda extrema, item cupiditates creſcere, ſi obſequaris ſi averſeris, minui, actionem ſecundum virtutem perfectam comitari ſinceram animi voluptatem &c. Hæc, inquam, & ſimilia pro principiis ponuntur. Quæ ille quidem, qui benè educatus & ad virtutes aſſvetus eſt, aut jam cognita habet, aut ſine ullâ difficultate, alio
„monente, percipiet, iisq; libens aſſentietur. Qvod ſi quis eſt,
„pergit Ariſtoteles, qui neutrum horum præſtare poſſit hoſce
„audiat Heſiodi verſus: *Ille* quidem *longè optimus eſt, qui ipſe omnia novit, ſed bonus eſt etiam is, paret qui recta monenti. At ſi quis nec per ſe novit, nec ſi quem alium audit, mentem adhibet, nullo is numero eſt, nullo ordine habendus.*

CC. Hæc de pædiâ hic monenda erant. Cui vix quicquam magis inimicum eſt, quàm à teneris annis falſa quædam audiviſſe, ſive id per legislatores fiat inſtitutis patriis, ſive per malè doctos diſciplinarum profeſſores. Hinc namq; proveniunt *ἀκροάσεις* illæ, de quibus Ariſtoteles dicit, qvod κατὰ τὰ ἔθη, ſecundum conſvetudinem fiant II.Met.III. Quemadmodum enim, pergit, conſvevimus, ita judicamus dici debere. Quæ enim præter conſvetudinem noſtram dicuntur, ignotiora nobis viden-

videntur, quia peregrina alienaq; sunt. Id quod illustrat argumēto νόμων quâ voce qvid hîc denotetur, jam supra docuimus. Quamvis nesciamus aliquos per νόμους & hîc intelligere leges. Multa enim, inquiunt, fabulosa à legislatoribus statuuntur, quibus tamen fides ab iis, qui legibus parent, habentur, qvoniam his audiendis sunt à primis annis assveti, veluti *aliquos esse terrigenas, qui è terra nati fuerint, & alios sparsis dentibus esse procreatos, ac proinde pro terrâ matre oportere pugnare, vel Deos de ipsa contendisse*, qvæ exempla adducit Alexander in Comment. Atqve hinc tanta auditorum propter aliam consvetudinem inter se diversitas. Nam *qui Mathematicis sunt assveti*, utimur adhuc verbis Alexandri, *ii eorum omnium, quæ proponuntur, demonstrationes Mathematicas & omninò exactas requirunt, aliter explicatas non admittunt. Quibus autem per exempla discere mos est, ita docentibus delectantur. Rursus qui poëmatibus gaudent & in his ætatem consumserunt, disputantes ferre nequeunt, nisi Poëtam quempiam dictorum testem adhibuerint. Ita quidam omnia accuratè perquirunt: at alii ab exacta perquisitione abhorrent, vel quia laborant, nec id consequi possunt, vel quia nimium accuratè discutere hominis esse putant minutissima quæq; ad calculos revocantis.* Hoc enim Aristotelem sibi velle per vocabulum μικρολογίαν, quam d. l. usurpat, dicit Alexander, qui id ulterius illustrat, subjungens: *Hujusmodi enim speciem præ se fert dictorum nimiùm accurata discussio, sumta sic opinandi occasione à contractibus & nimia ratione eorum, quæ veniunt in usum.* Sunt enim quibus ut in contractibus, sic in dictis qvoqve nimia diligentia, tanquam illiberalis, damnatur & parvarum rerum discussio. Tantum obstaculum pædiæ sive facultati rectè judicandi de iis, quæ à scientifico doctore proponuntur, ponit parva institutio, si quis illi à teneris sit assvetus, ut vitium in progressu aut planè non, aut admodum difficulter, corrigi possit. Talem enim dediscere opor-
 tet,

tet. At longè difficilius est dediscere, quàm discere IV.Polit.I. Quò & Themistocles sapientissimus vir respexit sine dubio, dicens, *quod non minor labor sit obliviſci aliquid, quàm discere.* Et Timotheus quidam fertur *duplicem* olim postulasse *mercedem* ab iis, qui alio ante magistro usi essent, quod in dedocendo non minus sibi laboris suscipiendum esset, quàm in docendo.

CCI. Et sanè hæc non minima causa est, cur Aristoteles multis olim visus fuerit & etiamnum videatur obscurus, quod malè instituti *τρόπον*, quem in quâque scientiâ observat, quiqve jure meritoqve observandus est, non intellexerint, aut necdum intelligant satis. Apud multos malè audit, quod in Ethicis & Politicis non eam servet *ἀκρίβειαν*, quam Euclides in Mathematicis, quasi verò *τὸ ἀκριβὲς* ubique æqualiter locum habeat & non *ἀπαιδευσία* potius sit, disputationem omnem sine ullo discrimine ad perfectam & immutabilem veritatis normam exigere I.Eth.c.I. Aliis contrà nimium subtilis vel in his ipsis libris esse videtur, quod rationibus *ἐνδόξοις* non fuerit contentus, sed *ἀκριβεστέρας* adduxerit, & Politico minus, ut putant, convenientes. Quasi verò & scientia, quæ de prudentiâ civili est, non gaudeat suâ certitudine, suasqve demonstrationes habeat, in suo genere satis exquisitas, licet *ἀκρίβειαν*, quæ in Mathematicis obtinet, non exæquent. Non pauci qvoqve sunt, quibus scripta hujus Philosophi ideò non sunt ad palatum, quod contradictiones satis multæ in illis, ipsorum judicio, contineantur. E. gr. lib. Categ. c. V. inquit, *substantiam non habere contrarium:* at alibi disertè contrarium docet, ut lib.II. de Gen.& Corr. c. IX, ubi *aëri terram & aquæ ignem* contraria esse dicit, ad eum modum, quo *substantiam substantiæ* contrariam esse contingat. Sed & lib. II. de cœl. c.III. *ignem aquæ, & in universum elementa elementis* contraria esse docet. Lib.IV.Top.c.I.§.5. dicit, *genus & speciem esse in eodem prædicamento.* At lib.V.Met.XV. ait: *Si genus est ἐκ τ͂ πρός τι, non necesſ-*

necessariò ex eorum numero est & species. In Meteorologicis rationem investigans, cur Antiphon quidam viderit obversari sibi suam imaginem in aëre, ideò id factum putat, quod obvisus debilitatem visuales radii in propinqvo aëre ad oculum ejus revibrati fuerint, illiqve adeò aëri tanquam speculum factum fuerint, quasi visio fieret per emissionem radiorum, quod Platonis dogma erat, qvod tamen ex professo refutat Aristoteles in lib. de sensu & sensibili. Verum hæc & id genus alia parum illi morarentur, si παιδεία instructi ad τρόπον cujusque scientiæ animum converterent, in qvâ quodq; horum scripsit Philosophus. Librum Categoriarum non acroamaticum, sed exotericum esse, dictum jam ante. In Exotericis autem non attenditur, quid rei insit κατ' ἀλήθειαν, sed secundum opinionem hominum. Juxta hanc autem substantiæ nihil est contrarium: est tamen aliquid alicui substantiæ suo modo contrarium secundum rei veritatem, quam pensi habuit Philosophus in Physicis scriptis. In Topicis idem investigat locos accommodatos πρὸς δόξαν, quales loci sunt propositiones ἔνδοξοι, consentaneæ opinionibus hominum, quæ quidem suâ gaudent veritate, si debitè limitentur atqve ita intelligatur, ut fert modus Dialecticæ methodo proprius, nempe si dicantur esse ἔνδοξοι, pro quibus & non pro aliis Dialecticus eas venditat, licet tales esse ex suis principiis deducat. At nihil prohibet, aliquid esse ἔνδοξον & tamen nõ universaliter verum. Sanè ipse Aristoteles passim, inprimis autẽ IIX. Top. XII. §. 9. quædam esse falsa ait, & tamen ἔνδοξα, contra autem quædam ἄδοξα & tamen vera. Ita ἔνδοξον est, tot modis dici unum conjugatorum, quot modis dicitur alterum: at hoc non simpliciter est verum. Nam sanum & sanitas sunt conjugata, & tamen pluribus modis dicitur sanum, quàm sanitas. Cùm enim sanitatis una solùm sit significatio, sanum vel quinque dicitur modis. Nempe quoddam sanum dicitur, qvia sanitatem habet, veluti animal; quod-

 dam

dam quia ſanitatem ejus, quod ſanitatem habet, indicat, ut pulſus & urina; quoddam, quia conſervat, ut cibus & potus; quoddam, quia non impedit aut corrumpit, ut locus & tempus. Rurſus ἔνδοξον eſt, id melius eſſe, cujus oppoſitum eſt deterius. At nec hoc abſolutè verum eſt. Morbus enim, qui ſanitati adverſatur, longè eſt deterior, quàm καχεξία, quæ εὐεξία opponitur, & tamen hæc majus bonum eſt, quàm ſanitas. Eadem eſt & iſtius principii ratio: Genus & ſpecies ſunt in eodem prædicamento. εὔλογον & ἔνδοξον id eſt, at non omninò verum. Quod ipſum & de altero illo, ſubſtantiæ nihil eſt contrarium, dicendum eſt. Secundum plerorumqve opinionem enim ſubſtantia dicitur id, quod per ſe ſubſiſtit, ut ſimplicia corpora, terra, ignis, aër, aqua, & quæ ex his conſiſtunt, animalia, plantæ &c. VII. Met. IV. at ſecundum ἀκρίβειαν Philoſophicam & rei veritatem ſubſtantiæ dicuntur & ea, quæ ad τὸ τί ἦν εἶναι eorum, quæ per ſe ſubſiſtunt, pertinent, V. Met. IIX. quò ſpectant & differentiæ ſubſtantiarum, quibus aliquid contrarium eſſe nimis planum eſt. Differentia enim cujusqve generis debent ſibi invicem eſſe oppoſitæ, & quidem non quovis modo, ſed ut contraria VI. Topic. VI. Ita frigus & calor, humiditas & ſiccitas ſunt differentiæ elementorum, ut docet Ariſt. cùm alibi, tùm II. de Anim. c. XI. cui conſentiunt Græci interpretes magno numero, quos aliis locis citavimus, ut Exercit. II. de def. τ̃ ἐν ὑποκειμ. n. V. & VI. Exercit. de Lum. n. IX. At qualitates iſtæ ſine dubio ſibi mutuò ſunt contrariæ.

CCII. Reliqua non difficulter ſolvet, qui ex ſupra dictis intelligit, non ubiqve æqualem ἀκρίβειαν eſſe exigendam. Fit enim, ut de unâ eâdemqve re in diverſis nonnunqvam agatur diſciplinis, verum alio atqve alio inſtituto, & conſequenter pro hujus ratione in unâ accuratius, quàm in alterâ. Illuſtravimus id non ſemel exemplo anguli recti, cui addi poſſunt, quæ de ſyllogiſmo ſupra ſunt dicta. Scilicet accidit interdum, ut

ut scientia aliqua rem consideret secundum propriam ipsius naturam atqve essentiam, & tùm accuratè ea expendit, quæ rei per se insunt: at alia eandem considerat respectu certi cujusdam finis, quam scientia illa intendit, & tum satis est, si tantum de ista re consideretur, quantum ad obtinendum finem istum conducit. Ad qvod, si perinde est, quam amplectaris sententiam, melius est, communem sequi, sive ab omnibus aut pluribus receptam, quàm propriam & singularem, etiamsi hæc firmioribus nitatur rationibus, quàm altera, præsertim si demonstratio ejus longius sit arcessenda. Ἀκριβολογία enim quandoqve ἄκαιρος est, ut loqui solet Galenus, ut si quis exquisitam illam virtutum considerationem ex Ethicâ in Rhetoricam transferre velit. Hâc de causa Arist. in Ethicis admisit divisionem illam animæ Platonicam in rationalem & irrationalem, ab omnibus tritam, quam tamen alibi reprehendit, quod perinde esset ad finem, in Ethicis ipsi propositum, obtinendum, num hâc vel aliâ uteretur, neqve locus esset, de divisione animæ καθ' ἀκρίβειαν disputare. Eademqve fortè & ratio fuit, cur isto principio, utpote in Schola Platonicâ freqventato, visionem fieri per emissionem, cit. ex Meteorol. loco uteretur, nempe, qvod disputatio de hoc principio nimis prolixa esset, & ad præsens negotium parùm referret, quæcunqve assumeretur hypothesis, sicut & alibi de iride sermonem instituens nihil referre ait, sive φαινόμενον illud extrinsecus in oculos immissis radiis, sive radiis ex oculis prorumpentibus ad rem visam apparere diceretur. Quanquam & alia, & quidem meliori responsione negotium expediri possit, ut videbimus infra. Nulla ergò hactenus in Aristotele contradictio probata.

CCIII. Ita his imponit ἀπαιδευσία, quod ignorant, ubi de re aliqvâ καθ' ἀκρίβειαν sit agendum, & ubi παχυλῶς, sive rudi Minervâ. Alii verò ideò hallucinantur, quod non cognitum habeant κριτήριον ad qvod exigenda sint ea, quæ in scientiâ ali-

quâ proponuntur. E. c. Multi desiderant hoc in Aristotele, qvod in Physicis nihil habeat de creatione mundi, nihil de aquis supra cœlestibus &c. Unde hoc? nisi quod existiment, normam sive κριτήριον, ad qvod examinandæ sint res naturales, non solum sensum esse & rationem, sed & Scripturam, quippe in quâ multa etiam de talibus contineantur, quæ falli nos non permittant, qvod ipsius Dei, utpote fallere nescii, testimonio sint roborata & confirmata. Verùm minus rectè sentiunt de κριτηρίῳ scientiæ naturalis. Quamvis enim Scriptura de rebus naturalibus testimonium dare possit, & qvidem infallibile, domesticum tamen & proprium scientiæ naturalis principium non suppeditat, qvo ipsa scientia, ut scientia est, nitatur. Ad fidem quidem producendam accommodatum est istiusmodi testimonium, ad scientiam non item. At Physicus, quâ talis, credere non vult, sed scire, rationes quærit, non testimoniis acquiescit, neq; ex iis procedit, quæ fideles & de Scripturæ veritate certi tantum admittunt, sed quæ omnibus naturam intuentibus clara sunt & manifesta. Ex talibus enim naturales demonstrationes proficiscuntur. Scire autem nihil aliud est, quàm per demonstrationem cognoscere I. Post. II. §. 5. & VI. Eth. III. Unde & Plato disertè distingvit inter πίστιν & *scientiam*, quarum illam intendere dicit Oratorem, hanc docentem, aut disciplinam aliquam profitentem, in Gorgia. Cui consentiunt omnes, qui inter πίστιν & γνῶσιν distingvunt, alibi à nobis adducti. Μήποτε τὰ ἀποδείξει λογικῇ ληπτὰ, δι᾽ ἀποδείξεως δεῖ μανθάνειν; οὕτω γὰρ ἡ ἐπιστημονικὴ γίνεται γνῶσις, ἐὰν ἀπὸ τῆς αἰτίας ἡ ἀπόδειξις γένηται· Τὸ δ᾽ ἀκοῦσαι παρὰ θεοῦ ὅτι ἀθάνατός ἐστιν ἡ ψυχὴ, πίστιν μὲν ποιεῖ βεβαίαν, ὡς εἰκὸς, οὐ μέντοι ἐπιστήμην τοῦ πράγματος, inquit egregiè Simplicius com. in Euchirid. Epicteti. cap. XXXIX. *Nonne ea, quæ per rationem percipi ac demonstrari possunt, ex demonstratione cognoscere convenit?* Ita omninò, vult dicere. *Sic enim scientifica parabitur cognitio, si per causam demon-*

monſtratio fuerit facta. Audite quidem ex Deo, immortalem eſſe animam, fidem quidem firmam parit, uti par eſt, non tamen rei ſcientiam. At hanc ſibi tribuit Phyſicus. Κριτήριον igitur, ſecundum quod judicandum eſt de iis, quæ à Phyſico, quatenus Phyſicus eſt, proponuntur, Scriptura non erit, quæ eſt principium revelationis à Deo nobis factæ. Ipſamet potius, ubi de rebus naturalibus, quantum ad finem ſuum attinet, ſermonem inſtituit, nos paſſim ad earundem contemplationem uberiorem ita amãdat, ut aliunde cognitionis naturalis fontes manare non obſcurè judicet. Neq; eſt, quod quis regerat, Phyſicum tamen poſſe ad minimum argumento à teſtimonio Scripturæ petito, tanquam Dialecticâ probatione uti, cum inter locos Dialecticos numeretur & ille, qui deſumitur à teſtimonio. Id enim parum facit ad præſens, cum aliud ſit λογικῶς ſive διαλεκτικῶς probare, aliud φυσικῶς, & nos de κριτηρίῳ hîc ſimus ſolliciti, ad quod propria & genuina principia Phyſica ſint examinanda, ex quibus non λογικῶς, ſed φυσικῶς quid demonſtratur. Taceo, quod teſtimonium, quà tale, ne quidem ſyllogiſmum Dialecticum conſtituat. Teſtimonium autem divinum rationes Dialecticas longè ſuperat. Fidem enim illud gignit infallibilem, cum rationum Dialecticarum finis ſit opinio, quæ infallibilis non eſt, ut oſtenſum eſt ſupra. Quanquam nec hoc negari poſſit, Scripturam, cum de rebus naturalibus diſſerit, non ad exactam Philoſophiæ normam dicta ſua temperare, ſed ad vulgi captum non rarò ſe accommodare. Sanè die quarto Moſes refert, Deum duo magna luminaria creâſſe, Solem ac Lunam Gen. I. 16. cum tamen ſiderum omnium Lunam eſſe minimam ex evidentibus principiis ab Aſtronomis demonſtretur. Sed quoniam vulgus ita judicat, qui oculis ac ſenſibus omnia metiri ſolet, ideò ſic Moſes loqui non dubitavit. Neque enim Scripturæ inſtitutum eſt, exactam rerum naturalium tradere ſcientiam, ſed longè ma-

jor & ſublimior ejus eſt ſcopus, ad quem nonnulla interdum ex naturalibus, quæ iſti fini obtinendo inſerviunt, & vulgi captum non tranſcendunt, accommodat. Quid multa? Cum Phyſica ſit Philoſophia quædam, Philoſophia autem omnis nitatur naturæ lumine, neceſſe eſt, ut omnia ea, quæcunqve ſub conſiderationem Phyſices veniunt, ex natura ipſa cognoſci poſſint. Contradictionem enim involvit, niti aliquid naturæ lumine & tamen ex natura non poſſe cognoſci. Quod ſi ergò ſit aliquid, cujus cognitio ſufficiens ex natura erui nequeat, ejus conſideratio hoc ipſo ad Phyſicam non pertinebit, neqve ad ullam Philoſophicarum ſcientiarum, ſed ad alius generis diſciplinã, quæ principio aliqvo ſupernaturali nitatur, in qua ea propter & conſiderandum erit. At hoc pacto ſe habet creatio mundi & alia ejus generis, quibus an aquæ ſupracœleſtes ſatis benè annumerentur, dubitem9. Per aquas enim, quæ Gen. I.7. ſupra expanſum vel firmamentum eſſe dicuntur, intelligendas eſſe aquas veras & naturales, ſupra cœlum ſiderum collectas, nondum evictum eſt, cum neminem lateat, quod firmamentum in Scripturis non ſolum cœlum propriè dictum ſignificet, ſed & aërem, etiam infimum nonnunquam, notet. Ita ſanè, ut reliqua loca ſilentio prætereamus, vox ſumitur eo ipſo capite v. 20. ubi Hebræus textus ita habet: Et volatile volet ſuper terram, ſuper expanſum cœli. Super quale verò expanſum? Non ſanè ſupra cœleſtium corporum, ſed ſupra aëreum. Neqve mirum eſt, in ſcripturis ita vocabulum firmamemti accipi, cum non ſolùm vulgus totum ſpatium, quod à terra quaqua verſus ad extremam usque ſphæram pertingit, cœlum nominet, ſed & vox hæc à profanis Scriptoribus interdum tàm latè capiatur, ut non ſolùm cœlum ſtellatum denotet, ſed totum univerſum, quatenus illud & terram comprehendit, deſignet. Ita accipi aliquando vocabulum hoc docet Auctor vitæ Pythagoræ apud Photium Cod. CCXLIX: ὁ ὐρανὸς, inquit, τριχῶς λέγεται.

γίνεται· ἓν μὲν, αὕτη ἡ ἀπλανὴς σφαῖρα· δεύτερον, τὸ ἀπὸ τῆς ἀπλανοῦς σφαίρας μέχρι τῆς σελήνης διάστημα· τρίτον, ὁ σύμπας κόσμος, ὁ οὐρανὸς φημι, καὶ ἡ γῆ ἅμα, *Cœlum dicitur tribus modis, primùm, pro sphærâ non errante, secundò pro eo spatio, quod ab hâc sphærâ ad Lunam usq; porrigitur, tertiò pro mundo universo, ut cœlum unà cum terrâ comprehendat.* Quid ergò si dicamus per firmamentum c. l. aërem esse intelligendum, per superiores autem aquas, nubes & vapores, ex quibus pluvia gignitur, per inferiores deniq; maria, lacus & flumina? Inter has enim ambas aër interpositus est. Sanè huic sententiæ robur addi posset ex omnibus iis locis, in quibus Deus aquas & nubes dicitur sursum posuisse, extendere, continere, imò quibus aquæ extremæ expressè vocantur nubes, veluti Jobi XXVI. 8. Psalm. XIIX. 12. CXLVII. 8. Jerem. X. 13. Nec veteres dissentiunt. Tales enim supra cœlum aqvas esse existimant, quæ ad temperandum cœli maximeqve Solis ardorem idonei sint & jugem imbribus materiam sufficiant. Ita sentiunt Auctor Qq. ad Orthodoxos apud Justinum Resp. ad Quæst. LXXIII. Theodoret. quæst. XI. in Genes. Cyrill. Hierosol. Catechel. IX. Severianus Gabalitanus homil. II. de mundi opif. apud Chrys. tō. VII. & alii, qui videri possunt. Diducere enim hæc non est hujus loci. Stante autem istâ sententiâ, aquæ supra cœlestes satis incommodè hìc afferuntur, cum de nubibus aqueis, pluviâ &c. satis prolixè & exquisitè egerit Aristoteles in Meteorolog. libris.

CCIV. Alii ex eo capite impingunt, *quod finem, aut objectum alicujus disciplinæ*, quam tradit Arist. aut naturam horum nō satis habeant perspecta. Inde multa in eo citra jus & fas desiderant, aut ad minimum loca aliqua nō satis rectè exponunt, qvod non facerent, si παιδεία instructi essent. Placet utrumqve exemplis illustrare. Sunt qui existimant, Analyticam & Dialecticam unam esse specie facultatem, quam ideò qvoq; uno nomine Logicam appellant, cujus hinc & unum finem esse statu-

unt, nempe diſcretionem veri à falſo. Hoc enim eam potiſſimum intendere, ut modum oſtendat, quo verum inveniri & à falſo diſcerni qveat. Neque enim ipſa, inquiunt, diſcernit verum à falſo, ſed id faciunt, qui in ſcientiis ſunt occupati: modum ſolùm oſtendit, quomodo ſit diſcernendum verum à falſò, & hoc pacto intellectum noſtrum dirigit in diſcretione veri à falſò, cui in hoc negotio inſtar fili Ariadnes, aut ſtatuæ Mercurialis, quæ viatori index eſt diſcretivus veræ viæ à falsâ & captioſâ. Jam veritas propriè locum habet in operationibus intellectus noſtri, quarum tres eſſe dicunt, apprehenſionem ſimplicium, cujus ſigna ſunt termini; ſimplicium compoſitionem & diviſionem, quam exprimunt propoſitiones; & demum ratiocinationem. Inde fieri ajunt, ut in Logica, in qua diriguntur tres illæ operationes, agendum ſit principiò de terminis, hinc de propoſitionibus, & tandem de ſyllogiſmo. Cum verò hanc methodum non ſecutus fuerit Ariſtoteles, neq; omnia, qvæ illi de terminis proponunt, veluti de *ſuppoſitione*, de *ſtatu, ampliatione terminorum*, de terminis *categorematicis* & *ſyncategorematicis* &c. ipſe propoſuerit, inde partim confuſionis, partim negligentiæ cujusdam & defectus, ipſum inſimulant. At falluntur multis modis. Principiò falſum eſt, quod aſſerunt, Analyticam & Dialecticam eſſe unam ſpecie facultatem. Differunt namqve primò *genere proximo*. Dialectica enim δύναμις proprie eſt, quia æqvaliter ſe habet ad oppoſita, ut ait Ariſtoteles I. Rhet. cap: I. & explicat Alexander in I. Top: cap. I. dicens: *Dialecticus atque Rhetor ſimili modo propoſitam habent contrariorum demonſtrationem, ex quo fit, ut eas δυνάμεις appellent; quandoquidem quod verè aliquid poteſt, contraria poteſt. Non enim Dialecticus, quatenus Dialecticus eſt, hoc magis, quàm quod ei contrarium ſit, concludit. Oratoris eadem eſt ratio.* Hæc ille. Atq; hinc & Ariſtoteles ipſe Dialecticam per facultatem definit lib. Soph. cap. ult. §. 3. At Analytica

non

non æqvè ad contraria se habet. Docet enim demonstrativè procedere in rerum consideratione, demonstratio autem unam solùm oppositorum partem respicit, nempè eam, qvæ vera est. In hâc ergò significatione δύναμις non est. Deinde differunt & *genere subjecto*. Qvanquam enim utraqve occupata sit in quæstione aliquâ probandâ, quæ postea fit conclusio syllogismi, Analytici, aut Dialectici, alia tamen est ratio quæstionis Dialecticæ, quàm Analyticæ. Illa enim in ejus, ad quem dirigitur, arbitrio relinquit, quamcunq; contradictionis assumere velit partem, num affirmantem, an negantem, quâ de causâ & Philosophus rursum *Dialecticam quæstionem* dicit esse *eam, ad quã responderi potest pro lubitu, ita & non* lib. de Interp. c. XI. § 3. IIX. Top. II. §. II. Sed & I. Prior. c. I. hinc eam ἐρώτημα τῆς ἀντιφάσεως, *quæstionem contradictionis* appellat. At altera nõ liberum relinquit ei, ad quem dirigitur (hic autem discens est) quamcunqve velit eligere contradictionis partem, sed hic cogitur ponere ea, quæ videntur ipsi Doctori IIX. Top. cap. 5. §. 1. Imò nonnullæ, & quidem potissimæ, quæstiones, circa quas versatur, qualis est quæstio τί, καὶ διότι ἐστί, *quid sit & cur sit* suâ naturâ tales sunt, ut ad eas non liceat respondere, ita vel non. Absurdus enim esset & risum moveret sine dubio, si quis interrogatus, quid sit Luna, aut cur ea patiatur eclipsin, responderet, ita vel non. Unde & Alexander rursus quæstionem causæ disertè excludit à Dialectico foro. *Non*, inquit, *hæc quæstio est* τῶν διαλεγομένων, sed τῶν μαθεῖν βουλομένων, *non disputantium, sed discere volentium.* Et in IV. Top. ἐπιστημονικωτέρα ἡ ζήτησις τῆς αἰτίας, *scientifica magis est quæstio causæ.* Præterea, etiamsi contingat aliquando circa eandem quæstionem versari Analyticum & Dialecticum, differentia tamen tunc adhuc occurrit *in modo tractandi.* Dialecticus enim tractat quæstionem omnem παχυλῶς solùm, sive ut aliàs loqui solet Philosophus, τύπῳ & κατ' ἔννοιαν πολλῶν: Analytica

 autem

autem ostendit, qvomodo unaqvæqve quæstio sit tractanda ἀκριβῶς, non ad captum vulgi, sed ad intelligentiam domestici cujusqve scientiæ Auditoris. Dialecticus porrò qvæstionem probat ἐξ ἐνδόξων, ex communibus & probabilibus: Analytica autem ostendit, (neqve enim ipsa concludit qvidpiam per se, sed modū solum præscribit aliis, scientificis Doctoribus scilicet, veluti Geometræ, Physico &c. qvomodo concludere, & principia, ex qvibus concludere vult, investigare debeat) qvomodo ex domesticis & veris qvæstio probanda sit, qvomodo ea resolvenda sit in sua propria principia, & prima elementa. Ex qvo & accurata syllogismi in genere notitia Analytico necessaria est, cum Dialecticus rudi & qvalicunq; sit contentus. Quæ & causa est, qvod Aristoteles de syllogismo exqvisitè egit in Analyticâ suâ, in Dialecticâ autem solùm ὡς τύπῳ, ut visum nobis ante. Nec officit, qvod qvæ in priori Analysi de syllogismo traduntur Dialectico, usui esse possint. Id enim fit per accidens, & licet non contra institutum sit Analytici, est tamen præter illud, perinde ac præter institutum ejus, qui pileum fecit, est, si qvis eo forte ova aut cerasa referat domum & præter naturæ institutum, si qvis duritie rami, ad fructus sustentandos facti, utatur ad tectum ac tegulas sustentandas. Unde & porrò in *subjecto*, sive, ut vocant, *objecto*, inter qvæstiones Analyticas & Dialecticas discrimen aliqvod se offert. Syllogismus ἐξ ἐνδόξων enim de rebus omnibus datur, qvâ de causâ & passim Dialectica circa ens omne versari dicitur, velut III. Met. I. Lib. IV cap. II. I. Soph. c. XI, I. Post. XI. At demonstrativus non datur de omnibus. Neq; enim de principiis, qvæ, cum sint prima, ex prioribus demonstrari non possunt, possunt tamen Dialecticè confirmari lib. I. Top. c. II, IV. Met. IV. seqq. Tacemus discrimen, qvod petitum est ab *oppositis*. Dialecticæ enim opponitur Sophistica, qvæ cum dialectica qvidem ver-

satur

fatur circa eandem quæstionem, verùm non confirmat eam ex verè ἐνδόξοις, sed ex talibus potius, qvæ videntur quidem, reverà tamen non sunt ἔνδοξα, similia τοῖς λιθαργυρένοις, quæ argenti, & felle tinctis, qvæ auri speciem mentiuntur, reverà tamen argentea & aurea non sunt, lib. Soph. c. I. §. 2: aut, si aliqvando etiam verè ἐνδόξοις utitur, ex iis tamen non concludit, sed videtur solùm concludere, cum nihil minus faciat I. Top. c. I. At Analyticæ opponitur ψευδογραφική, ut Alexandro dicitur, qvæ progreditur ἐκ τῶν οἰκείων τῇ ἐπιστήμῃ λημμάτων, οὐκ ἀληθῶν, *ex propriis cujus scientiæ sumptionibus, sed falsis*. Ex his enim concludit syllogismus, qui ψευδογράφημα & paralogismus vocatur I. Top. cap. I. §. 9. lib. Soph. c. XI. Id solùm adhuc notamus, quod discrimen qvoqve & quidem cumprimis notabile, inter Dialecticam & Analyticam sit ratione *finis*, & qvidem, tàm finis *cujus*, qvàm finis *cui*. Analyticæ enim finis *cujus*, *cujus*, inquam, obtinendi aut efficiendi gratiâ, agit qvicquid agit, est scientia, & qvidem non qvævis, sed demonstrativa I. Prior. cap. I. §. 1. sive per ἀπόδειξιν, vel doctrinam, cum altero communicanda. Quâ de causâ illa & ἀποδεικτική, sive *doctrinalis scientia* vocatur. Dialecticæ autem finis cujus est opinio ἔνδοξος, relinquenda penes animum alterius circa qvæstionem aliquam I. Top. XIV. §. 8. Inter opinionem autem & scientiam multum interest, ut constat ex I. Post. XXVI. Rursus finis cui Analyticæ est auditor, qui jam est dispositus ad scientiam capiendam, & Aristoteli πεπαιδευμένος, item οἰκεῖος ἀκροατὴς audit. At Dialecticæ finis cui est auditor præparandus primùm ad scientificam veritatis cognitionem, cujus desiderio flagrat, & ob id rationem qværit, quâ denegata animus ejus exsatiari non potest. Unde & λόγου δεόμενος dicitur I. Top. XI. §. 9. I. Rhet. cap. II.

CCIV. Ex qvo unà & hoc liqvet, falsum esse, qvod

qvod illi supponebant, Logicæ unicum solum esse finem, nempe discretionem veri à falso. Dialecticæ enim hic finis non est, cum aliud sit veritas, aliud opinio, quam & veram & falsam esse contingit III. Eth. IV. Principia quoqve, ex quibus Dialecticus concludit, non sunt ita comparata, ut per illa liceat discernere verum à falso. κριτήριον enim, per quod discretio hæc facienda est, oportet immune esse ab omni deceptione, sicut regulã, quâ rectum ab obliquo exactè discerni debet, summè rectam esse necesse est. Non enim *obliquum* est *judex recti*, sed *rectum* est *judex & recti, & obliqui*, ut dicitur lib. I. de Anim. At principia Dialecticæ non sunt infallibiliter vera. ἔνδοξα enim sunt. Hæc autem, quà talia, nec vera sunt, nec falsa, quia æstimantur οὐκ ἀπὸ τῶν πραγμάτων, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ἀκουόντων καὶ τῆς τούτων ὑπολήψεως, ἃς ἔχουσι περὶ πραγμάτων, *non rebus, sed opinionibus, quas alij de rebus fovent*, ut inquit Alexander in I. Top. cap. I. Neq; est, quod quis dicat, plerumq; tamen etiam illa esse vera. Quamvis enim coincidant aliquando, aut etiam utplurimum, cum veris, non tamen ideò absolutè loquendo vera sunt, sicut aliquando in Politicis quoque coincidunt vir bonus & civis bonus, veluti in optima Republica, nec tamen ideo simpliciter idem sunt III. Polit. IV. Et quot sunt ἔνδοξα, quæ tamen absolutè vera non sunt, velut, ut alia, de quibus ante diximus, non repetamus, principium illud ab etymologiâ desumptum II. Top. VI. §. 2. Sæpè enim illud fallit, quod non ἐκ τῆς οὐσίας sit ἡ τοῦ ὀνόματος θέσις, quam rationom assignat Philoponus I. Meteor. III. Id quidem non negamus, eum, qui secundum præcepta Dialectica dubitat, præparari hoc ipso, ut tantò facilius judicare possit, quid verum, quid falsum sit, (*rectè* enim *dubitans est dispositus ad veritatem* III. Met. cap. I. Conf. I. Top. cap. II. & I. & cœl. X.) verum ob id veritas aut discretio veritatis à falsitate finis Dialecticæ nondum est dicendus. Scilicet accidit Dialecticæ, quod iis, qui metalla ef-

la effodiunt. Hi enim cum terram removent, detegunt aurum, propterea tamen non è vestigio naturam auri dignoscunt, sed aliis hoc relinqvunt, qui admoto igne illud explorant. Vide & IIX. Top. cap. XIV. Analyticæ autem notitiâ, qui instructus est, etsi novit modum discernendi verum à falso (*omnis enim* δύναμις *rationalis contrariorum est, quod ratio manifestet & rem & privationem rei, licet illam per se, hanc per accidens* IX. Met. II.) finis tamen Analyticæ discretio illa non est, sed veritas scientifica, prout ea cum altero certo modo est communicanda per doctrinam, sicut Medicus per artem Medicā discernere quidem potest sanitatem à morbo, & Musicus per artem suam dijudicare potest, sitne cantus aliquis harmonicus, an inconcinnus, finis tamen earum discretio talis non est, sed Medici quidem sanitas, sive conservanda, sive ægro restituenda, Musici autem concinnus cantus, aut potius voluptas in animis audientium per cantum talem excitanda.

CCVI. Deinde & hoc falsum est, quod supponebant illi, Logicam dirigere tres mentis nostræ operationes. Præterquam enim, quod mens & διάνοια sint facultates distinctæ, & istius propriè acceptæ una solùm sit operatio, nempe τ̃ ἀδιαιρέτων νόησις III. de An. VII. IX. Met. X. non videmus insuper, quomodo dici queat, quod νόησις hæc ab habitu aliquo qualis est Logica, dirigatur. Dirigere enim nihil aliud est, nisi præcepta dare, aut præscribere, quomodo actus aliquis sit exercendus, ut & ipse rectè se habeat, & opus inde emergens sit concinnum. Ita ædificandi actum dicimus dirigi ab Architecto, sanè non aliâ de causa, nisi quod hic præscribat operariis, quomodo ædificare debeant, ut domus producenda per actū illum justam obtineat συμμετρίαν. Jam autem nulli facultati cognoscenti præcepta dari, aut modus in operando præscribi potest, nisi quoad actus errori obnoxios. Eo enim fine, ut ipsi dicunt, præscribitur ei modus, quem in operando servare de-

bat, ne decipiatur sive à veritatis tramite aberret, sed potius id, quod verum est, unicè amplectatur. Quod si autem hoc per se, nullo monente, facultas aliqua attingat, quippe nescia in actibus suis falli, non opus erit ullâ præscriptione, aut directione. E.g. In sensuum actus non cadit deceptio. Quamvis enim nonnulli secus existiment ipsâ, ut putant, experientiâ freti, quod remus v.c. in aqua videatur esse fractus aut curvus, cum nihilominus, si fuerit extractus, integer & rectus deprehendatur, falluntur tamen ipsimet hoc ipso. Non enim sensus judicat hoc esse illud, v.c. remum, qui in aquâ videtur, esse fractum aut curvum, sed unumqvodqve simpliciter secundum formam imaginis, quæ organo imprimitur, apprehendit, eamque apprehensionem primùm phantasiæ, postea autem per illam intellectui renunciat, quod tantum est officium ejus, judicium verò an ita sit, annon, tribunali superioris facultatis relinquit. Unde rectè Augustinus lib. de verâ relig. c. XXXIII: *Si quis remum frangi in aquâ opinatur, & cum aufertur, integrari, non malum habet internuncium, sed malus est judex. Nam ille oculus internuncius pro suâ naturâ non potuit aliter in aqua sentire, nec debuit. Si enim aliud est aër, aliud aqua, justum est, ut aliter in aëre, aliter in aquâ sentiatur. Quare oculus rectè videt, ad hoc enim factus est, ut tantum videat, sed animus perversè judicat.* In sensum igitur non cadit error, sed is semper rectè apprehendit, dummodò ei objectum rectè proponatur. Neq; enim componit aliquid cum aliquo, sed simpliciter, ut dicebamus, objectum proprium apprehendit. Error autem omnis est in *compositione aut divisione* VI. Met. III. IX. Met. cap. ult. Inde ergò fit, ut nemo præscribat sensui, quomodo videre, audire &c. debeat. Id potius operam damus, ut objectum sensui debitè proponatur, ut justa sit distantia, & situs justus, & medium conveniens, & si quæ sunt id genus alia. Si enim cuncta hæc rectè se habeant, in sensu nihil amplius erit

rit, quod desiderari queat, quâ de re fusius actum lib. I. de variis sciendi modis & mediis cap. I. Jam verò mentis eadem est ratio, quæ sensuum. Nam & hæc non componit nec dividit, sed simplici νοήσει apprehendit objectum, non secus atqve visus colorem, auditus sonum &c. Unde & intelligere dicitur esse, velut τὸ ὁρᾶν III. de An. VII. & velut θιγεῖν IX: Met. ult. aut ἀκούειν I. Post. X. §. 9. Ergò nec in ipsius νόησιν cadet error, & quod hinc sequitur, directione aliquâ in cognscendo non indigebit. Tacemus, quod ne διανοίας quidem actus à Logicâ dirigi simpliciter dici possit. Circa quodnam enim objectum versabitur isthæc directio? Circa objectum, inquiunt, omnium artium & scientiarum. At hæ δυνάμεις VI. Eth. cap. III. numerantur inter habitus, quibus intellectus noster semper affirmando vel negando ex se semper verum dicit. Quid igitur attinet, aliam quandam ab his distinctam facultatem, aut habitum alium constituere, qui hosce habitus dirigat ad dicendum verum? Sed hâc ipsâ quoqve de re alibi fusius diximus, nempe Introductione in Logicam. De terminis igitur non agitur in Logicis, quatenus illi prima sunt signa, neque de propositionibus, quatenus illæ sunt secunda symbola, neque de syllogismo, quatenus is character est tertiæ mentis operationis, sed de syllogismo agitur, quatenus is est ὄργανον inserviens cùm Dialectico disputatori, tum Analytico veritatis Doctori, de propositionibus autem & terminis illic differitur, quatenus ambo sunt principia, in quæ reducitur syllogismus. Resolvitur enim hic in propositiones, propositiones verò in terminos. Rem autem & principia rei considerare ad eandem pertinent scientiam. E. g. quæ scientia considerat numerum, considerat & principia numeri, veluti unitatem: quæ orationem, considerat & principia, elementa, in quæ resolvitur oratio, vocales, inquam, & consonantes, & sic deinceps. Eatenus verò de termino differere non prætermisit Philosophus, ut videre est lib. I. Prior. c. I.

CCVII. Sed nec doctrinam de *ſuppoſitione*, quam vocant, terminorum, item de *ſtatu* & *ampliatione* neglexit, licet verbis iſtis uſus non fuerit, aut non principio ſtatim Analytices aut Dialectices eam tradiderit. Neutrum namque facere potuit citra reprehenſionem. Non poſterius. Neqve enim doctrina iſta ad principia & elementa Dialecticæ, aut Analyticæ pertinet, ſed ad eam πραγματείας utriusqve partem, in quâ de falſis agitur ſyllogiſmis. Hi enim ex ſuppoſitionum, quas vocant, confuſione ortum trahunt. Sed nec prius, quia Philoſophum non decet, res, per ſe non difficiles, obſcuris iſtiusmodi, difficilibus, & barbaris vocabulis involvere. Talia rebus nomina imponenda ſunt, quorum ſignificatio facilè adverti poſſit à quovis, vel parùm etiam perſpicaci, ut adjumento ipſi ſint ad rectè judicandum, de quo jam ſupra diximus, & paulò poſt uberius dicemus. Fecit hoc Ariſtoteles, qui eandem doctrinam, quam Scholaſtici in tractatibus ſuis de ſuppoſitione tradunt, (quanquam hi primi iſtius doctrinæ autores non ſint, neque Petrus Hiſpanus, ut communis fert ſententia. Tradidit enim eam jam Michaël Pſellus, Philoſophus Græcus, qui Conſtantinopoli vixit, circa annum Chriſti CIↃ LVII. in Synopſi ſuâ Organi Ariſtotelici lib. V. C. XXV. & XXVI.) verbis non obſcuris, ſed claris & perſpicuis propoſuit, maximam partem in Sophiſticis Elenchis. Huc enim omnium commodiſſimè eam reduci, non dubitabit, qui rem ipſam ab illis ſat obſcurè propoſitam, ſufficienter habet perſpectam. Quid namqve illis eſt ſuppoſitio? Sanè in ſtrictâ ſignificatione nihil aliud, quàm χρῆσις ὀνομάτων ἀντὶ τῶν πραγμάτων, ſive *ſubſtitutio vocis pro re ſignificatâ*. Cum enim in diſſerendo res ipſas afferre non poſſimus in medium, ſubſtituimus voces, ad eum modum, quo ſphæra in Aſtronomiâ ſufficitur pro cœlo ipſo, aut, ſicut in mercaturâ calculi ænei ſubſtituuntur in vicem nummorum aureorum, quod ſimile eſt Ariſtotelis lib. Sophiſt.

Elench.

Elench.cap.I. Illi autem latius accipiunt vocem, ut suppositio nihil aliud sit, qvam usurpatio vocis in enunciatione positâ pro aliquo. Jam fit interdum, ut aliqua vox sumatur pro *se ipsâ*, non pro significato, ut cùm dico, homo est nomen, verum enim hoc est non de re, quæ homo est, sed de voce, homo. Et hanc illi vocant suppositionem *materialem*. Aliquando autem sumitur pro *re per ipsam significatâ*, ut homo, est animal, Non enim ipsum nomen hoc, homo, est animal, sed res, quæ hoc nomine notatur. Et hanc suppositionem dicunt *formalem*. Hoc enim formale est vocum, quod sint σύμβολα, immediatè quidem τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων lib. de Int. I. §. 2. mediantibus verò his, ipsarum insuper rerum. Porrò res, quam vox aliqva significat, aut *singularis* est, qvæ hic non attenditur, aut *universalis*, qvæ rursus duobus modis considerari potest. Vel enim consideratur *in se*, ut est talis aliqva natura, quæ pluribus est communis, qvomodo vox hominis sumitur, cum dico, homo est animal. Vel consideratur, *ut est universalis*, sive ut est in multis, qvæ sub ipso universali continentur, ut cum dico, homo est species. Posteriori modo cum accipitur, vocatur suppositio *simplex*; cum priori, nominatur suppositio *personalis*. Potest autem prius illud rursus duobus contingere modis. Vel enim res illa universalis accipitur, ut est *in singulis*, eiqve, si subjecti vicem teneat, præfigitur nota universalitatis acceptâ *distributivè*, ut cum dico: Omnis homo est animal, & hæc illis dicitur suppositio *universalis*, sive *distributiva*: vel prout est in *omnibus simul sumtis*, eiq; præfigitur qvidem itidem nota universalitatis, sed *collectivè* accepta; ut omnes planetæ sunt septẽ, omnia elementa sunt qvatuor, quam vocant suppositionem *copulativam*. Hæc suppositionum genera cum confunduntur in præmissis, oriuntur fallaces syllogismi, veluti, cum in alterâ vox supponitur materialiter, in altera formaliter, qvod fit in hoc syllogismo: Animal est generis neutrius. Homo est ani-

mal, E. homo est generis neutrius. In majore enim animal supponitur materialiter pro ipsa voce hâc, animal, in minore autem formaliter pro re, qvæ dicitur animal. Aut cum in una præmissarum vox supponitur simpliciter, in alterâ personaliter, ut in hoc syllogismo: Animal est genus. Homo est animal. E. Aut deniqve cum in una supponitur *distributivè*, in altera *collectivè:* ut, omne animal est terrestre, aqvatile & *ἀμφοτερίζων*. Omnis homo est animal. E. Hæc illi.

CCVI. Cuncta hæc, si rem spectemus, non adeò malè se habent. Sed cur citra necessitatem ea, in se satis clara, obscuris, qvin & minus appositis, nominibus involvunt? Minus congruum est, qvod suppositionē dicunt, cum vox aliqva sumitur pro se ipsâ. Idem n. convenienter in sui ipsius vicem substitui aut supponi dici non potest. Cicero IV. de finibus reprehendit Stoicos, qvod *bona* non bona, sed *producta*, *proposita*, *præcipua*; *mala* verò *rejectanea*; *expetere*, *legere*; *sumere*, *optare*; *fugere*, *secernere*, appellârint. Longè majorem reprehensionem merētur Scholastici, qvod neglectis claris, qvæ jam tum rebus imposita sunt, nominibus, his alia inusitata, imò & barbara planè, substituant. Longè rectius progressus est Aristoteles, qvi falsos istos syllogismos ad vulgaria sophismata reduxit. Ad hæc enim reducenda esse ipse statim in principio libri de Sophist. Elench. indicat, dicens, fallacias sive sophismata non pauca *ex eo* derivari, *qvod nomina pro rebus substituantur, & nos arbitremur rebus ipsis accidere, quod accidit nominibus.* Et sanè res ipsa testatur, qvod omnes isti syllogismi, qvi num: antecedente addūcti sunt, satis commodè ex doctrinâ de Soph. Elench. solvi possint. Veluti ille: Animal est generis neutrius, Homo est animal, E. reducitur ad fallaciam *accidentis*. Per accidens enim vox animal, qvatenus vox est, cum homine cohæret. Eodem pertinet & alter ille: Animal est genus, homo est animal. E. Homo enim non est ipsum simpliciter animal, sed ani-

mal qvoddam,cum qvo per accidens cohæret ratio generis. Unde & Philosophus II. Top. cap. III. §. 3. *triangulo æquilatero accidere* ait τριγώνῳ εἶναι. Michaël Psellus l.c.cap.XXVI.syllogismos, in qvibus suppositio simplex cum personali confunditur, reducit ad σόφισμα τοῦ σχήματος τῆς λέξεως, *figuræ dictionis*. Ὅταν inqvit, ἔχει τὸ σχῆμα τῆς λέξεως τοῦ προϊέναι ἐξ ἁπλῆς ὑποθέσεως εἰς περιστατικὴν εἰς τὸ πρόσωπον, *committitur fallacia figuræ dictionis cùm à simplici suppositione proceditur ad personalem, in personam.* Tertius autem syllogismus : Omne animal est terrestre, aqvatile & ἀμφοτερίζων. Omnis homo est animal. E. incidit in fallaciam *compositionis* & *divisionis*. Τὸ omne enim collectivè sumptum semper pars est, sive prædicati, sive subjecti, qvod ipsum non obscurè indicat Aristoteles lib. de Interp. c.VII. & fusius explicat Amm. in comm. Cùm ergò in syllogismo subjecto aut prædicato unius propositionis additur, cum eo in altera propositione, est repetendum. Id nisi fiat, committitur fallacia prædicta, & qvatuor in syllogismo oriuntur termini: ut, Omnes planetæ sunt septem. Mercurius est planeta. Ergò Mercurius est septem. Subsumendum enim erat: Mercurius est omnis planeta, qvod falsum. Hæc v. solutio magis perspicua est, qvàm si dicatur, in majore τὸ omne supponi suppositione distributivâ pro generibus singulorum, cum putetur supponi distributione pro singulis generum. Paucis ex sumptione & significatione vocabulorum diligenter consideratâ talia longè rectius dijudicantur, quàm ex obscuris istis terminis Summulistarum.

CCVII. Idem judicium ferendum est de *statu* & *ampliatione*. Dicunt illi *statum*, qvando subjectum propositionis accipitur secundum illud tempus, qvod per verbum aut copulam significatur, ut cum dico, Petrus fuit Apostolus Christi, sensus est, is, qui olim fuit Petrus, fuit Apostolus Christi. *Ampliationem* autem vocant, qvando subjectum propositionis

non

non accipitur ſecundum illud tempus, quod per verbum aut copulam denotatur, ut in his: Meretrix hæc fuit virgo; Puer hic erit aliqvando ſenex. In priori enim propoſitione copula exprimit tempus præteritum, in poſteriori futurum, ſubjectum autem utrobiqve ſumitur cum connotatione præſentis temporis, ut iſtius qvidem hic ſenſus ſit: Hæc, qvæ nunc eſt meretrix, ante fuit virgo; hujus autem: Hic, qvi nunc eſt puer, erit aliqvando ſenex. Qvando igitur in ſyllogiſmo ſtatus cum ampliatione confunditur, tum naſcitur inde iterum vitioſus ſyllogiſmus. Qvalis eſt hic: Qvicunqve ſurgit, ſtat, Socrates ſedens ſurgit. E. Socrates ſedens ſtat. Falſus, inqvam, eſt hic ſyllogiſmus, cujus rationem Summuliſtæ hanc eſſe dicunt, qvia minor intelligitur ſecundum ampliationem, hoc ſenſu: Socrates, qvi ſedit ante, ſurgit, concluſio autem ſecundum ſtatum h. m. Socrates, qvi adhuc ſedet, ſtat. At longè melius Ariſtoteles, qvi & tales ſyllogiſmos reducit ad fallaciam *compoſitionis* & *diviſionis*. Nimis enim clarum eſt, qvod hîc ſenſus compoſitus cum diviſo confundatur; nec non ad fallaciam *æqvivocationis*: nam & hoc ſatis perſpicuum eſt, qvod participium activum, ſi cum verbo alio jungatur, duplicem obtineat ſignificationem, & modò ſumatur de tempore præterito, modò de præſenti, veluti in hâc propoſitione: Ægrotans convaluit, participium ſumitur de tempore præterito, hoc ſenſu, is, qvi ægrotabat ante, cōvaluit. At in hâc: Ægrotans decumbit, ſumitur de tempore præſenti, pro eo, qvi actu ipſo ægrotat. Inde ergò fit, ut iſtiusmodi propoſitiones duplicem habeant ſignificationem, & ſic deceptiones, qvæ ex confuſione ſignificationum harum oriuntur, rectè ad σοφίσματα æqvivocationis revocentur. Vid. Ariſt. ipſe Soph. Elench. c. IV. §. 3. & 6.

CCX. Sed è diverticulo in viam redeamus. Ex eodem capite, qvod de fine Logices non rectè judicant, qvi finem

nem illum discretionem veri à falso esse dicunt, provenit & hoc, quod mentem Aristotelis, hunc vel illum locum exponentes, non rarò pervertant, veluti, quod λόγον in definitione non orationem, sed rationem, vertant, omninò præter Philosophi intentionem. Λόγος enim mentalis (Aristoteles eum vocat λόγον ἔσω 1.Post.X.§.8.) nonnisi æquivocè & cum addito λόγος est, nempe λόγος mentalis aut διανοητικὸς, sicut malleus mentalis h.e. mente abumbratus, propriè malleus non est, sed ferreus, qui in sensus incurrit. Genus a. debet proprium esse, & non æquivocum IV.Top.c.III. Deinde ex mente Aristotelis Analytica & Dialectica, quas illi uno nomine Logicā appellant, non sunt artes πρακτικαὶ, sed λογικαὶ, quas Ammonius in Categ. ait, ideò vocari Logicas, qvod negotium suum ad exitum perducere aut finem suum assequi aliter non possint, nisi ope solius lingvæ & sermonis, aut si quid lingvæ loco esse potest. Obtinent autem finem suum mediante syllogismo. Necesse ergò est, ut Syllogismus consistat in προφορικῷ λόγῳ. Quò accedit, quod Aristoteles totius syllogisticæ doctrinæ fundamentum ponat τὸ κατὰ παντὸς κατηγορεῖσθαι, quod quidem valde torqveri oportet, si λόγῳ interno debeat aptari. Quid enim aliud est κατηγορεῖσθαι, quàm affirmari de aliqvo? At affirmatio omnis fit voce. Neqvè dubium est, quin Aristoteles eundem syllogismum, quem initio Prior. definivit, postea excusserit ejusque πάθη explicârit. At tota disputatio sectionis tertiæ lib. 1. quæ est de analysi syllogismi, est syllogismi ore prolati. Quomodo enim ad διανοητικὸν accommodaveris, quæ de vitiosâ expositione terminorum, de terminis concretis & abstractis, compositis item & obliquis, deniqve de variis κατηγορεῖσθαι generibus, ut & de commutatione orationum & nominum ibi disputantur? Quomodo & cætera illa, de quibus liber secundus differit, de petitione τοῦ ἐν ἀρχῇ, de interrogatione, responsione, redargutione &c? Taceo, quod Alexander tàm in Prioribus, quàm in

Topicis explicans definitionem syllogismi, dicat, eum suo genere, sive τῷ λόγῳ, συνωνύμως convenire cum διηγήσει, δημηγορίᾳ, ἐρωτήσει, κλήσει, à qvibus additis postea differentiis distinguatur. Tacemus item, qvod & Gellius definitionem syllogismi Aristoteleam latinitate donans λόγον reddiderit *orationem* lib. XV. c. XXVI. & alia in libris nostris de Syllogismo uberius diducta. Deniqve iis qvoqve, quæ de genuino Analyticæ & Dialecticæ fine ex sententiâ Aristotelis supra dicta sunt, satis perspicuum est λόγον non posse aliter in definitione syllogismi verti, quàm per orationem. Considerat enim syllogismum, tàm in Analyticis quàm in Topicis ut organon, inserviens cum scientifico Doctori, tum Dialectico disputatori ad obtinendum finem. Jam instrumenta definiuntur χρήσει sive usu, quem præstant ei, cuius sunt instrumenta, quo is potiatur fine suo. Eum si conferre non possunt, non sunt instrumenta, nisi æqvivocè & πρὸς τῆς συνθήκης, *cum addito*, ut penna, qvæ inepta est ad scribendum, & penicillum, qvod inhabile est ad pingendum, indigna sunt, qvæ his nominibus appellitentur. At Syllogismo διανοητικῷ neqve Analyticus doctior neqve Dialecticus finem suum, quem Aristoteles eis præstituit, consequi possunt. Etiamsi enim vel mille syllogismos animo & cogitatione suâ forment, tamen nec ille scientiam alteri hac ratione tradet, neqve hic opinionem suam alteri probabilem reddet, nisi syllogismum illi in orationem transferantur. Non mirum autem, illos aliter sentire, cùm longè alium finem Logicæ præstituant, discretionem scilicet veri à falso, quem Syllogismo dianoëtico obtineri posse nemo facilè negaverit?

CCXI. Et hæc ipsa qvoqve causa est, qvod iisdem vox τεθέντων malè à nonnullis reddita dicatur per, *concessis*. Sic enim A. Gellius hanc vocem est interpretatus c. l. qvippe qvi pro uno Græco verbo, τεθέντων, duo Latina substi-

tuit

tuit illudqve expoſuit, *conſenſis & conceſſis*, qvam interpretationem eo tempore in Academiâ Athenienſi, ubi ipſe eruditus fuit, omninò veriſimile eſt fuiſſe receptam. Boëthius qvoq; lib. II. de Syllogiſm. Categor. c. VII. non aliter vocem hanc exponit. *Ut* enim *Syllogiſmus*, inqvit, *fiat, ante aliqvid à proponente dicitur, qvod audiens concedat, quod ſi ille conceeſſerit, concludit & perficit Syllogiſmum.* Nec diſſentiunt Græci, Alexander Philoponus & alii, qvi diſertè dicunt τὸ τεθέντων poſitum eſſe ἀντὶ τοῦ, ὁμολογηθέντων, qvanqvam & aliam expoſitionem adducant, ut notabimus infra. Et ſanè dubium non eſt, qvin apud Ariſtotelem vox τίθεσθαι ſæpè idem ſignificet, qvod *concedi*. Veluti lib. I. Top. c. X. §. 1. ubi docet, non omnem propoſitionem, neqve omne problema pro dialectico haberi debere. *Nemo* enim, ait, *mentis compos, propoſitionis* aut principii *loco ſumit, quod nemini videtur*, v. c. homines propter virtutem puniendos eſſe; *nec quæſtionis aut problematis loco ponet, qvod videtur omnibus aut plerisq́;, quoniam hæc dubitatione carent*, τὰ δ' οὐδεὶς ἂν θείη *illâ verò nemo conceſſerit*. Eodem ſenſu non ſemel, ſed iterum iterumqve vocem hanc ſumit etiam IIX. Topic. & alibi. Deniq; quadrat hæc expoſitio quoqve quàm optime ad finem Analytices & Dialectices, quem hiſce facultatibus autores illi cum Ariſtotele adjudicant. Nam & is, qui docere vult, concludit ex iis, quæ à diſcente conceduntur. Ex qvo & principia aliqva, ex quibus Doctor Analyticus infert, αἰτήματα, *poſtulata* vocantur, quia ille à diſcente poſtulat, ut ea ſibi concedat, ſuo loco demonſtranda, I. Poſt. X. §. 7. 8. De Dialectico autem nimis apertum eſt, quod ex conceſſis argumentetur. Tota enim Dialectica facultas eſt πρὸς ἕτερον IIX. Topic. cap. I. §. 1. At alteri fini, quem Logicæ præſtituunt, expoſitio hæc vocis minus congruit. Quis ergò miraretur, quod illi eam rejiciant? Quin & de aliis non paucis ad Logicam pertinentibus minus rectè

 judicant,

judicant, veluti de scopo Categoriarum, quem existimant hunc esse, explicare νοήματα sive notiones primas simplices & id genus alia, cùm tamen Logica juxta Aristotelem non circa νοήματα, sed ὀνόματα potius versetur, ut in Tract. de Arbore Porphyrianâ dedimus demonstratum.

CCXII. Quid porrò dicemus de Practicâ Philosophiâ? Quoties enim & hîc contingit mentem Philosophi ab aliis depravari ex ea causa, qvod de fine, qvem in singulis ad Philosophiam hanc pertinentibus scriptis sibi præfixum habuit, minus dextrum judicium ferant? Sunt non pauci, qui dictam Philosophiam pro unâ facultate venditent, cujus finis sit summum Bonum, per cujus diversâ consideratione, quam triplicem esse volunt Aristotelem tres quoqve Philosophiæ Practicæ partes constituisse affirmant, videlicet *Ethicam*, *Politicam* & *Oëconomicam*. Considerari enim, inquiunt, summum Bonum potest vel *in abstracto*, prout indifferenter se habet ad statum solitarium, civilem & domesticum, & hoc modo dicunt expendi illud in *Ethicis*: vel quatenus restrictum est ad statum *civilem*, & sic tractationem ejus sibi vendicare *Politicam*: vel deniqve, quatenus applicari potest ad statum domesticum, & sic ad *Oëconomicam* pertinere ejus considerationem. Hâc sententiâ autem positâ, non pauca ab Aristotele malè, aut non suo loco, posita jure videbuntur, sed & quam plurima non satis poterunt explicari. Veluti, qvo jure ipse dicat summi boni considerationem ad Politicam pertinere, ab Oëconomica distinctam I. Ethic. cap. I. si illud non solùm Politica, sed Oeconomica qvoqve expendit. Item, ut cætera silentio prætereamus, qu d per virtutem perfectam intelligat in definitione illius I. Ethic. VII. Equidem Aristoteles ipse id satis explicuit. Cùm enim facultas animæ rationalis sit duplex, alia, qvæ rationem habet, ut λογιστική, quæ propria est hominis, cujus hîc ratio habetur, cùm inquiratur in S. B. homini, quà homo est

est, conveniens; alia, qvæ rationem habenti obtemperat, nempè appetitus I. Ethic. c. ult., summum bonum collocat in operatione secundum virtutem perfectam utriusqve facultatis. Perfecta autem virtus, appetitûs ratione, est justitia, non quidem ea, qvæ particularis dicitur, sed quæ ἄθροισμα est seu collectio omnium virtutum. Hanc enim virtutem perfectam disertè vocat V. Ethic. c. I. & lib. II. Eud. c. I. apertè virtutis perfectæ nomine in definitione summi boni ὅλην, id est, virtutem universam, quæ omnes virtutes ambitu suo complectatur, intelligendam esse dicit, non verò μόρια, seu partes, quia sint imperfectæ. Perfecta autem virtus facultatis λογιστικῆς sive βουλευτικῆς, *deliberativa*, est prudentia, ut patet ex VI. Ethic. Juxta Aristotelem ergò S. B. erit operatio animæ rationalis secundum justitiam universalem & prudentiam. At illi, qui statuunt S. B. in Ethicis considerari, ut abstractum est à statu solitario, domestico & civili, hanc explicationem admittere, stante suâ hypothesi, non possunt. Secundum omnes enim virtutes in qvovis statu vivere non licet, velut in sta u solitario. Quomodo enim in eo statu degens justitiam exercere potest, quæ in contractibus, distributione præmiorum, impositione onerum, & similibus est occupata, quæ cuncta in statu solitario locum non habent? qvomodo secundum magnanimitatem, qvæ circa honores versatur, cùm nullus sit præsto, qui deferat honores? quomodo mansuetum, modestum, verecundum se erga alios præbere? Imò ne temperanter quidem vivere potest. Ex necessitate enim à voluptatibus corporis immodicis abstinere cogitur, quod non est temperantis, cui opus est licentiâ & facultate X. Ethic. IIV. Aliter ergò virtutem perfectam accipiunt, nempe virtus perfecta ipsis qvævis virtus est, in excellenti gradu, quæ expositio tamen longissimè abit ab Aristotelis mente. Sed nec per *vitam perfectam*, cujus in definitione prædictâ fit mentio, id intelligere possunt, qvod A-

ristoteles intellexit. Illi enim vita perfecta non solùm perfectam ætatem, qualis est viri, sed & longitudinem vitæ complectitur, ut apparet ex lib.I.M.M.c.IV: quin non hanc solùm, sed & αὐτάρκειαν, ita ut significetur vita, quæ, quantum satis est, sit instructa bonis corporis & externis. Perfectum enim est, quod omnibus partibus suis constat. Illa autem bona, quæ modò recensui, dicebantur à veteribus Philosophis partes vitæ. Velut Euryphamus Pythagoreus in libro de vita: Βίῳ δὲ μέρεα, τά τε σώματος ἀγαθὰ καὶ τὰ τῶν χρημάτων, καὶ τὰ τᾶς δόξας, καὶ τὰ τῶν φίλων *Vitæ partes sunt corporis bona, opes, amici, gloria.* Ibidem facit duo genera perfectorum hominum, unum κατὰ φύσιν, alterum κατὰ βίον. Et eos quidem, qui virtutem colunt, etiamsi externis bonis careant, naturâ perfectos esse dicit. Hos autem eos esse, qui non solum ex virtute vivunt, sed & instructi sunt illis, quæ modò enumeravimus, bonis, atque hos demum statuit esse felices. In quo consentientem sibi per omnia habet & Hippodamum, itidem Pythagoreum, in lib. de Beatitud. Requiri autem hæc bona ad summum bonum ab Aristotele quoqve satis apparet ex VII. Polit. cap.I. & I.Eud.II. Testaturqve idem de illo & Diogenes Laërtius in vita ejus lib. V. At qvî cunctis hisce bonis quis instructus esse potest in unoquoque statu, cumprimis solitario? Intempestivè ergò adducta essent, quæcunque de hisce bonis in I.Ethic. de fortitudine, liberalitate, urbanitate, veritate, lib. III. & IV. de justitiâ cum universali, tum particulari lib. V. de prudentia civili & legislatoriâ lib. VI. de amicitiâ lib. VII. & IIX. ab Aristotele fuerunt proposita. Hæc enim cuncta non possunt abstrahi à statu solitario, civili & domestico, sed in solo civili statu propriè locum habent. Id ne tanto Philosopho injustè impingamus, necesse est, ut dicamus, hypothesin illorum de scopo, quem Aristoteles in Philosophiæ Practicæ partibus intendat, esse falsam. Qvod quidem verissimum

esse

esse multis ostendi posset, si id propositum haberemus. Nunc paucula delibasse suffecerit. Totum enim sicco pede prætererire non possumus, cum apprimè necessarium sit ad Aristotelem intelligendum.

CCXIII. Principio, si summum bonum considerari potest non solùm, ut restrictum est ad statum civilem & domesticum, sed & abstractè, prout indifferenter se habet ad utrumque hunc, & præterea ad solitarium statum, quid obest, quo minus etiam considerari queat uti restrictum est ad statum solitarium? At sic non tres solùm, sed quatuor essent partes Philosophiæ Practicæ. Deinde si tot modis S. B. consideratur in Philosophia Practica, quomodo ea una specie disciplina dici potest, quod tamen volunt illi? Diversa enim consideratio licet unius ejusdemqve rei diversas parit disciplinas invicem distinctas, quod ipsum manifestum est inductione. Ita quamvis linea & corpus non solùm à Mathematico, sed & à Physico considerentur, nihilominus diversæ specie disciplinæ esse non desinunt, quod aliter ea à Mathematico, aliter à Physico spectentur. Similiter licet de affectibus agant & Rhetor & Physicus & Ethicus & Medicus, manent tamen hæ diversæ specie facultates & disciplinæ, quod modus considerandi, qui formale est objecti, quo scientiæ inter se distingvuntur, sit diversus. Tertiò ex tota tractatione librorum Ethicorum nimis manifestum est, summum bonum ibi considerari, ut restrictum est ad societatem civilem. Agitur enim illic de summo bono hominis, quod homini competit, *quatenus homo* est I. Ethic. VII. Jam homo, quatenus homo, est animal civile, qvod constat ex I. Hist. c. I. ubi Philosophus animalium genera distingvit. *Alia quidem*, inqvit, *per naturam suam vivunt vitam solitariam*, ut multa ex qvadrupedibus & piscibus rapacia: alia *gregatilem*, ut qvæ simul natant, volitant, ambulant eo fine, ut victum in eodem loco qværant & sumant, ut grues &

oves

oves: alia civilem, qvæ partito labore comparant ea, qvæ ad vivendum & benè vivẽdum communiter omnibus sunt necessaria, qvalia sunt v. gr. apes, ex quibus qvædam flores exsugunt & mel conficiunt; qvædam aqvam apportant, qvædam ex cerâ domicilia exstruunt, omnia in eum finem, ut conjunctâ & partitâ operâ ea comparent, qvæ ad benè vivendum omnibus necessaria sunt, qvod à singulis fieri non potuisset. Quod si v. hæc indoles est animalium civilium, multò magis homo per naturam civile animal dicendus erit. Hic enim maximè naturali appetitu incitatur, ut cum sui similibus in magnâ degat societate, quò cuncta illa, quæ ad benè beatéque vivendum ipsi sunt necessaria, qvæq; ab uno comparari & defendi neqveunt, consеqvatur, & sic omnium habeat sufficientiam. Et hæc causa est, cur natura homini non solùm simplicẽ vocem, ut cæteris animalibus, sed & sermonẽ tribuerit, qvẽ aliis animalibus negavit. Natura n. nihil facit frustra. Sermonis a. usus ferè nullus est, nisi in *communitate & conversatione*, I. Polit. c. II. Atq; hinc passim Aristoteles hominem dicit naturâ esse animal civile, velut I. Ethic. VII. ubi hæc habet: Ἐπειδὴ φύσει πολιτικὸν ἄνθρωπος. Et IX. Ethic. c. IX. ubi sic scribit: Πολιτικὸν ὁ ἄνθρωπος καὶ συζῆν πεφυκός. Inprimis a. notabilis est locus I. Polit. c. II. ubi hoc pluribus probat, & tandem concludit, hominem, qvi aversatur aliorum hominum societatem, *aut Deum esse, aut bestiam.* ἄπολις, inqvit, ἢ θηρίον, ἢ θεός. Bestia qvidem est, si fugiat aliorum commercium ob animi rusticitatem, quomodo consveverunt bestiæ. Deus autem, si animæ magnitudine præditus secedat & speculativæ vitæ deditus seorsum vivat. Talis enim divinam degit vitam, eoqve Deo qvàm maximè similis redditur. Qvod si autem homo naturâ est animal civile, necesse utiqve est, ut hominis qvoqve bonum summum, qvod ipsi, quatenus homo est, competit, sit civile. Atqve hinc Aristoteles disertè idem esse dicit bonum *singulorum*

lorum hominum, quà hominum, & *totius civitatis*. I. Ethic. c. I. & lib. VII. Polit. c. XV. Qvod si autem S. B. naturâ suâ civile bonum est, quomodo abstractè, citra respectum ad societatem civilem considerari potest? scilicet id ex eorum numero est, quæ contradictionem involvunt. Ad Politicam ergò omninò pertinebit contemplatio summi Boni Practici, quod dicebat Aristoteles loco §. antec. ex I. Ethic. I. citato, ubi & argumentis satis urgentibus id probat, & qvod hinc sequitur, Ethica pars erit πραγματείας Politicæ, quæ unà cum Politicâ in specie sic dictâ, quam Aristoteles in IIX. Polit. libris tradidit, unam eandemqve specie constituet disciplinam. Qvod satis clarè rursus ipse docet non in uno, sed pluribus locis, veluti in I. Eth. cap. I. ubi hæc habet verba: Ἡ μὲν οὖν μέθοδος πολιτική τις οὖσα τούτων ἐφίεται, *Methodus hæc nobis proposita* (in Ethicis) *est civilis quædam methodus*. Et lib. I. M. M. cap. I. ubi δόξειεν inquit, οὐκ ἄλλης ἢ τῆς πολιτικῆς εἶναι μέρος, πραγματεία, *de moribus non videtur alterius scientiæ pars esse, quàm civilis*. Deniqve X. Eth. cap. ult. quo loco Ethicos libros cum Politicis speciatim sic dictis connectit, dicitqve se in seqq. (Politicis) *de legibus ferendis & in universum de Politiâ acturum, ut quantum possibile, tota Philosophia, quæ circa humana versatur, perficiatur*. Oeconomica autem peculiaris & à Politica Specie diversa disciplina Practica est, quippe distincta ab ea cùm objecto, tùm fine, ut colligitur ex I. Polit. I. & VII. & lib. Oec. cap. I. Qvod cùm fusius in Introductione nostrâ in Philosophiam moralem sit deductum nolumus in eo confirmando & illustrando hîc esse copiosiores. Ex dictis interim facilè quivis colligere potest, quis sit scopus, qvem Aristoteles sibi in Ethicis habet præfixum. Prima enim hæc Politices pars est, cujus consilium aliud non est, quàm instituere & formare optimam civitatem optimamqve rempublicam. In prima autem Politices parte, de qvo agendum sit, neminem fugere potest, qui consideraverit, qvod

Politica facultas activa sit, actio verò omnis finem spectet, inqve eum dirigatur, adeò ut hic jure primum rerum agendarum principium & causa actionum omnium habeatnr, & consequenter meritò in quâvis disciplinâ activâ ab hoc initium ducatur. Methodus enim omnis, quæ habet principia, ex principiis deduci debet I. Phys. I. Jam civilis facultatis finis est felicitas. De hâc igitur, ut finis & principium ea est civilis scientiæ, deqve iis, quæ ad naturam ejus plenè cognoscendam spectant in Ethicis egit Philosophus. Unde & Elementa Politices libros Ethicos vocat IV. Polit. XI. Conf. VII. Polit. c. XIII. Eo fine autem declarato deinceps in Politicis Rempublicam, huic fini instituit accommodare.

CCXIV. Ex his constat, quomodo quidam minus dextrè ex ignorantia finis de methodo, quàm Aristoteles observat in Philosophia effectivâ & activâ, judicent. Nunc quomodo idem ex ignoratione objecti in Philosophia Theoretica fiat, videamus. Multi statuunt objectum *Physices* esse res *generabiles* & *corruptibiles*. Hi non possunt, qvin Aristotelem reprehendant, qvod in Physicis egerit de cœlo. Qvamvis enim hoc excusare nitantur dicentes eum non egisse de cœlo tanquam de specie aliqua subjecti scientiæ naturalis; sed solum quatenus est principium movens rerum corruptibilium, parum tamen id congruit menti Aristotelis, qvi passim indicat, Physicam versari circa omnem substantiam mobilem, sive ea sempiterna sit, & incorruptibilis, ut cœlum, sive corruptibilis, ut quæ per naturam sunt generabiles, veluti XII. Met. c. I. I. Part. An. V. II. Phys. cap. VII. t. 71. Modus qvoqve tractandi, qvem Philosophus usurpat in libris de cœlo, eos perspicuè refellit. Nimis namqve clarum est, Aristotelem in libb. de cœlo non tantùm agere de cœlo, ut est principium horum inferiorum, sed absolutè qvoqve, h. e. secundum ipsius propriam essentiam illud considerare. Demonstrat enim naturam cœli

diver-

diversam esse à natura elementorum, eamqve ingenerabilem & incorruptibilem. De motu quoqve cœli proprio, circulari scilicet, fusè differit, qui utiqve cœlo non est accidentalis, sed essentialis, itemque de figura ejus & aliis, quæ per se cœlo insunt. Hodiè communiter existimant, objectum Physices esse *corpus naturale*. Sed & hi vix possunt, quin in modo tractandi Aristotelis aliquid desiderent. Juxta Aristotelem enim non omne, quod principium motûs in se habet, est corpus naturale, velut animalia, plantæ, non sunt propriè dicendo corpora naturalia, utut in se habent principium motus, sed rectius dicuntur habere corpora, quæ sunt pars illarum rerum (sicut patet ex lib.I. de cœlo cap.I.t.I. & III. de cœlo cap.I.t.I.) & quidem non præcipua, cùm præter corpus & animâ gaudeant, quæ ipso corpore longè est nobilior eoqve velut organo utitur, à deteriori autem parte denominationem nancisci compositum, verisimile non est, præsertim cùm corpus rationem materiæ in his habeat: à materiâ autem res dicitur quidem παρωνύμως talis, sed nunquam συνωνύμως id esse, quod est materia, velut limen non rectè dicitur lapis, sed lapideum, nec arca lignum, sed lignea, VII.Met.VII.IX,VII. Ex quo capite Aristoteles negat corpus esse genus animalis, quia scilicet sit pars ejus, IV.Topic.c.V.§.6. De his ergò, stante hypothesi illorum, de animalibus, inquam, plantis, de homine item & similibus quo jure Aristoteles tractavit in Physicis? Neqve enim principia sunt, neque partes, neqve species, neqve affectiones corporis naturalis per se. At unum ex his necessariò forent, siquidem corpus naturale esset πρῶτον ὑποκείμενον naturalis scientiæ, ut colligitur ex I.Post.c.XXIIX.§.I. Neqve est quod dicant, esse omninò species corporis naturalis: corporis namq; vocem hîc latius sumi pro eo, quod constat ex materia & forma. Aristoteles enim ita voce non utitur, nec commodè sic uti potuit, cum non in cujusvis arbitrio positum sit indere vo-

cibus, qualem velit, significationem. Valent vocabula sicut nummi, quibus autoritas publica dat valorem. Usu autem trito id, qvod ex materia & forma constat, in Physicis dicitur non corpus, sed σύνολον vel compositum, cujus una pars vocatur forma, altera autem materiæ rationem habens dicitur corpus. Quæ & causa est, cur corpora mortua, formâ licet jam destituta, hoc nomine adhuc appellentur. Longè melius ergò est cum Aristotele ex VI. Met. cap. I. objectum Physices constituere substantiam mobilem. Ad hanc enim omnia reduci possunt, quæ in Physicis ab eo considerantur. Nempe quædam ad illam referuntur, ut *principia*, velut materia & forma; quædam ut *propria πάθη*, ut esse in loco, in tempore, quædam ut *species*, ut elementa, meteora, animalia, plantæ; quædam ut *partes*, ut caput, thorax, pedes, quæ sunt animalium partes, & sic porrò.

CCXV. De Metaphysicæ objecto itidem non idem sentiunt omnes. Sunt enim, qui objectum ejus constituunt ens prædicamentale, quod hoc solum habeat principia causas & πάθη. Ast hi itidem multa in τρόπῳ ἐπιστήμης, quem in Metaphysica sua adhibet Aristoteles desiderare cogentur. Si enim solum ens prædicamentale est objectum Metaphysices, qui ex professo de Deo ibi disserunt in XII. Met. cùm Deus φυσικῶς consideratus non solùm secundum ipsos, sed & secundum Aristotelem sit extra omne prædicamentum? De situ è contrario, itemqve de actione, passione, quando, ubi, nihil quicquam proponit, cùm tamen hæc certa sint genera prædicamentorum, lib. Categ. c. V. I. Topic. IX. Quorsum & prolixa illa de primis principiis axiomaticis, de uno, de potentiâ & actu, de eodem & diverso, & aliis, quæ ad sola entia prædicamentalia referri non possunt? Ut reliqva taceamus. Alii dicunt, objectum Metaphysices esse *ens quà ens*, id est, ut ipsi exponunt, ens in universali. Hoc enim solum venire sub considе-

ſiderationem iſtius diſciplinæ, ideoqve malè feciſſe Ariſtotelem, quod de Deo, quippe qui non univerſale, ſed ſingulare ens eſt, in Metaphyſicâ ſuâ tractarit. Verùm ita non judicarent illi, ſi naturam objecti Metaphyſices rectè haberent perſpectam. Equidem ipſe Ariſtoteles objectum Metaphyſices conſtituit ens quà ens eſt IV. Met. I. at jam pridem monuimus, particulas has, quà, quatenus & ſimiles aliam habere rationem in iis, quæ dicuntur καθ' ἓν, aliam in iis, quæ dicuntur πρὸς ἓν. Ut enim in illis ſignificat communem naturam ex æqvo pluribus communem; ita in his denotare ea, in quæ commune illud immediatè fertur, ſignificata, πρώτως tamen καὶ κυρίως id, qvod in iſto genere eſt primum. Hoc enim abſolutè tale eſt, cùm cætera ſint talia ſolùm cum addito, ut bonum quà bonum abſolutè eſt ipſum ſummum bonum, quod & αὐταγαθὸν, item τὸ ἀγαθὸν dicitur. Ex qvo ſeqvitur, ens, quà ens, primò & abſolutè ſignificare ipſum primum ens: at hoc Deus eſt. Si ergò Metaphyſica ens qvà ens conſiderat, absqve dubio ea & Deum conſiderabit, & quidem primò & maximè. Quod & faceret, etiamſi ens eſſet commune καθ' ἓν & generis propriè dicti rationem haberet. Ejusdem enim ſcientiæ eſt conſiderare genus & potiſſimam ejus ſpeciem. E. gr. eadem ſcientia conſiderat ſyllogiſmum in genere & demonſtrationem, quæ eſt principaliſſima ſyllogiſmi ſpecies I. Prior. IV. §. 1. Eadem conſiderat ſocietatem in genere & eam, quæ præſtantiſſima inter omnes ſocietas eſt, & ſic in cæteris. Generis enim cognitio eſt propter cognitionem ſpecierum, maximè autem ejus, quæ inter omnes eminet. Ideò aut de omnibus in eâdem ſcientiâ, quæ de genere tractat, illius generis ſpeciebus agitur, aut minimum de optimâ & perfectiſſimâ. Tacemus, quod Deus ſit principium reliqvorum entium omnium, etiam qvatenus ſunt entia. Eſt enim primum quid eſt eorum omnium. Jam autem ejusdem ſcientiæ eſt conſiderare rem & principia rei,

quod relatorum eadem ſit ſcientia, & impoſſibile ſit rem exactè cognoſcere, niſi principia ejus ante fuerint perſpecta. lib. I. Phyſ. cap. I, t. 1. Ita eadem ſcientia, Grammatica, agit de oratione & principiis orationis, vocalibus & conſonantibus; eadem, Arithmetica, de numero & principio numeri, unitate; eadem, Geometria, de magnitudine & puncto ceu principio magnitudinis; eadem, Analytica, de ſyllogiſmo & principiis ſyllogiſmi, propoſitionibus & terminis; eadem, Phyſica, de ſubſtantiâ mobili, & principiis ejus, materiâ & formâ &c. Sed hæc alibi à nobis fuſius diducta ſunt, nempe in Judicio de Pnevmaticâ quam vocant.

CCXVI. Alii Metaphyſices objectum dicunt *ens à materia abſtractum & re & ratione.* Sed & hi ſalvâ hypotheſi ſuâ non poſſunt, quin methodum ab Ariſtotele in Metaphyſicis uſurpatam reprehendant. Quid enim quantitas, pars, totum, mutilum, genus, accidens & id genus alia, de quibus in V. Met. diſſeritur, ad ens abſtractum à materiâ & re & ratione? Quorſum itidem prolixa illa de forma in rebus compoſitis obtinente, lib. VII. & IIX. de potentia item activâ & paſſivâ lib. IX. Deniqve de uno & multis lib. X. diſputatio, ut cætera ſilentio involvam? Sed vana eſt hæc ipſorum hypotheſis. Abſtractio intellectus opus eſt, qui abſtrahere dicitur, cum rem aliquam, quæ eſt in materia, conſiderat ſine materia, quâ de causâ Mathematica vocantur τὰ ἐξ ἀφαιρέσεως I. de An. I. II. Phyſ. II. quia ſunt quidem in materia, in Mathematicis tamen conſiderantur ſine materia. Neqve enim Geometra conſiderat circulum æneum, vel aureum, aut lapideum vel ferreum, ſed circulum ſimpliciter, quà circulus eſt, qui non poſtulat materiam determinatam. At quæ materiæ non ſunt immerſa, non neceſſe demum abſtrahi à materiâ intellectu. Unde & Ariſtoteles ea non τὰ ἐξ ἀφαιρέσεως, ſed κεχωρισμένα, *jam tum ſeparata* vocat II. de Anima cap. I. Et

quis

qvis dixerit ea omnia, qvæ ipſimet in Metaphyſicis conſiderant, eſſe abſtracta à materia re ipsà? Agunt & illi de ente, uno, actu & ſimilibus aliis. At hæc non minus in materialibus, qvàm immaterialibus reperiuntur, adeoqve ſunt indeterminata & indifferenter ſe habent ad utraqve. Talia autem non ſuſcipiunt denominationem ab altero tantùm membro. Aliàs non minùs concreta, qvàm abſtracta dici poſſent. Sed & hâc de re c.l. plura dicta ſunt. Meliùs ergò eſt cùm Ariſtot. dicere, objectum Metaphyſicæ eſſe ens quà ens, in ea ſignificatione qvâ id declaravimus ſupra. Eo enim commodiſſimè omnia referri poſſunt, qvæ per univerſam hanc diſciplinam traduntur.

CCXVII, Sed ſunt, qvi hoc etiam ſuppoſito methodum ab Ariſtotele in Metaphyſicis adhibitam non adeò accuratam eſſe dicunt, qvod multa omiſerit, ſine qvibus tamen doctrina de ente, quatenus ens eſt, nõ poſſit dici perfecta. Præterqvam enim qvod entis, unius, aliorumqve talium, qvæ enti per ſe inſunt, rationem aut communem conceptum non tradiderit, neqve omnes affectiones entis conſiderarit, (hæc namqve modò non repetimus, qvod jam ſupra ſatis ſint diſcuſſa,) nihil habet, ut itidem jam ante monuimus, de actione, nihil de ſitu, nihil de categoriis ubi & qvando, qvæ tamen ſunt entia per ſe, vel ipſo Ariſtotele teſte VII. Met. c. I. nihil qvoq; habet de primo cognito, qvod ens eſſe demonſtrare debuerat, nihil de principio individuationis, nihil de univerſali, ſit ne illud in rebus nemine cogitante, an pendeat à mentis operâ, nihil de ente rationis & aliis ſimilibus. Verùm illi ex ſuo ingenio judicant alios. Quia ipſi exiſtimant de hiſce rebus in Metaphyſicis eſſe agendum, arbitrantur conſequenter, Ariſtotelem malè egiſſe, quod hæc omiſerit, aut non ſatis accuratè propoſuerit, cùm tamen aut non pertineant ad Metaphyſicam, aut longè meliùs ab Ariſtotele qvàm ab illis tradita fue-

ta fuerint. De actione, passione, situ, ubi, qvando & habitu cur non egerit Aristoteles, ratio non obscura est. Etsi enim hæ qvoqve categoriæ sint entia per se, nimis tamen clarum est, qvod ex mutuâ comparatione & respectu reliqvarum categoriarum resultent, nempe ex substantiæ cum reliqvis tribus commixtione. Aut enim substantia *qualitati* copulatur, & hinc exsurgunt *actio* & *passio*; cùm agere & pati in qualitate versentur. Qvi enim agit in rem aliquam, vel calore, vel frigore, vel aliâ qualitate in eam agit: agit autem in aliqvid, qvod substantia est, velut ignis agit in aqvam calore, aqua in aerem frigore &c. Rursus qvod patitur ab alio, qvod itidem substantia aliqva est, patitur, ut ab eo aut alteretur, qvo contrariam qvalitatem suscipiat, qvæ ad interitum ipsam disponat: vel perficiatur ut visus à re visibili, II. de Animâ t. 57. Aut substantia circumscribitur *quantitatibus*, veluti loco & differentiis ejus infra, supra &c. unde provenit *κατηγορία ubi*, aut *tempore*, ex qvo prodit *κατηγορία quando*. Non enim locum & tempus simpliciter denotant ubi & qvando, sed esse in loco & tempore, qvod substantiarum est. Aut deniqve substantia concurrit τῷ πρός τι. Vel enim *partes substantiæ ad se mutuo* referuntur ratione situs & positus, & hinc oritur prædicamentum κεῖσθαι: vel *integra aliqua substantia* refertur ad *aliam*, qvatenus ei circumponitur, vel toti, ut vestis corpori; vel parti ejus, ut annulus digito, & galea capiti, & hinc nascitur prædicamentum τὸ ἔχειν, ut docet Ammonius in lib. Categ. c. IX. Et hæc sine dubio causa est, cur Archytas Pythagoræus has μικτὰς appellârit. Qvanqvam ideò peculiares non desinant esse κατηγορίαι: faciunt enim aliud σχῆμα τῆς κατηγορίας. Neqve absurdum est ex duorum concursu, utroqve aliqvid conferente, tertium nasci, qvod tamen simplicem habeat notionem. Neqve enim id, qvod in loco est, nec id, qvod in tempore est, categoriam facit,

cit, sed esse in loco, esse in tempore, ut idem *Ammonius* habet in lib. Categor. c.IV. Cùm ergò manifestum sit, categorias has resultare ex *συνδιασμῷ* seu combinatione aliorū prædicamentorum, adeoqve ad illa suo qvodam modo reduci, non necesse habuit de his prolixius differere in Metaphysicis, ubi omnia eò dirigit, ut per resolutionem entium, seu reductionem unius ad aliud primum ens indaget atqve cognoscat, qvod cum sine consideratione harum categoriarum satis superqve facere potuerit, ejus nihil interfuit amplam ac diffusam earum inire disquisitionem.

CCXVIII. Primum cognitum qvod attinet, itidem non opus erat, Aristotelem de illo, siqvidem de eo, qvod à nobis primo omnium in re qvâvis cognoscitur, sit sermo, qvicqvam monere. Nimis enim clarum est, qvam primùm sensus suum officium faciunt, intellectum inductione primum confusum & communem conceptum de re omni formare, eam apprehendendo, ut ens. Aristoteles passim docet, qvod cognitio τοῦ εἰ ἔστι, *an sit*, prior sit reliqvis omnibus cognitionis generibus. Τὸ γὰρ μὴ ὄν, οὐδεὶς οἶδεν τί ἐστιν, *de eo, qvod non est, nemo cognoscit quid sit*, inqvit II. Post. VII. §. 2. Ita qui non novit, qvod sit elephas, multò minùs cognoscet, qvid sit. Nosse autem qvod res sit, idem est, qvod nosse, esse ens. Ut enim hæc sunt *συνώνυμα*, valet & est valens: Sic & hæc coincidunt, Est & est ens V. Met. VII. Hæc cum in vulgus usqve nota sint, & ne pueros qvidem lateant, prolixè monere nihil referebat, adeò ut *ἀπαιδευσίαν* vix effugiant Scholastici, hoc prolixè probare conantes. Qvid enim opus est probare ea, qvæ manifestissima & evidentissima sunt omnibus? Hæc autem inqvisitio Philosopho digna est, qvodnam inter cognoscibilia, qvæ qvod entia sunt, jam tùm supponitur, (non entis enim opinio qvidem esse potest, cognitio propriè non item, qvod rectè præter Aristotelem & Plato monet) primum sit secundum

naturam. Qvam qvæſtionem Ariſtoteles intactam non reliquit, ſed ſolidè eam decidit, quanquam non in uno loco. Cognoſcibilis enim non una eſt ratio, ſed quædam inter cognoſcibilia ſunt ſenſibilia, quædam intelligiblia, quædam ſcibilia, quorum omnium non una ſcientia datur. Inter ſenſibilia quodnam primum cognitum ſit, conſideravit Ariſtoteles in Phyſicis ſingulorum ſenſuum objecta percurrendo, & quodnam in unoqvoqve genere ſit oſtendendo, deinde autem genera ipſa inter ſe conferendo. Aliter enim primum inveſtigari non poteſt, quod inductione eſt manifeſtum. Ita ſi indagandum ſit primum *viſibile*, hoc aliter fieri non poteſt, quàm comparando inter ſe ea, quæ viſu comprehenduntur. Sunt autem hæc lumen & color. Amboque enim videntur, verùm non æquè primò ambo ſunt viſibilia, ſed πρώτως quidem lumen, color autem nonniſi quatenus lumen participat. Unde enim color oritur, niſi ex variâ commixtione luminis & umbræ, uti docet prolixè Auctor libri de coloribus? Hinc quod nihil omninò luminis inſitum habet, propriè coloratum non eſt, nec propriè videtur, velut tenebræ. Quamvis enim videri interdum dicantur, fit tamen hoc impropriè. Nempe *dicimur eas videre, quia oculis apertis experimur nos nihil videre*, ſicut docet Auguſtinus cap. XXXI. contra Epiſt. Fundam. ita ſcribens: *Tenebræ nihil ſunt aliud, quàm lucis abſentia, quæ oculis non videndo diſcernuntur, ſicut ſilentium auribus non audiendo. Non quia tenebræ ſunt aliquid, ſed quia lux non eſt.* Eadem eſt ratio qualitatum *tactilium*. Quamplures enim ſunt qualitates, quæ ſenſu tactus dijudicantur & dignoſcuntur, veluti grave leve; durum, molle; aſperum, læve; craſſum, tenue; humidum, ſiccum; lubricum, aridum; calidum, frigidum. At hæ omnes non æquè primò ſub tactum cadunt, ſed maximè omnium quatuor iſtæ, calidum, frigidum, humidum, ſiccum, ad quas cæteræ omnes qualitates reducuntur,

tur, ut oſtendit Philoſophus II. Gen. & corr. cap. II. Inter has porrò primas obtinent calor & frigus, quoniam hæ ſunt activæ qualitates, reliquæ autem duæ paſſivæ IV. Meteor. cap. I. activum autem eſt naturâ prius paſſivo. Deniqve cùm frigus, ſi cum calore comparetur, rationem habeat privationis, eò qvod deterius ſit inter contraria X. Met. IV. habitus autem naturâ prior ſit privatione, calor qvoque naturâ prior erit frigore, & conſequenter prima erit inter tactiles qualitates. Inter *ſapores*, qui ſunt objectum guſtus, extremi ſunt *dulcis* & *amarus*, quia modo maximè contrario ſenſum guſtus afficiunt: ad hos autem alii medii reducuntur, veluti *pingvis*, qualis eſt in lacte & butyro; *ſalſus*, qualis eſt in ſale & aquâ marinâ; *acer*, qualis eſt in pipere; *auſterus*, qualis in uvâ viridi; *acerbus*, qualis in pomis immaturis; *acidus*, qualis in aceto: qui omnes ex hac ipſa ratione, quod ſunt intermedii, & ad iſtos, dulcem atqve amarum, reducuntur, ſunt naturâ poſteriores. Ex illis autem duobus naturâ prior dulcis eſt. Habet enim & is rationem habitus, & guſtui maximè eſt conformis, cujus ratio eſt, quod animalia dulci nutriantur, ſicut Galenus lib. II. Symptom. ait, *guſtui, cùm à naturali habitu non declinat, maximam adferre voluptatem omnes ſuccos dulces, tanquam corporis eſſentiæ familiariſſimos*. Cum ſaporibus familiaritatem habent *odores*, qui ſunt objectum olfactus. *Pleriq; enim nos ſimiliter ſaporibus afficiunt*, inquit iterum Galenus V. de ſimpl. facult. c. XXI. unde fit, ut de illis, comparando eos cum ſaporibus, philoſophemur, quin & nominibus ſaporum illo nuncupemus, ut Ariſtoteles advertit. Extremos quippe odores dulcem & amarum, medios, acrem, pingvem &c. vocamus. Hinc idem de odoribus, quod de ſaporibus, judicium eſt ferendum. Reſtat *ſonus*, qui auditu dignoſcitur & nihil aliud eſt, quàm qualitas ſenſibilis proximè orta ex aëris aut alterius fluidi corporis inter ſe collidentis fractione. Eſt autem alius *ſimplex*, alius *reflexus*,

qui alio nomine dicitur echo. *Simplex* rurſus alius eſt *acutus*, alius *gravis* ſeu obtuſus, ſic dicti per metaphoram à qualitatibus tactilibus, docente ipſo Ariſtotele II. de An. text. 86. Quemadmodum enim in tactu acutum exiguo tempore multum ſcindit & celerrimè penetrat, nec corpori permittit, ut reſiſtat, obtuſum autem multo tempore parum ſcindit & magis pellit, quàm pungit, quia tardius & remiſſius movetur, & corporis multum in eo reſiſtit: ſic etiam in acuto & gravi ſono accidit. Acutus enim brevi tempore celeriter movet auditum & quaſi ſtimulat aures, gravis autem longiori temporis morâ ſegnius & remiſſius auditum movet, ut adeò velocitas acuti, tarditas gravis ſoni ſit cauſa. Jam autem velocitas prior eſt tarditate. Ergò & acutus ſonus prior erit naturâ gravi ſono. Ita apparet, quodnam primum ſit cognoſcibile in unoqvoqve genere ſenſibilium. Quodnam autem primum ſit abſolutè in univerſo genere ſenſibilium, id facilè innoteſcet, ſi genera iſta inter ſe conferantur, & quomodo erga ſeſe mutuo κτ' τὸ πρότερον καὶ ὕστερον, ſecundum id, quod *prius* & *poſterius* audit, habeant. Ex collatione enim tali facilè apparebit, quod tactile naturâ prius ſit ſapido & odorabili. Sapores enim & odores oriuntur ex certâ primarum qualitatum, humidi cumprimis & ſicci, permixtione. Qualitates autem hæ ſunt propria objecta tactus. His porrò naturâ prius eſt objectum viſus. Hoc enim ſunt lumen & color, quæ conveniunt corporibus non ſolùm corruptibilibus, ſed & incorruptibilibus. Quæ autem his ſunt communia, ſine dubio naturâ priora ſunt iis, quæ corruptibilibus ſunt propria. Unde & viſibile naturâ prius eſt audibili, quod ſonus in cœlo & cœleſtibus corporibus locum non habeat. Viſibile ergò primum erit naturâ inter objecta ſenſibilia. Primum viſibile autem lumen erat. Hoc itaque primum erit cognitum inter ſenſibilia. Quod diducere ad Philoſophiam primam non pertinet, ſed ad

Physicam, ubi egregiè de hoc negotio Philosophus disputavit.

CCXX. Porrò *intelligibilia* vocantur *principia scientiarum*. Hæc autem sunt triplicis generis, *theses*, *axiomata*, *definitiones*, I. Post. II. & X. Quorum prima (loquimur de absolutè primis) considerare non diffitemur pertinere ad Metaphysicam. Hæc enim communissima sunt, adeoqve non hujus vel istius entis, sed entis quà ens est, principia. Hujus autem considerationem ad Metaphysicam pertinere aliquoties jam est dictum. At non neglexit ea Aristoteles in Metaphysicâ suâ. Primæ enim *hypotheses* quænam sunt, nisi illæ: *Dari primum principium unde motus, dari primam omnium rerum formam, dari ultimum omnium finem?* At de his egit II. Met. II. Prima *axiomata* porrò sunt: *Impossibile est idem simul esse & non esse, &, quodlibet est vel non est*, sed & de his disseruit per totum fermè IV. Met: Deniqve primæ *definitiones* sunt definitiones entis, unius, principii, elementi & aliorum, quæ per universam Philosophiam diffunduntur, quæ aliter definiri non possunt, nisi per enumerationem variarum significationum. Nonne autem in his adducendis totus insumitur V. Metaphysicorum. Ad extremum, quod ad primum scibile attinet, cùm non entis nulla sit scientia, patet, quod primum scibile inter entia sit qværendum, &, cum ens sit commune κατὰ πρότερον καὶ ὕστερον, aliter inveniri non possit, nisi per resolutionem totius generis entis in primum ens, quod cum Deus sit, erit hic ipse primum scibile, licet scientia, quæ de illo est, non sit scientia τοῦ διότι, quantum ad ipsum in se spectatum attinet, sed ὅτι ἔστι, quam hinc Philosophus vocat scientiam ἀναπόδεικτον: respicitqve huc & VI. Eth. VII. ubi sapientiam, quæ sanè, cum sit regina seu Domina omnium scientiarum I. Post. IX. primum scibile expendit, scientiam vocat rerum naturâ honoratissimarum, quæ utiqve Deus sunt & divina. Quàm accuratè autem Aristoteles resolutionem entium omnium in

Deum in Metaphysica sua instituerit, & veluti manu nos in notitiam ejus duxerit, jam ante est ostensum.

CCXXI. Ulterius, quod de *principio individuationis*, sive *haecceitatis*, ut alii, satis barbare & ipsi vocant, itemqve de *universali* atqve *ente rationis* addebant, de iis itidem satis dilucidè mentem suam, quantum ad rem ipsam attinet, in Metaphysicis Aristoteles declaravit. Passim enim docet individua per *materiam* distingvi. V. Met. VII. dicit *unum numero* esse, quorum *materia* est *una*, quod passim repetit, & exemplis illustrat. Sic *totam formam in hisce carnibus atque ossibus* ait *Socratem* esse & *Calliam* VII. Met. IIX. & c. X. *singulare ex ultima materia* jam esse *Socratem*. Quod si autem unum numero sunt, quorum una est materia, sicut & disertè docet XII. Met. IIX. dicens, *ea, quæ sunt plura numero sub una specie, necessariò habere materiam*, unde & concludit, primos motores plures non dari, quod primus motor sit χωριστὸν εἶδος, *materiæ expers*. lib. X. Met. III. ait quædam *diversa* dici, quod *materia ipsorum* sit *divisa*, licet *definitio & forma forte sit una*. Unde Petrus & Paulus diversi homines sunt, etiamsi formâ hominis conveniant. Non enim hæc aliam rationem habet in Petro, aliam in Paulo, sed per omnia eâdem, quæ, quà talis indivisibilis est, nec numerum facit. Multiplicatur igitur & restringitur ad singulare, sive individuum sub ratione unâ eademqve per materiam, quæ dividi potest. Unde & alibi, videlicet I. de cœlo cap. IX. demonstrat *mundum unicum* esse, quod licet esse *cœli* & *hujus cœli* aliud sit, quia materiâ constet, tamen hoc ipsum cœlum includat omnem omninò materiam, quæ esse possit. *Universale* autem non constare *mentis operâ*, uti Scholastici communiter somniant, sed esse in rebus ipsis, nemine etiam cogitante, satis luculenter indicat, quando genus & speciem, quæ sunt species universalis, inter affectiones entis numerat IV. Met. II. Cui congruit, quod habetur lib. de Interpret. cap. VII. §. 2: *Rerum alia*

sunt

sunt universales, aliæ singulares. Si enim affectio entis est universale, utiqve non constat mentis operâ, sed ante omnem intellectus operationem competit enti. Quod obscurum esse non potest ei, qui naturam universalis habet perspectam. Quid enim universale, formaliter spectatum, aliud est, quàm similitudo essentialis plurium singularium inter se. E. gr. Homo, quatenus universale est, nihil aliud significat, quàm *similitudinem, quâ homines*, Petrus, Paulus, Socrates, *quatenus homines, sunt similes inter se*, sicut rectè monet Ammonius in Categ. cap. V. At quis dubitat, Socratem, Petrum, Paulum, essentialiter sibi similes esse, etiamsi nemo hâc de re cogitet? Alia alibi annotata mittimus. Id solùm nunc addimus, observationem illam Ammonii de ratione universalis nõ parùm lucis quam plurimis in Aristotele locis fœnerari. Hinc enim intelligitur, quare Aristoteles dicat universale ποιόν τι potius, quàm τόδε τι significare, imò & πρός τι, lib. Categ. cap. V. Sophist. cap. XXII. §. 17. VII. Met. XIII. Similitudo enim ἐκ τῶ πρός τι est, & fundatur qualitate. Item, cur universale dicatur posterius esse singularibus, nempe, ut est universale. Quatenus enim *essentiam* significat, sine dubio prius est, observante & Alexandro in Qq. natural. Item, cur universale dicatur accidere singularibus, veluti Socrati ἀνθρώπῳ εἶναι, I. Met. I. & triangulo æquilatero τῷ τριγώνῳ εἶναι, II. Topic. III. §. 3. Quamvis enim essentia Socratis in eo consistit, quod sit homo, hic tamen accidit Socrati, qvod similis sit secundum essentiam Platoni. Etiamsi namqve Plato non esset, aut alii homines, maneret tamen Socrates reverà, qvod est: at si homo esse desinit, neqve amplius Socrates est. Deniqve qvod de *ente rationis* proferebatur, id omninò vanum, & nullius momenti est, quia ens rationis non pertinet ad Metaphysicam. Rationem si quæris, ea in promptu est. Ens enim rationis juxta Aristotelem est πάθος τῆς διανοίας VI. Met. cap. ult. quæ, cum concipit esse, qvod non

non est, vel qvantum vel qvale, quod tale non est, ens rationis facit. At Metaphysica non considerat affectiones τ̃ διανοίας, sed entis, *quà ens* est.

CCXXII. Ignoscat benevolus lector, qvod in his diducendis nos justo longius detinuerimus. Existimavimus enim non fore inutile, si de iis quoqve hâc datâ occasione aliquid saltem moneremus. Ex dictis interea patet, qvàm necessaria sit ei, qui in lectione Aristotelis recto pede progredi vult, objecti aut finis cujusqve disciplinæ, itemqve methodi & ordinis, quem in unaqvaq; scientiâ ille observat, præcognitio. *Præcognitio* inquam. Inepti enim & illi sunt, qui Aristotelem ideò reprehendunt, quod rarò assignaverit definitionem scientiæ, neqve methodi semper, quâ usurus sit, mentionem faciat. V.g. quod in scientia naturali omiserit definitionem Physices, item declarationem subjectæ materiæ, ac generalem partitionem seu distributionem; item qvod neglexerit ostendere quorsum, & quomodo, aut quo ordine agendum sit de cœlo, meteoris, animantibus & cæteris ejusmodi, qvæ sunt Physicæ speculationis. Hæc enim non ad ipsam scientiam pertinent, sed ad παιδείαν, quam disertè Aristoteles à scientia distingvit & in auditore hujus domestico prærequirit lib. I. de Part. An. c. I, ita scribens: *Circa omnem θεωρίαν & μέθοδον, sive nobilior sit, sive minus nobilis, duo videntur esse modi habitus, quorum alter rectè dicitur scientia, alter autem pædia. Hominis enim πεπαιδευμένου officium est, judicare perspicaciter posse, quidnam rectè ab eo, qui docet, exponatur. Ideo circa historiam naturalem quoque certi quidam termini & limites constituti esse debent, ad quos auditor referre & examinare possit ea, quæ dicuntur, ut modum demonstrationis rectè accipiat & judicare possit, an vera sint, quæ proponuntur, nec ne.* Nam qvod qvidam existimant, pædiam & scientiam non diversos esse habitus aut facultates, sed tantum diversos modos unius habitûs, quod significasse ajunt

junt Aristotelem, eo ipso, qvod non duas ἕξεις, sed duos τρόπους τῆς ἕξεως eas dixerit, id parum roboris habet, cùm τρόπος Aristoteli non raro idem, quod speciem designet, & res ipsa satis superqve ostendat, longissimè hæc duo pædiam & scientiam esse distincta, & alteram sine altera haberi posse. Aliud enim est scire res per causas proprias, aliud cognoscere modum & ordinem, qvo res illæ sint tractandæ, adeò ut prius qvis cognoscere possit ignorato posteriori, & vicissim. E. gr. possum scire causas aliqvarum rerum naturalium, veluti mineralium, metallorum, ut tamen ignorem modum & ordinem, qvo de mineralibus & metallicis sit tractandum. Nempe ut in rebus civilibus bona aliquando est causa, sed malè agitur: sic & fieri potest, ut scientia alicujus rei & causæ teneantur, modus tamen tractandi ignoretur. Unde passim Aristoteles veteres, satis etiam doctos & rerum peritos, ἀπαιδευσίας insimulat, qvod methodo parum convenienti scientiam suam aliis tradiderint: neqve Plato ipse hanc reprehensionem effugere potuit, qvod Physica nimis mathematicè interdum explicarit. E converso possum novisse ordinē tractandi & docendi aliqvid, illius tamen causam ignorare. E. gr. Ex I. de Partib. An. cognoscere possum, qvod scientia de animalibus ita sit tractanda, ut primum, qvæ ad historiam animalium pertinent, ponantur, hinc autem ad causas procedatur: Item, qvod de communibus animalium affectionibus prius disserendum sit, hinc autem deveniendum ad proprias & particulares: &, qvod in causis assignandis à fine sit incipiendum, hinc autem progrediendum ad materiam & efficientem; & tamen fieri potest, ut hoc probè cognito ignorem, qvæ sint cujusqve rei affectiones, & qvæ uniuscujusqve causa sint, sine qvâ notitia de scientiâ gloriari non possum. Non ergò reprehendemus, nec defectus alicujus accusandus est eo nomine Aristoteles, qvod in scientia non tradiderit ea, quæ pertinent ad παιδείαν.

CCXXIII. Cæterum non ita hæc accipienda sunt, quasi existimemus ab Aristotele omnia tàm enucleatè fuisse tradita, aut nobis saltem ita relicta, ut nihil quicquam scriptis ejus addi possit. Certum enim est, non omnia, quæ ab ipso literis consignata sunt, integra ad nos pervenisse. De Poëtica id jam supra docuimus num: LII. Sed & de aliis nonnullis scientiis idem cogimur affirmare. Sanè Cicero lib. V. de finibus testatur, quod Aristoteles *omnium ferè civitatum, non Græciæ solùm, sed etiam barbariæ, instituta & disciplinas descripserit.* Diogenes Laërtius etiam numerum exprimere conatur, dum *centum & quinquaginta octo res publicas* ab eo descriptas esse asserit in vita ejus circa finem. Auctor vitæ Aristotelis, quem ex vetere translatione edidit Petrus Joannes Nunnesius & eruditis ac locupletissimis scholiis illustravit, numerum auget. Ait enim, *Alexandrum, cùm bellum in Persas pararet, secum in itinere sustulisse Aristotelem, & hunc tum temporis, cùm Philosophandi locus ei non suppeteret, historiam ducentarum & quinquaginta politiarum composuisse.* At hodiè vix unam atqve alteram ab eo descriptam rempublicam residuam habemus, idqve lib. II. Politicorum. Nec dubium est, quin & præter hæc aliqua desint in Politicis ejus. In decimo enim Ethicorum cap. ult. dicit, *cives assvefaciendos esse legibus & institutis ad honestas operationes: Neq; enim sufficere, ut quamdiu juvenes adhuc sunt, rectè sint educati, sed opus præterea esse, ut cum jam viri effecti fuère, his rebus studeant & assvescant. Ad id autem,* inquit, *indigere eos legibus & quidem per totam vitam.* Oportet ergò Politicum non solùm de adolescentum & juvenum institutione agere, sed de iis quoqve, quæ viros & senes decent, esse sollicitum: at de his nihil habetur in Politicis ipsius, quæ supersunt. Porrò lib. VII. Politicorum cap. V. de quantitate agri differens, cujus in urbibus extruendis sit habenda ratio: *Tantus*, inquit, *debet esse ager, quantus sufficere potest ad libera-*

liter

liter & temperatè vivendum. Et addit: *Hoc autem an rectè dictum sit, an secus, inferius diligentius considerabimus, cum de possessione & de substantiæ abundantiâ mentionem faciemus.* At de his rebus nihil in IIX. quos adhuc habemus, Politicorum libris determinatum reperimus. Deniqve in IIX. Polit. proponit se acturum de *rhythmo* & *harmoniâ*: & de *harmoniâ* quidem abundè disserit in eo ipso libro, de *rhythmo* autem non item. Periit ergò & hæc, quam de illo suscepit, tractatio: ut jam librorum de legibus, de regno item, de colonis &c. mentionem non faciamus, qui à multis antiquis citantur, & tamen hodiè non sine magno doctrinæ Politicæ damno desiderantur. De *plantis* porrò scripsisse Aristotelem certum est: at & hi libri desiderantur. Eos enim, qui hodiè de hâc materia conscripti sub nomine Aristotelis circumferuntur, ipsius non esse communis jàm fert sententia eruditorum. Taceo etiam in ipsa *Analyticâ* videri aliqua deesse. Nihil enim ibi de παιδεία, nihil de ordine doctrinæ in scientiis observando, de quibus tamen Aristotelem in Analytica sua tractasse admodum verisimile est, cùm hæc sit scientia doctrinalis. Sed etiam aliqua sunt ad Philosophiam pertinentia, de quibus nihil scripsit, morte videlicet præventus. Unde & factum, ut proximus morti interrogatus, quid ægrius ferret, responderet, *quod totam Philosophiam non absolvisset, licet speraret, fore ut paucis additis perfici posset.* Quo consilio sine dubio veteres illi Peripatetici, qui Aristoteli in Lyceo successerunt, Theophrastus, inquam, Eudemus, Strato, Critolaus & alii adacti fuerunt, ut in Aristotelem non commentaria ediderint, sed ea solùm addiderint, quæ in eo desiderarentur. Velut Theophrastus libris Analyticis addidit librum de affirmatione & negatione, in quo multa proposuit, quæ in Aristotele non legebantur, ut ait Boëthius. Eudemus addidit librum de Elocutione, quem Galenus commentariis illustravit, in qvo etiam multa expli-

cavit ab Aristotele prætermissa, veluti, quomodo in enunciatione unâ, multæ aliæ comprehendantur. Alii veteres Peripatetici addiderunt disputationem de recta nominum impositione. Hæc ergò & similia alia sunt supplenda. Suppleri autem possunt ex parte vel ex ipso Aristotele, qui passim insignia quædam, inprimis, quantum ad ea, quæ παιδείαν & ordinem doctrinæ pertinent, proponit. E. gr. quantum ad ordinem doctrinæ, ejus initium ex notioribus nobis, seu ex iis unde facilius discimus, capiendum esse docet I. Phys. cap. I. VII. Met. IV. item ab universalibus esse progrediendum ad particularia II. de Gener. & corrupt. t. 51. III. Phys. t. 2. I. de partibus Anim. cap. I. De pædia, quæ passim docuerit itemqve de impositione nominum, jam vidimus ante. Aristoteli jungi possunt & alii ex veteribus, veluti Galenus, ex quo egregia mutuare licet, quæ methodum & ordinem in disciplinis observandum spectant. In primis autem observatione digna sunt, quæ is sparsim habet de nominum impositione. Ea enim si jungantur Aristotelicis, perfectam inde haurire licebit de hac materia informationem.

CCXXIV. Summa hujus, ne exemplo etiam id, quod modo diximus, illustratum abire permittamus, huc redit. Nomina nova rebus aliquando imponi posse ac debere constat cum testimonio Aristotelis II. Eth. VII. Autoris lib. Categ. cap. VII. §. ii. tùm exemplo omnium veterum, qui sæpe nomina nova, necessitate urgente finxerunt, veluti Platonis in Theæteto, qui primus nomen qualitatis in scholas Philosophorum introduxit. Sed hâc de re jam in Prodromo est dictum. Methodus autem hic observanda, quam illic itidem, sed breviter, indicavimus, sequens est: Cùm res per nomina significentur, illud potissimum enitendum est, ut utamur, si fieri possit, nominibus usitatis in ea lingva qvâ scribimus inpri-

mis autem illis, qvæ à veteribus & optimis scriptoribus sunt usurpata. Omnia namqve vocabula hoc habent muneris, ut rem qvàm maximè ob oculos ponant, cùm σημεῖα sint τῶν πραγμάτων *signa rerum*, at hoc inprimis faciunt verba usitata. Hoc sibi vult Galenus lib. I. Method. med. c. IX. Δικαιῶ μοι δικαίαν ἀξίωσιν ἐνεγκεῖν, ἵν', ὡς ἡμεῖς ἐκείνοις συγχωροῦμεν, ἅττα ἂν γ' ἐθέλωσιν ὀνόματα τίθεσθαι κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον κἀκείνους ἡμῖν συγχωρεῖν ἑλληνικοῖς τε χρῆσθαι καὶ παλαιοῖς, *Justè*, inquit, *mihi videar hoc exigere, ut sicuti nos illis permittimus, quæ velint nomina indere: ita illi vicissim nos usitatis & antiquis uti sinant.* Quibus similia habet lib. I. de difficultate respirationis cap. II. & alibi passim. Intellexit verò id Simeon Sethus Magister Antiochenus, qui seculo XI. imperante Michaële Duca claruit in lib. de Alimentis. Proponens enim quo stylo in libro hoc usurus esset, hæc usurpat verba. Ἐπεὶ δὲ τινὰς τῶν τροφῶν ἄλλως μὲν ἡ κοινὴ ὀνομάζει συνήθεια, ἄλλως δὲ ἡ τῶν παλαιῶν ἰατρῶν, τοῖς κοινοτέροις τε καὶ γνωριμωτέροις τῶν ὀνομάτων χρησόμεθα, διὰ τὸ εὐχερῶς εὑρίσκεσθαι τὸ ζητούμενον, *Quamvis vulgus quædam alimenta aliter ex consvetudine appellet, aliter quoqve antiqui Medici, nos tamen magis vulgaribus & notis nominibus utemur, ut facilius quod quæritur, inveniatur.* Unde meritò reprehendendi sunt Scholastici & Chymici, qui sæpè citra causam nova vocabula fingunt, cùm usitatis non destituantur, quæ longè efficacius vim rei propositæ exprimunt. Talia vocabula sunt hæcceitas, aliquitas, ubicatio, quidditudinalitas, suppositalitas, abstrahibilitas, modalitas, quibus omnes penè Scholasticorum libros videmus repletos; itemqve illa, Mumia, Elixir, Azoth, materia perlata, chas, blas, & similia à Paracelso ejusq; asseclis & æmulis inventa, quibus merito illud Aristophanis occineres: Ἀμαθέστερόν πως εἰπὲ καὶ σαφέστερον, *Rudius paulò loquere ac planius.* Deinde cum usitata nomina rebus imposita non sunt, proximum illud est, ut vox aliqua, cujus res significata similitudinem aliquam aut analogiam cum

re propositâ habet, ad illam transferatur, illiqve accommodetur, quod facit Aristoteles, cùm partes propositionis ὅρους, *terminos*, vocavit; item in voce ἀναλύειν; συλλογισμοῦ, διαστήματος &c. item in voce γαμικῆς I. Polit. III. Idem observavit Theophrastus in nominibus, quæ partibus plantarum imposuit, ductâ similitudine à partibus animalium. Ἶνες δὲ φλέβες, inquit inter cætera I. Hist. plant. cap. III. καθ' αὑτὰ ἀνώνυμα, τῇ δ' ὁμοιότητι μεταλαμβάνουσι, τῶν ἐν τοῖς ζώοις μορίων. *Nervus ac vena per se nomine carent, quâdam verò similitudine nomina partium animalium sortiuntur.* Deniqve cum necessariò nova fingenda sunt, incipiendum non est à nominibus, à quibus vulgus ordiri solet, existimans ea, quæ nominibus differunt, re ipsâ quoqve differre, quod tamen à veritate longius abit (multa namqve sunt re ipsâ eadem, nominibus diversa, veluti demonstrare & docere, Politica & civilis prudentia, Philosophia & sapientia, Philosophia prima & Metaphysica &c.) sed initium faciendum est à rebus ipsis. Has enim perspectas & intellectas habere oportet eum, qui μετὰ λόγου, *cum rectâ ratione* iis nomina imponere cupit. His etiam accommodata esse oportet, ut facilius intelligantur. Quid enim nomina aliud sunt, quàm signa rerum. ὀνόματα σύμβολα ἐστὶ τῶν νοημάτων κατὰ τὸ προηγούμενον, κατ' ἐπακολούθημα δὲ καὶ τῶν ὑποκειμένων, ait Clemens Alexandrinus VIII. Stromat: *Nomina sunt signa eorum, quæ animo cogitantur principaliter, consequenter autem & rerum subjectarum.* Consentit Xenocrates, qui hinc nomina dixit φωνήεντα ἀγάλματα, *vocalia rerum simulacra.* Sed & Aristoteles hinc nomen definit φωνὴν σημαντικήν, lib. de arte Poëtica cap. XX. *vocem significativam.* Et lib. XI. (XIII.) Metaph. cap. V: Δεῖ inquit, ὀνομάτων ἕκαστον δηλοῦν ἕν, *Necesse est nominum unumquodq; unum quid significare.* Atqve inde & apud Latinos nomen accepit. *Nomen* enim, inquit Sextus Pompejus Festus de verborum significatione, *dictum est, quasi novimen, quod notitiam facit* sci-

licet

licet rei subjectæ. Et Isidorus Hispalensis lib. I. Originum c. VI. *Nomen*, ait, *dictum est quasi notamen, quod nobis vocabulo suo notas* (res) *efficiat. Nisi* enim *nomen scieris, cognitio rerum perit.* E contrario ὃς ἂν τὰ ὀνόματα εἰδῇ, εἴσεται καὶ τὰ πράγματα ut ait ille, *qui gnarus est vocabulorum, gnarus est & rerum.* Cui non absimile est illud Epicteti, ἀρχὴ παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις, *principium eruditionis est nominum trutinatio.* Id ergò ante omnia curare oportet, ut, nomina rebus imponenda dilucidam rei contineant interpretationem. Talia autem non imponet, nisi qui res ipsas jam ante perspectas habet. Hæ ergò primum ponderandæ sunt, & quidem ita, ut ejus cumprimis, in quo differunt aut distincta inter se sunt, habeatur ratio, quin & numeri rerum inter se distinctarum, ut intelligatur, tot esse numero, nec plures, nec pauciores. Nominum enim hic usus est, ut denotent & distinguant res, sicut Justinus Martyr ait in Parænesi ad Græcos: Τὰ ὀνόματα εἰς δήλωσιν καὶ διάγνωσιν τῶν ὑποκειμένων κεῖται πραγμάτων, πολλῶν καὶ διαφόρων ὄντων, *Nomina ad designationem & discretionem subjectarum rerum imponuntur, quæ varia sunt & multa.* Tandem his rectè consideratis, iis, quæ nomine carent, nomen est imponendum, in quo sequentia spectanda sunt: primò *brevitas*; deinde *perspicuitas*, quæ inprimis pensi est habenda. Sunt enim nomina, ut diximus, μίμημα & interpretationes vel characteres expressiores rerum, quæ harum notitiam nobis ingerere apta sint: at id præstare non possunt, si sint obscura. Διδάσκειν βουλόμενον ἕτερον ἃ γινώσκει, δεήσεταί τι πάντως ὀνομάτων ἐπὶ τοῖς πράγμασιν, ὅσον τι καὶ χρήσεως αὐτῶν ἕνεκα τοῦ σαφηνίζειν· ὁ γοῦν ὡς ἂν ὁ μανθάνων ἐκμάθοι, σαφέστατα μάλιστα σπουδάζων ὀνομάζειν, ἄριστος διδάσκαλος, inquit iterum Galenus II. de Methodo I. *Qui alterum docere vult, quæ ipse tenet, hunc prorsus nominibus propter res uti est opus, in quorum usu claritas quasi meta spectanda erit. Nam qui sic nominum quoq; studet, ut qui discit, clarissimè intelligat, is optimus præ-*

præceptor fuerit. Alius locus huic similis in Prodromo est nobis adductus. Deniqve & hoc curandum est, ut retineantur vestigia linguæ, sive talia imponantur nomina, quæ indolem lingvæ sapiant, in qvâ imponenda sunt nomina, veluti Græcæ aut Latinæ, ne fingere, volens] vocem Græcam, tale fingat, qvæ latinismum redolebat, aut vice versâ. Ubi itidem non rarò impingunt. Scholastici; qvibus tamen adhuc deteriores sunt, qvi alios velut lege latâ, ut utantur istiusmodi ab illis incogitanter fictis nominibus, cogere volunt. Δεινὸν γὰρ τοῖς σολοικίζειν μὲν καθάπαξ τυράννοις, ἑλληνίζειν δ' ἡμῖν οὐκ ἐξεῖναι, ait Galenus I. de methodo c. IX. *Grave enim atq; injurium est, si illis quidem solacismum committere tyrannorum more licitum sit, nobis autem Græcè* (vel Latinè) *loqvi integrum non sit.* Ita autem loqvi licebit, si nomina, qvibus utimur, aut composita sint ex usitatis, veluti nomen ἐντελεχείας, aut duo nomina usitata usurpentur pro uno, qvod fit in nomine infinito; aut ex usitatis deriventur, veluti à πηδαλίῳ πηδαλιωτὸν, lib. Categ. c. VII. §. 11.

CCXXV. Cæterùm non ita intelligenda hæc sunt, qvasi in fingendis vel accommodandis rei alicui nominibus potissimum sit habenda ratio elegantiæ sermonis, ut qvidam sibi imaginantur, qui adeò molles & delicatas aures habent, ut nullum in scientiis terminum ferre possint, nisi ex Cicerone, aut aliis similibus Scriptoribus sit depromptus. Non sanè. Proprietas hic præcipuè curæ esse debet cuiqve qvi nova nomina fingere vult, etiamsi aliqvando vocabulis utatur minus cultis, modo perspicua sint, & facilis intellectus. Quam in rem insignis est Galeni locus in lib. de ordine libr. suorum sub finem. Differit ibi de eo Tractatu, in qvo usurpata à scriptoribus Atticis nomina secundum seriem primarum in ipsis literarum ex scriptoribus eorum collegerat: in eo ait se non id agere, qvod suo seculo multi facerent,

rent, qui omnibus *Atticè* loqvendi sinceritatem imponerent, sive illi Medici, sive Philosophi, sive Geometræ, sive Musici, sive Jurisconsulti, aut nihil etiam horum, sed alioqvi opulenti vel divites essent. Contrarium potius se intendere, quod nemo simpliciter ob orationis solœcismos sit reprehendendus, ἄμεινον γὰρ ἐστι τῇ φωνῇ μᾶλλον, ἢ τῷ βίῳ σολοικίζειν τε καὶ βαρβαρίζειν, *Melius enim*, inqvit, *est lingvâ, qvàm vitâ solœcismos committere barbarismosq́.* Et paulò post: Ἡ τῶν ἀττικῶν, ait, ὀνομάτων γνῶσις οὐδὲν αὐτὴ καθ᾽ ἑαυτὴν ἄξιον ἔχουσι μεγάλης σπουδῆς, *Atticorum vocabulorum notitia per se nihil magno studio dignum habet.* Quò spectant & illa Senecæ ex Epist. Lxxv: *Non me hercules jejuna esse & arida volo, qvæ de rebus tam magnis dicantur: neq́ enim Philosophia ingenio renunciat, multum tamen operæ impendi verbis non oportet. - Non delectent verba nostra, sed prosint. - Si tamen contingere eloqventia non solicito potest, aut si parata est aut parvo constat, assit, & res pulcherrimas proseqvatur. Sit talis ut res potius, qvam se ostendat. Aliæ artes ad ingenium tota pertinent: hîc animi negotium agitur. Non qværit æger medicum eloqventem, sed sanantem; sed si ita competit, ut idem ille qvi sanare potest, comptè de his qvæ facienda sunt, disserat, boni consulet, non tamen erit, qvare gratuletur sibi, qvod inciderit in medicum etiam disertum, hoc enim tale est, qvale si peritus gubernator etiam formosus est.* Et Ep. Cxv. ad Luciliū scribens: *Nimis anxium*, inqvit, *esse te circa verba & compositionem, mi Lucili, nolo, habeo majora quæ cures.* Elegans qvoq; est ille Arnobii locus ex lib. I. adversus gentes, ubi ita loqvitur: *Quid officit, o qvæso, aut quam præstat intellectui tarditatem, utrumne quid grave, an hirsutâ cum asperitate promatur? inflectatur qvod acui, an acuatur, qvod oportebat inflecti? aut qui minus id, qvod dicitur, verum est, si in numero peccetur, aut casu, præpositione, participio, conjunctione? Pompa ista sermonis & oratio missa per regulas concionibus,*

nibus, litibus, foro judiciisq; servetur, deturq; illis imo, qui voluptatum delinimenta qværentes omne suum studium verborum in lumina contulerunt. Cum de rebus agitur ab ostentatione submotis, qvid dicatur spectandum est, non quali cum amœnitate dicatur: nec quid aures commulceat, sed qvas afferat audientibus utilitates, maximè cum sciamus etiam qvosdam sapientiæ deditos non tantùm abjecisse sermonis cultum, verùm etiam cum possent ornatius atq; uberius eloqui, trivialem studio humilitatem secutos, ne corrumperent scilicet gravitatis rigorem, & Sophisticâ se potius ostentatione jactarent. Quibus verbis non obscurè minutam ilam nominum observandorum curiositatem Sophistis propriam facit, qvod & Galenus facit IV. de Methodo, ubi disertè dicit, qvod Sophistica μικρολογεῖ ἐν ὀνόμασι, *multam sapientiam in nominibus qværat.* Qvin ipse Aristoteles, qui inter cætera & hoc ait, *SOPHISTÆ propositum esse, ut respondentem eò adigat, quò barbarè loqvatur, & sic habeat, qvod in eo reprehendat,* lib. Sophist. cap. II. §. 2. 3. Consentit Sextus Philosophus lib. II. Pyrrhoniarum Hypoth. cap. XXII.

CCXXVI. Et hinc quoq; factum est, ut veteres sapientes, si qvando rebus nomina qvædam hactenus non trita imposuissent, neminem ad utendum illis cogerent, sed libertatem aliter appellandi concederent, dummodò in re non dissentirent. Ipse Aristoteles passim monet, rixas de nominibus nihili esse faciendas, dummodo in re conueniatur. Ἀλλὰ διαφερέτω μηδὲν, περὶ ὀνόματος γὰρ ὁ λόγος, τί δεῖ ταῦτ᾽ ἀμφω καλεῖν, inquit III. Polit. c.I. Galenus qvoqve lib. I. de Methodo c. Ix: *Si Dionem aut Theonem appellare velint eorum qvodlibet, mea nihil refert, illud modò intelligant, quod ego volo.* Eum interim qui nova nomina fingit, constanter & perpetuo iis uti oportet, & qvidem in eâdem significatione, licet causas ὀνοματοποιίας exponere non cogatur, in vestibulo præsertim.

Utrumq;

Utrumqve rursus inculcat Galenus. Prius qvidem lib. I. de Methodo c. VIII. his verbis: Θέμενος οὕτως ἢ ἄλλως ὅπως ἂν ἐθέλη σαφῶς καὶ χρησίμως τοῖς ἀκούουσι, μηκέτι μετατιθέσθω, μηδ' ἐξαλλαττέτω τὴν χρῆσιν, ἀλλ' ἀεὶ φυλαττέτω παρ' ὅλον τὸν λόγον, ἵνα καὶ μανθάνωμεν ἃ λέγει ῥαδίως, καὶ τὰς ἀντιλογίας, καὶ τοὺς ἐλέγχους, πρός τι σαφὲς καὶ διωρισμένον ποιώμεθα, *Positis pro arbitrio vel hoc vel alio modo nominibus, dummodò clarè & ex usu legentium, nec mutet posteà, nec transponat eorum usum, sed perpetuo per omnem disputationem observet, quò & qvæ dicat facile intelligamus & refutationes redargutionesqve omnes ad aliqvid clarum distinctumqve referamus.* Posterius autem monet lib. de Symptomatum differentiis cap. I. ubi totam penê doctrinam de impositione nominum, quam hactenus tradidimus, uno veluti pugillo complectitur. Locum integrum adscribere non pœnitebit. Sic ergo ille habet: Τί δὴ οὖν χρὴ ποιεῖν τὸν ἀληθείας ἐραστήν; ἐπιδεικνύναι τὰ παραπλήσια ταῖς ἀλλήλων φύσεσι πράγματα, καὶ διὰ τοῦτο παρορώμενα· κἄπειτα τίθεσθαι κατὰ τούτων τὰ ὀνόματα, μάλιστα μὲν εἰ δυνατόν τε εἴη τὰ συνηθέστατα τοῖς Ἕλλησιν· εἰ δ' ἀγνοοίη ταῦτα, ποιεῖν ἴδια· περὶ πάντων δὲ καθ' ἑκάστου πράγματος ἓν ὄνομα, ἵνα μή τε παρὰ τὴν ὁμωνυμίαν ἀσάφειά τις γίνηται, καὶ σοφίσματα συνίσταται κατὰ τὸν λόγον, μή τε λείπηταί τι πρᾶγμα· τὸ δ' εἴτ' ὀρθῶς, εἴτε οὐκ ὀρθῶς, εἴτε κυρίως, εἴτ' ἀκύρως κεῖται τοὔνομα κατὰ πολλὴν ἐπισκέπτεσθαι σχολὴν, ὅταν ἤδη τὰ πράγματα μεμαθηκότες ὑπάρχωμεν. Ἐν γὰρ τῇ τούτων γνώσει τὸ κατορθοῦν ἐστιν, οὐκ ἐν τοῖς ὀνόμασιν. Ἡμεῖς μὲν οὖν τά συνήθη τε τοῖς Ἕλλησιν ὀνόματα τιθέμεθα, καὶ τὰ παρακείμενα ἀλλήλοις πράγματα διορίζομεθα· τοῖς δ' ἄλλοις, ὀνομάζειν μὲν, ὡς ἂν ἐθέλωσι συγχωροῦμεν· ἀδιόριστον δέ τι πρᾶγμα παραλιπεῖν, οὐ συγχωροῦμεν, *Quidnam igitur est agendum ei, qui veritatis est studiosus? Nempe res ipsas, quæ inter se naturâ sunt similes, eoq; minus advertuntur, ostendere. Dein nomina iis imponere, potissimum quidem, si potis est, quæ maximè sunt in usu. Sin hæc non novit, apta fingere. Ante omnia verò singulis rebus singula, ne qua in sermone vel obscuritas ex homonymiâ nascatur,*

indeq́; sophismata oriantur, vel res ulla omittatur. Illud verò recténe an non rectè, & propriè, an impropriè nomen positum sit, per longius ocium æstimare, cum res ipsas jam intellexerimus. Quippe in harum cognitione successus operis consistit, non in nominibus. Et nos quidem tùm consueta vulgo nomina rebus imponimus, tùm res quæ inter se sunt vicinæ distinguimus. Cæteris nominare quidem, sicuti libet, permittimus, rem aliquam indefinitam relinquere non permittimus. Hæc ibi. Quibus gemina sunt, quæ leguntur lib. I. de Methodo cap. V. De usu nominum, inquit, hæc nostra est methodus. Ἢ ἀπὸ τῆς τῶν πραγμάτων ἄρξεσθαι διαφορᾶς, οὐκ ἀπὸ τῆς τῶν ὀνομάτων· καὶ δεῖξαι λόγου χάριν ἀλλήλοις παρακείμενα τέτταρα πράγματα· κἄπειθ' ἑξῆς ἀποδείξει βεβαιώσασθαι τὸ, μή τι πλείω τούτων εἶναι, μήτ' ἐλάττω τῶν κατὰ τὸ προκείμενον σκέμμα περιεχόμενα· Μετὰ τοῦτο δ' ἤδη καὶ καθ' ἕκαστον τῶν πραγμάτων ἴδιον ὄνομα θέμενον, οὕτω περαίνειν ἅπαντα τὸν ἑξῆς λόγον, οὐκέτ' οὐδαμόσε μετατιθέντα καὶ μεταφέροντα τῶν ὀνομάτων οὐδὲν, ἀλλ' ἀκριβῶς διαφυλάττοντα, καθ' οὗπερ ἂν αὐτὸς ἐξ ἀρχῆς ἐπιτίθηται πράγματος· καὶ γὰρ σαφὴς οὕτως ἡ διδασκαλία γίνεται καὶ τῶν παρὰ τὰς ὁμωνυμίας σοφισμάτων ἐκτὸς, καὶ ῥᾳδίως ἐξελέγχεται τὰ μάτην προκείμενα, καὶ διαλαχέων εὑρίσκεται τὰ λείποντα, καὶ τά τε διαφωνούμενα, καὶ τὰ συμφωνούμενα, μάλιστα ἐν ταῖς τοιαύταις ἑρμηνείαις ἀκριβῶς γνωρίζεται, *Non à nominum,* ait, *sed à rerum incipiendum est differentiâ. Tum quatuor esse ostendẽda, e.g. esse res, quæ in vicino sunt positæ; deinde demonstratione esse confirmandum, quod nec plura sint, nec pauciora, quæ in proposita disceptatione continentur. Postremo conandum esse, ut accommodato rerum cuiq́; suo nomine sic reliquus sermo absolvatur, nec dehinc mutetur, nec transferatur nomen ullum, sed cui rei ab initio impositum est, de eâdem ab eo, à quo impositum est, perpetuò usurpetur. Sic enim,* dicit, *& dilucida erit doctrina, & à cavillationibus, quas æquivocatio parit, libera, & quod frustra est additum, facilè deprehendetur; & quod deficit, citò invenietur, & quæ consonant dissonantq́; maximè in ejusmodi explicationibus,*

nibus, exactè discernentur. Sed satis etiam de modo tractandi.

CCXXVII. Restat ut ultimam in Aristotele obscuritatis causam perpendamus, quæ consistit in rebus ipsis seu sententiis. Hîc primò Aristoteles non paucis fit obscurus, quod eum non legant in propriâ lingvâ, sed versionibus utantur, atqve ex illis sententiam Aristotelis se satis asseqvi posse existiment. At ostendimus nos in antecedentibus satis superqve versiones plurimas ita esse comparatas, ut parum liceat fidere ipsis. Ne ergò decipiamur, necessarium omninò est, ut Græcum textum evolvamus, hujusqve ductum seqvamur. Lib. de memorab. auscultatione hæc leguntur: περὶ τοῖς Ὀμβρικοῖς φασι τὰ βοσκήματα τρὶς τίκτειν τοῦ ἐνιαυτοῦ. Quæ verba ita transtulit Latinus Interpres: *In Ombricis insulis ajunt pecora annis singulis ternos partus edere:* cum Aristoteles non de insulis, sed populis hîc loquatur, qui & ὄμβροι, ab historiis Italis autem Umbri vocantur, observante etiam Stephano Byzantio lib. de urbibus & populis. Sic enim ille: ὀμβρικοί, ἔθνος Ἰταλικὸν, περὶ τὸν Ἀδριανὸν κόλπον, μέσον τοῦ Πάδου καὶ Πικεντικοῦ· λέγονται καὶ Ὄμβροι. – Ὄμβροι παρὰ τοῖς Ἰταλικοῖς συγγραφεῦσι· παρὰ τούτοις ἱστορεῖ Ἀριστοτέλης ἐν τῷ περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, ὅτι τρὶς τοῦ ἐνιαυτοῦ τίκτουσι τὰ βοσκήματα, *Ombrici, populi Italici, circa Adriaticum sinum, medij inter Padum, & Picenticum. Dicuntur quoq; Ombri, ab historicis Italis Umbri. Apud hos refert Aristoteles de mirabilibus auscultationibus, quod ter in anno pariunt pecora.* Alios in fraudem injicit præconcepta aliqva opinio, quam cùm veram esse existiment, videant autem fortè hunc vel istũ locum isti opinioni repugnare, mirè se torqvent, ut talem eliciant sensum, qui cum opinione istâ consistere qveat. E. gr. Sunt qvi opinentur Deum secundum Arist. esse ubiqve præsentem etiam secundum essentiam; at huic sententiæ obstare videtur, qvod passim Aristoteles Deum in cœlo esse dicit, tanqvam in sede propriâ, velut IIX. Phys. c. XV. I. de cœlo III. t.

 22. c. IX.

22. c.IX. t.10. lib.II. c.I. t.2. c.X. t.66. Quod ipſum docet & Auctor libri de mundo ad Alexandrum c. II. & XI, qvem illi ipſum Ariſtotelem eſſe dicunt. Atqve hinc admodum ſe macerant in exponendis hiſce locis, ne opinioni ſuæ aliqvid decedat. Dicunt Ariſtotelis hanc eſſe mentem, qvod Deus licet ubiqve ſit ſecundum eſſentiam, in cœlo tamen ſingulariter eſſe dicatur, qvod ille locus magis ſit particeps virtutis & operationis divinæ, non videntes hæc diſertè repugnare iis, quæ habet Auctor libri de mundo. Is enim & ipſe quidem diſtinguit inter *Deum ipſum καθ' ὀυσίαν* conſideratum & *δύναμιν* ejus, verum non dicit ſecundum illam Deum eſſe ubique, ſecundum hanc autem eſſe ſingulariter in cœlo, ſed contrarium potius. Sic enim ille cap. XI. (VI): *Veterum*, inquit, *nonnulli eo usq; provecti ſunt, ut HÆC OMNIA dictarent DEORUM eſſe PLENA- ſententiæ illi fundamenta jacientes, DIVINÆ fortaſsè POTENTIÆ, NON ITEM DIVINÆ ESSENTIÆ congruentia &c.* Ita ſunt non pauci, qui exiſtimant, etiam ſecundum doctrinam Ariſtotelis animam eſſe actu primo in ſemine, & ex eo ſibi corpus fabricare, inter quos eſt & Scaliger Exercit. VI. Sed hi ipſi itidem hâc hypotheſi ſtante non poſſunt, qvin in exponendo Ariſtotele graviſſimè hallucinētur, mentemq; ejus miſerè pervertant. Nihil enim magis adverſum eſt doctrinæ ejus, quàm hoc ſtatuere, formam alicujus compoſiti, in materiâ, ex quâ fieri debet compoſitum, eſſe actu. Forma namqve dat eſſe rei & facit, ut id, quod ante potentiâ erat tale, cum nondum gaudebat formâ, ſit actu tale. Unde & actus dicitur paſſim ab Ariſtotele. Qvodſi jam in ſemine actu eſſet anima, v.gr. hominis aut plantæ, tum illud jam actu eſſet homo, aut actu planta. Qvod autem jam eſt, non fit demum. Aliud enim eſt eſſe, aliud fieri. Exſereret etiam operationes aliquas vitales anima ſi in ſemine jam actu eſſet: ex operationibus enim cognoſcimus adeſſe formam, qvæ eſt principium operationum, II. de An. V. at operationes vitales nullæ ſe exſerunt in ſemine. Neqve

enim

enim semen nutrit, neqve generat sibi simile, multò minus olfacit, videt, audit aut ratiocinatur. Reqviruntur enim ad id organicæ in materiâ dispositiones, qvæ in semine non reperiuntur. Non igitur actu, sed potentiâ solùm in semine animam esse Aristoteles docet. Hanc esse ejus sententiam manifestum est ex II. Gen An. c. III. *Animam vegetalem*, inquit, *in seminibus & conceptibus nondum separatis haberi potentiâ statuendum est, non actu; priusqvam eo modo, qvo conceptus, qvi jam separatur, cibum trahant, & officio ejus animæ fungantur.* Qvæ sententia si retineatur, perspicua erit mens Aristotelis ubiqve. At illi qvia aliam de sententiâ ejus opinionem fovent, non hunc solùm, sed longè plures prætereà locos depravant. Veluti illum ex II. Gen. Animal. c. V. ubi ova, qvæ à subventaneis distingvit, *viventia* appellat. Dicunt enim id ideò fieri, qvia Aristoteles existimârit animam ἐνεργείᾳ & actu ipsis inesse, omnibusqve seminibus. Nam & ovum semen aliqvod est, videlicet pulli: cum tamen satis clarum vel ex illo ipso loco sit, hanc ejus rationem non esse, sed ideò ova illa vocari viventia, quod non sint sterilia, qvemadmodum ova subventanea, sed fœcunda, adeò ut ex ipsis ἐνεργείᾳ ἔμψυχον, *actu animatum*, sive pullus vivus generari possit. Alias, qvod propriè non vivant ova ex sententiâ Aristotelis, satis patet vel ex lib. de respirat: cap. XVII, ubi negat ova & semina plantarum propriè mori, qvia scilicet mori non potest, quod vitam non habuit in antecessum. Idem dicendum est de omnibus illis locis, in qvibus Aristoteles semini concedit vim aliquam conformatricem, eámque animæ refert acceptam. Non enim id intelligit de animâ prolis, qvæ ex illorum mente jam est in semine, sed de animâ generantis, à quâ derivatur vis illa activa, qvæ est in semine, & qvasi motus aliquis, qui imprimitur semini à generante, à quo successivè educitur generatio unius partis & post hanc conseqventer & aliarum. CCXXIIX.

CCXXVIII. In eundem ſcopulum incurrunt, qui cum exiſtiment cauſam efficientem motus gravium & levium eſſe internam gravitatem & levitatem ſive ipſam naturam, aut formam gravium & levium, principium illud ex VII. Phyſ. *Qvicqvid movetur, movetur ab aliqvo*, ita exponunt, qvaſi Ariſtoteles per illud aliquid non præcisè intellexerit aliud quid ab eo quod movetur, ſed aliquid indeterminatè. Quædam enim, ajunt, moventur ab aliquo, ut in animalibus corpus ab animâ, qvædam autem à ſe ipſis, ut gravia & levia. Quæ tamen ſententia apertè adverſatur Ariſtoteli & evertit uno ictu demonſtrationem illam, qvâ fusè probat dari primum movens immobile. Hæc enim nititur non iſto principio: *Quicquid movetur, movetur ab aliqvo*, ſeu à ſeipſo ſeu ab alio, ſed illo: *Qvicquid movetur, ab alio movetur*, veluti lapis à baculo, baculus à manu, manus à bracio, brachium à corde, & ſic deinceps, donec ad primum perveniatur, qvod moveat cætera, ita ut ipſum immobile exiſtat: quale quidem dari neceſſarium eſt, cùm non ſit procedendum in infinitum. Et nonne ſatis evidenter Ariſtoteles, cùm alibi, tùm VIII. Phyſ. t. 32. IV. de cœlo t. 25. & lib. de motu anim. c. IV. *gravia & levia*, veluti elementa, dicit *non moveri à ſe ipſis, ſed à primo generante*. Qvod etiam certum eſt. Qvi enim poſſibile eſt, ut elementa, cum ſint ſimilaris prorſus naturæ, à ſeipſis moveantur? Corpus ab animâ moveri mirum non eſt, cum ſit alius naturæ: at qui ignis à ſeipſo moveri poſſit, cum per omnia ſibi ſit ſimilis, non video. Cujus enim reſpectu movebit? Forma, ajunt, movet, corpus movetur. At hoc nihil eſt. Non enim à materiâ ſola ignis habet ut moveatur ſurſum, ſed & à forma. Materia enim actu nec gravis eſt, nec levis lib. IV. de cœlo c. ult. Sic nec ejus ratione præcisè aliqvid movetur ſurſum aut deorſum, ſed hoc præcipuè habet à forma. Unde & natura, quæ πρώτως dicitur de forma, δευτέρως ſaltem de materia, non dicitur principium τοῦ

κινεῖν

νεῖν, sed τοῦ κινεῖσθαι, lib.II.Phys.cap.I. A gravitate ergò non habent gravia ut moveant, sed ut moveantur. *Nihil*, inquit Aristoteles, *illorum* (gravium & levium) *se ipsum movet, sed motus quidem principium habent*, verùm non τοῦ κινεῖν, neqve τοῦ ποιεῖν, sed τοῦ πάσχειν II. Phys. text.32. Et text.38. impossibile esse dicit, ut gravitas in materia moveatur ab eadem gravitate in materia: id enim idem esset ac si projiciens, quatenus projiciens, projiciatur, aut docens, quà talis, doceatur. Moveri tamen ea ab aliquo necesse est. *Moventur* ergò, inquit Aristoteles, *à primo generante*. Illud enim rebus gravibus & levibus dat formam seu actum primum, per quem sunt gravia aut levia: actum primum autem sponte suâ sequitur actus secundus, nisi quid obsit. *Cùm generatur grave & leve, statim illud deorsum, hoc sursum fertur*, inquit Arist. IV. de cœlo t. 25. si nihil impediat externum. Internum enim nihil impedire potest, quia immediatè actus primus fertur in secundum. Sed quia hic quandoqve sine externis concurrentibus se non exserit ideò defectus externi adminiculi obstaculo esse potest, quò minus actus primus ad perfectionem suam (neque enim actus accidens est actus primi, sed finis ejus & perfectio I.M.M. III. IX. Met.t.16. II. de I. t.56. II. de cœlo t. 17.) perveniat, quod ultrò futurum fuisset, si externa impedimenta fuissent remota. V.g. Si genitum grave detineatur, non sequitur actus secundus, ferri videlicet deorsùm, non quasi causa primaria deficiat, ea enim jam fecit, quod debuit, nempe generavit grave, eiqve indidit talem naturam, per quam propriâ inclinatione ferretur deorsùm, sed quia externum est impedimentum, quod quicunqve removet, is dicitur esse causa motus deorsùm per accidens: sicut is, qui pilam projicit, per se ei vim tribuit, ut in directum moveatur, si verò offendit parietem, resilit per accidens; velut artifex, qui arcum fecit & nervum extendit, per se ipsi hunc locum & situm tribuit, qui in arcu conspicitur, at si

impedimentum accidat & aliquis vi attrahat nervum, mox autem manum amoveat, proprium situm iterum occupavit ob actum, qvem ei communicaverat is qvi fecerat. Hic enim causa istius situs est per se, alter autem ille, qvi impedimentum removit, est causa ejus per accieens. Imò, quantum ad gravia & levia, motus secundus nunqvam est sine primo, etiamsi non semper usqve adeò sit aotabilis. Manifestum id est in lapide, filo aliqvo ad parietem suspenso. Semper enim is deorsum nititur, etiamsi id adeò conspicuum non sit, donec tandem prævaleat & filum rumpatur. Quod autem objiciunt ex VII. Phys. II. & I. Gen. & corr. cap. VI. *agens* & *patiens*, *movens* & *motum* oportere esse *simul*, id non ità intelligendum est, qvasi necesse sit movens comitari id qvod movetur, usqve in finem, sed satis est, si aliqvando movens tetigerit, velut patet in seminibus, qvæ accepto motu à generante eo abjuncto adhuc moventur, ut paulò antediximus ex II. Gener. An. I. Item in sensibilibus, qvibus semotis remanet adhuc motus aliqvis in sensibus. Cujus simile quid licet observare & in artificialibus velut in horologiis, in qvibus videmus primâ rotâ motâ, moveri cunctas alias rotas, & ita extrinsecus qvoqve moveri indicem illum, qvi horas ostendit, qvi exterius ex se ipso moveri videtur, cum tamen non à seipso moveatur, sed ab exterioribus rotis, qvæ à primâ rotâ moventur, motâ & ipsâ ab intrinseco motore, qvi in principio qvidem ipsam tetigit, mox autem motu primæ rotæ impresso à movendo cessavit, motu interim in horologio non cessante, qvod partes ita sint in eo constructæ, ut facilè possint moveri, cum primus ab aliqvo extrinseco motore est impressus motus. Tale qvid cùm in artificialibus, qvæ ita non per se, sed accidens moventur, motu non naturali, sed præternaturali, obtineat, quidni in animalibus obtineret, quæ inclinationem naturalem ad talem vel talem motum habent?

CCXXIX.

CCXXIX. Et quis omnia enumerare poteſt, quæ hodie pro decretis Ariſtotelis venditantur, & tamen vel à Stoicis, vel aliis petita ſunt, & cum iis, quæ verè Ariſtotelica ſunt, conciliari nullo pacto poſſunt, veluti Rhetoricam & Dialecticam nõ aliter differre ac manum expanſam & in pugnũ clauſam, qvod pluribus & ornatioribus verbis Rhetor explicet, qvæ Dialecticus ſtrictè magis & paucioribus verbis tranſigat, quam ſententiam Ariſtoteli tribuit ipſe Cicero. Logicæ duas eſſe partes, inventionem & judicium qvarum illa ad Dialecticam, hæc ad Analyticam pertineat. Quaſi verò & Analytica non habeat ſuam inventionem, velut inventionem ſyllogiſmi, de qvâ II. Prior. xxvii. ſeqq. item definitionis, qvæ principiũ demonſtrationis eſt, de qvâ diſſeritur II. Poſt. c. XIII: & Dialectica ſuã diſpoſitionem, qvæ ad judicium ſine dubio pertinet, de qvâ ex profeſſo diſputatur VIII. Top. Duas eſſe Philoſophiæ partes, *Theoreticam & Practicam*, cum tamen ipſe paſſim & effectivam laudet, veluti III. de cœlo X. Item diſciplinas practicas & effectivas non eſſe propriè dictas ſcientias, cùm tamen diſertè æqvè harum, ac Theoreticarum diſciplinarum, genus conſtituat ſcientiam, veluti VI. Topic. VI. §. 23. cap. XII. §. 5. VIII. Top. c. I. §. 23. VI. Met. III. genus autem non debeat eſſe improprium IV. Topic. III. §. 3. & 5. In eodem cenſu eſt & illud: Bonorum juxta Ariſtotelem tria eſſe genera, *animi, corporis & fortunæ*, cùm tamen diviſio hæc nullibi in eo reperiatur, qvi bona potius dividit, in bona *animi, corporis & externa*, veluti VII. Polit. c. I. I. M. M. III. Bona externa autem non ſunt eadem cum bonis fortunæ, ſed communia bonis externis & corporis, ut liqvidò apparet ex I. Rhet. c. V. Non aliter ſentiendum eſt de illo dogmate, *ignem propriè dictum* eſſe proximum *Globo Lunæ*. Hoc enim Ariſtoteleum eſſe omnes penè dicunt, cùm tamen ille non loqvatur de igne propriè dicto, ſed exhalationem intelligat calidam & ſiccam, qvam nomi-

ne ignis venire, ait, cùm tamen propriè ignis non ſit. Sic enim expreſſè ſcribit I. Met. c. III: *Graviſſimũ corpus atq; frigidiſſimum, terra & aqua in medio & circa medium ſegregata exiſtunt, circa qvæ illa quoq; ſunt, quæ hiſce incumbunt, aër ſcilicet,* καὶ ὃ διὰ συνήθειαν καλοῦμεν πῦρ, οὐκ ἔστι δὲ πῦρ, *atq; id, quod quamvis ignem conſuevimus appellare, ignis tamen haudquaquam eſt.* Quod ipſum repetit c. IV. Confer. & qvod jam ante qvoqve annotaverat II. Gen. & Corr. c. III.

CCXXX. Neceſſarium ergò omninò eſt, ut liber ſit ab omni præconceptâ opinione, qui ita legere vult Ariſtotelem, ut mentem ejus plenè percipiat. *Non inferendus*, inqvam, *eſt in ipſum ſenſus ex alieno cerebro, ſed ab ipſo petendus*, ut nihil afferatur in ejus expoſitione, qvod non pro ſuo agnoſceret, ſi reviviſceret. Id qvod & in communi ab unoqvoqve cujuscunqve auctoris interprete requirit Ammonius, ut ſtudeat τὴν τοῦ ἀρχαίου διάνοιαν σαφηνίζειν & ἑρμηνεύειν, non τὰ ἡμῖν, ſed τὰ αὐτῷ δοκοῦντα. *Galenus* qvoqve *abeſſe debere*, ait, *ab interprete ſenſa ſua inferre*, aut ut Baſilius loquitur, καθ' ἰδίαν θέλησιν explicare. At id non ab omnibus obſervatur. De qvo paſſim conqveruntur ſcriptores, velut Vigilius, qui *cardinem hunc peſſimum & malorum originem* eſſe clamat, *ſcripta non ſecundum ſui qualitatem ſenſus, ſed vitio intelligentium in alias res pro lubitu detorquere.* In cauſa eſt præconcepta, ut diximus, opinio. Ut enim tinniente aure intus, difficulter auditur ſonus exterior, ut lingva amaro humore illita, omnia judicat eſſe amara, ut ictericis omnia videntur pallida, cruenta iis, qui ſuffuſione oculorum laborant; deniqve ut iis qvi perſpicillo colorato utuntur, omnia taliter colorata apparent, qvaliter coloratum eſt ipſum perſpicillum: Ita qvorum animos præoccupavit opinio de Scriptore aliqvo veritati minus congruens, illis niſi opinionem illam mittant & ſine præjudicio autorem legant, mentem ejus rectè exponere neqvaqvam licebit.

CCXXXI.

CCXXXI. Aliis, qvo minus mentem Ariſtotelis aſſequantur, glaucoma imponunt pravi affectus, qvia aut amore ejus nimio aut odio ſunt faſcinati. Illi Ariſtoteli interdum nimium tribuunt, qvaſi & ea cognita habuerit, quæ nobis non niſi ex revelatione perſpecta ſunt, veluti intellectum à Deo ex nihilo creari, quod inſinuatum ab illo eſſe volunt verbis ex II.Gen. An.III, quibus intellectum θύραθεν, *forinſecus* accedere dicit. Hoc enim idem eſſe volunt, quod creari ex nihilo; cum tamen creatio ex natura cognoſci non poſſit, ſed potius fidei ſit articulus, ut jam ante dictum eſt ex Hebr. XI. v.1. Hi autem ea, quæ optimè ab Ariſtotele ſunt poſita, pervertunt, talemqve ipſi ſententiam tribuunt, quæ nunquam ei in mentem venit, à quo crimine ne ipſe quidem Galenus, qui tamen in multis ſe Præceptorem habuiſſe Ariſtotelem ipſemet faſſus eſt, abſolvi non poteſt. Scribit alicubi hic, nempe in II.Gen. An. III. ſemen poſtquam dedit principium motûs, διαλύεσθαι καὶ πνευματοῦσθαι. Hoc ita explicat Galenus I. de Sem. IV. quaſi voluerit ſemen verti in flatus & ex utero elabi. At aliud, ſi vel hunc ipſum locum excuſſiſſet, deprehendere potuiſſet. Comparat enim ibi ſemen *coagulo* hoc ſenſu: Qvemadmodum coagulum dat lacti coagulando principium, & poſtquam dedit, in partes minimas diſſolvitur, & ita ſubſtantiæ lactis permiſcetur, ut vis quidem ejus deperiſſe non ſentiatur, (illi enim acredo caſei accepta ferenda eſt) ſubſtantia tamen ipſa oſtendi non poſſit: ſic ſemen, poſtquam principium motûs dedit, faciendo cor, ita ſeſe præcipuâ ſua parte inſinuat, ut vim ejus, perpetuum, inquam, motum & calorem, ſentire difficile non ſit, licet ſubſtantia ad oculum oſtendi non poſſit. Quem enim latet, quod διαλύεσθαι non rarò pro eo ponatur, quod eſt in partes diſſolvi? πνευματοῦσθαι autem non ſemper idem valere, quod evaneſcere, ſed & idem, quod ſpiritûs ſive habitûs in modum alicui allabi, eique adhærere, ſicut alimentum parti-

partibus allabitur adhæretqve? Ad hunc igitur modum existimat Aristoteles, id quod potissimum est in semine (hoc autem spiritus est) particulis cordis sese insinuare cæterisqve partibus, quæ hujus substantiæ vel non tantum acceperunt, vel non tàm præstantem partem, virtutem vivificam communicare. Mas enim non confert quidquam ad fœtus quantitatem, confert tamen ad qualitatem, ut est in I. Gen. An. XXI, confert, inquam, nativam illam caliditatem, seu calidum nativum, quod in omnibus animalium partibus & in toto eorundem corpore est, lib. de Juvent. cap. IV. præcipuè autem & eminenter in corde, ex quo nisi effluat aliis partibus omnibus, illudqve alterum excitet & quasi animet, animal rebus suis præesse non potest.

CCXXXII. Idem Philosophus passim docet, *nervos esse ex corde.* Hoc Galenus & multi cum ipso Aristoteli minus faventes ità accipiunt, quasi existimarit nervos secundum viscosam illam & pituitosam materiam inde ortum trahere, cùm tamen experientiâ teste in corde istiusmodi materia non reperiatur. At tale quid asserere Aristoteli fortè nunquam venit in mentem. Statuit is, nervos nihil aliud esse, quàm venulas & arteriolas multas, in fibras rectas desinentes, quæ in egressu ex cerebro vel spinali medullâ in unum veluti funiculum aut corpus ex pluribus canalibus ac tenuissimis compositum coëuntes constituant nervos. Hanc esse ejus mentem non obscurum esse potest ei, qui probè expendit verba illa ex III. Hist. Anim. c. III: *Vena aorta* (cava) *arctior & nervosa est, deductaq; longius*, h. e. ad caput aut imas partes, *in angustum admodum coarctatur, ac nervi naturam ex toto accipit.* Et c. V inquit: *Aorta nervosa est, præsertim extrema ipsius, quippe quæ sine cavitate sunt, & hujusmodi extensionem habent, qualem nervi, quâ desinunt ad ossium nodos seu inflexiones; sed non est continua nervorum natura ex uno principio ut venæ (non enim est communis aliquis magnus nervus, à quo omnes continuo ductu deriventur.)*

tur.) Hæc ille. Dicit manifestè, nervum nihil aliud esse, quàm extrema aortæ alia quidem in capite, id est, in cerebro naturam nervi accipientia; alia autem circa imas partes, id est, circa articulos totius corporis. Aristoteles enim vocabulum νεῦρων latius accipit, ut membranas quoqve ossium, tendines & ligamenta articulorum hac appellatione comprehendat. Sint ergò nervi ex cerebro secundum substantiam extimam, ex corde tamen sunt secundum vasa, quæ includunt, venas, inquam, & arterias, cum quibus oportet nervos esse continuos, quod opera, quæ horum beneficio obeuntur, procul dubio fiant mediantibus spiritibus. At horum sedes in corde est: ex illo ergò via fit in nervos necesse est: Non potest autem esse alia, qvàm per venas & arterias. Taceo, quod in majoribus nervis, si præcidantur, ad sensum venulæ seu arteriæ parvæ per totam longitudinem eorum distentæ pateant. Qvod autem earum ductus adeò manifestus non sit, mirari nemo debet. Evenit enim hîc, qvod in pretiosis qvibusdam operibus, qvæ è multis variisqve filis ita contexuntur, ut ne ipse qvidem artifex vel retexuerit, vel filorum ductũ facilè ostenderit. Sed & illud non omittendum, non paucos Aristoteli imponere, qvod statuerit fœminam esse monstrum; idqve, ut demonstrent, partim adducunt locum ex IV. Gen. An. III. ubi dicit, eos, qvi non sunt similes parentibus, esse qvodammodo monstra, qvod in talibus natura aliqvatenus reliqverit genus suum; hujus autem rei primum initium esse fæminam generari, non marem: partim id urgent, qvod monstrum dicit esse *ἀναπηρίαν τινα*, fœminam autem passim *ἀναπηρίαν* qvandam appellat. Verùm si id non est malâ fide agere cum bonis auctoribus, nescio quid tandem sit? Neqve enim simpliciter Aristoteles affirmat fœminam esse *τέρας*, sed ut omnibus ansam præscinderet calumniandi, bis repetit *τρόπον τινα*, *qvodammodo*. Quem autem latet id qvod qvodammodo

modo tale est, absolutè loqvendo non esse tale. Sophistam agit, qvi ex illo hoc inferre vult. Vid. lib. Sophist. Elench. cap. VI. §. 5. & c. XXV. §. 1. seqq. Dicit Aristoteles fœminam esse τέρας τρόπόν τινα, quia natura qvoties mas non gignit marem, excurrit & digreditur quadantenus a regiâ via, nec attingit gradum illum, qvem primò intendebat, atque sic hujus gradus respectu declinat quadântenus ad monstri generationem, nec tamen ob id monstrum facit. Si enim gradus ille monstrum faceret, monstrum foret qvoqve, qvoties mas fortis generat marem debilem. Unde & in seqq. expresse negat, *fœminam esse monstrum*, additâ ratione, *quia fœminæ generatio sit necessaria in iis, quæ sexu sunt distincta.* At monstrum gigni non est necesse, intellige propter causam finalem, sed qvoties fit, fit ex necessitate materiæ. Ex eo autem qvod Aristoteles dicit, fœminam ἀναπηρίαν τινα, mutilationem qvandam, contrarium nullo pacto colligi potest. Neqve enim si omne monstrum est ἀναπηρία τις, propterea omnis ἀναπηρία est monstrum, cum propositio universalis affirmativa non ἁπλῶς sed ἐν μέρει, *non simpliciter*, sed *particulariter*, convertatur, I. Prior. II. Quò accedit, qvod Aristoteles disertè affirmet, fœminam esse ἀναπηρίαν φυσικὴν, *defectum secundum naturam*, & qvi à natura intendatur: at monstrum est παρὰ φύσιν, qvod à natura non intenditur VII. Phys. 3. & 8.

CCXXXIII. Reqviritur ergò in eo, qvi dextrè & fideliter de sententia ut scriptoris cujuscunqve, ita & Aristotelis judicare vult, κρίσις ἀδέκαστος, *judicium incorruptum*, ut nullis sit fractus aut concussus affectibus, & neqve amore eius, neque odio fascinatus. Occupari enim affectibus simile est acsi qvis eam, qva usurus est *regulam*, prius reddat *perversam* I. Rhet. I. Et, ut Seneca ait epist. Lxx, *affectus rem consilio & cogitatione videre non sinunt.* Unde & Philostratus definit ἀδεκάστους, τοὺς μήτε εὔνους, μήτε δύσνους. Talem ergo non competit

petit esse interpretem fidelem. Non oportet eũ, ut verbis Ammonii id eloqvar ex prolegom. in Categ. τὰ κακῶς λεγόμενα, κατ᾽ ἔννοιαν ἐπιχειρεῖν συνιστᾶν καὶ ὡς ἀπὸ τρίποδος ταῦτα δέχεσθαι· μήτε τὰ καλὰ, κακοτρόπως δέχεσθαι κατ᾽ ἀπέχθειαν, ἀλλὰ κριτὴς ἀπαθὴς τῶν λεγομένων ὑπάρχειν. h. e. *neq; benevolentiâ in auctorem ea quæ perperam dicta sunt pertinaciter tueri tanqvam ex tripode omnia dicta essent, neq; ea, quæ verè & rectè dicta sunt, perversè ex odio interpretari, sed incorruptum eorum, quæ dicuntur, se judicem præbere.* Qvæ singula reqvirit & Simplicius prolegom. in Categ. ita scribens: Τὸν δ᾽ ἄξιον τῶν Ἀριστοτελικῶν συγγραμμάτων ἐξηγητὴν δεῖ κρίσιν ἀδέκαστον ἔχειν ὡς μήτε τὰ καλῶς λεγόμενα, κακοσχόλως δεχόμενον ἀδόκιμα δεικνύναι, μήτε εἴ τι δέοιτο ἐπιστάσεως, πάντῃ πάντως ἄπταιστον φιλονικεῖν ἀποδεῖξαι, ὡς εἰς τὴν αἵρεσιν ἑαυτὸν ἐγγράψαντα τοῦ φιλοσόφου, *Dignũ autem Aristotelicorum Scriptorum expositorem oportet omnium qvocunque loco judicium habere sincerum, ut neq; ea quæ rectè dicta sunt, malo more suscipiendo, invalida ostendat, neq; si quid adversione indigeat, omni contentione, inculpabilia monstrare, quasi in Philosophi hujus sectam sese inscripserit.*

CCXXXIV. Porrò non exiguæ multis causa obscuritatis est, qvod Aristotelem non ex Aristotele explicent, sed ex interpretibus mentem ejus discere annitantur. Et hi qvidem rursus sunt in multiplici differentiâ. Quidam unum aliqvem eligunt, ejusqve interpretationem ceu cynosuram in omnibus seqvuuntur. Unde fit ut illo labante, & ipsi labantur. Verissimum enim est, qvod ait Cicero I. de naturâ Deorum n. X: *Obest plerumq; iis, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur. Desinunt enim suum judicium adhibere. Id habent ratum, quod ab eo, qvem probant, judicatum vident.* Alii plures inter se conferunt, eamque explicationem, quam à plerisqve recipi vident, & ipsi amplectuntur. Sed & hi non semper à lapsu sunt immunes: Qvod enim de vita dicit Seneca lib. de vitâ beata cap. I. *Nulla res nos majoribus malis implicat,*

 cat,

cat, qvàm qvod ad rumorem componimur: optima rati ea, quæ magno assensu recepta sunt, qvorumq; exempla nobis multa sunt, nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus. Inde ista tanta coacervatio aliorum supra alios ruentium. Qvod in strage hominum magnâ evenit, cùm ipse se populus premit, nemo ita cadit, ut non alium in se attrahat, primi exitio seqventibus sunt; Idem & de interpretatione auctorum dici potest, si qvis ad multitudinem se componat, & qvod huic visum est, unicè habeat ratum. Deniqve sunt, qvi locum aliqvem obscurum intelligere volentes, omnes interpretes evolvunt eosq; inter se committunt, explicationes ipsorum examinant, & qvæ ex illis sibi optima videtur, eam assumunt, cæteris rejectis. Verùm hi, qvi ita legunt Aristotelem, non parum seipsos retardant. Dum enim nimium temporis conterunt in percurrendis, confirmandis, rejiciendis tot sententiis, fit, ut vix anno vertente libellum exiguum aut aliqvot saltem capita perlegere valeant. Ut taceamus, inani illo disputationum strepitu animum legentium obsurdescere & conturbari, ut fructum ferè nullum capiant, & nihil minus, qvàm mentem Aristotelis exqvisitè comprehendant. Unde enim norunt, hanc qvàm ipsi præferunt expositionem alteri, esse genuinam? Sanè id aliunde cognoscere non possunt, qvàm ex ipso Aristotele, si loca aliqvot inter se conferant, & ex illis qvæ sit mens ejus colligant. At id præstare possunt, etiamsi reliqvo labore prorsus supersedeant. *Fingite*, ait alicubi Doctissimus Turnebus, *Aristotelem urbem aliqvam esse, ad qvam vobis perveniendum sit, non, ut opinor, si viam ad urbem ferentem rogetis, æqvo animo feretis, si qvis dicat, hanc viam Alexander secutus est, sed in puteum cecidit: istam Themistius, sed in præcipitium ruit: illam Simplicius, sed incidit in latrones: aliam illam Philoponus, sed in toto triduo erravit, nec in urbem venit; ut opinor, isti nugatori diceretis, non qværimus, quà sit eundum, sed*

qvà

qvâ minimo negotio, nullo periculo, brevi compendio in urbem veniendum sit. Idem in Aristotelis interpretatione seqvendum est consilum, non longo flexu & ambage se ipsum aut alium circumducere oportet, nec per errorem & dispendium itinerum fatigare, sed rectà statim ad ejus urbem, domicilium, penatesq; tendendum est; qvod fiet, si Aristotelis mens ex ipso Aristotele explicetur. Hoc autem qvomodo fieri qveat, ex his, qvæ seqventur, intelligi poterit.

CCXXXV. Principiò cavendum est, ne qvis ex singulis verbis, sed ex *perpetuitate*, ut Cicero loqvitur, & *constantiâ* sententias æstimet. Qvod in uniuscujusqve auctoris lectione idem observari vult, & longè ante eum Plato, qvi disertè in Phœdro vetat λογογραφικῇ nos ἀνάγκῃ implicari, sed ex totius compage & κατπυρισμῷ, ex contextuum serie, juncturâ, occasionibusq; genuinam autoris sententiam petendam esse monet. Quò & JCtorum illud decretum pertinet, *incivile esse de verbis quibusdam legis velle judicare, non inspectâ totâ lege*. Scientia enim cum non consistat in cognitione nominum, sed rerum, ideò viri sapientes, rebus quippe intenti, in nominibus non multum operæ ponunt, sed concisè interdum & ambiguè loqvuntur, ut omninò non ex singulis nominibus, sed ex continuâ verborum serie de ipsorum mente sit judicium faciendum. Id quod vel in ipsis etiam *axiomatibus* interdum observandum est, quæ non ita absolutè, ut posita sunt, accipienda veniunt, sed certis determinationibus ex toto contextu petitis sunt circumscribenda, ne quæ supersint ambiguitates. E. gr. lib. I. Phys. cap. I. dicit Aristoteles, in tradendis scientiis procedendum esse ab iis, quæ sunt *nobis notiora*, ad ea, quæ *naturâ suâ sunt clariora*. Indeqve porrò concludit, ab *universalibus* progrediendum esse ad *singulare*. *Universale* enim esse *totum quiddam*, hoc autem *notius* esse secundum *sensum*, adeoqve *quoad nos*. His è diametro adversari viden-

videntur, quæ leguntur I.Poſt.II.§.11. Ait enim *à ſenſibus longius abeſſe, quæ ſunt maximè univerſalia, proxima autem eſſe ſingularia*, adeoqve illa eſſe ſuâ *naturâ*, hæc autem *nobis clariora*. At reverà nulla eſt contradictio, ſi modò quis ex totius contextus ſerie mentem Ariſtotelis in ſingulis locis inveſtiget. Inveniet enim voce univerſalis eum non in eadem uti ſignificatione. In Phyſicis quidem univerſalia vocat communia illa & primò intellecta, quæ multiplicem diviſionem ſortiuntur, & dividenda ſunt, ut ſub diſtinctiore formâ appareant, ad cujus cognitionem jam perſpicacior requiritur intellectus. Id qvod manifeſtum reddit tùm exemplum, quod ſubjungit Ariſtoteles (declarans enim, quod dixerat, *univerſale eſſe nobis notius, quàm particulare*, ait patere illud vel inde, quod *pueri univerſaliter primum omnes viros appellent patres & omnes fœminas matres, donec particulariter proprium patrem & propriam matrem cognoſcant*;) tùm modus tractandi. Primum enim univerſale, à quo ille tanquàm à nobis notiori ad alia progreditur, eſt hoc: *Neceſſe eſt aut unum eſſe principium, aut plura* text. 6. Quod excipit alterum: *Si unum eſt, neceſſe illud aut mobile eſſe, aut immobile*, & quæ ſeqvuntur. At in poſterioribus univerſale accipit in peculiari & demonſtratori propriâ ſignificatione, nempe pro eo, quod proprium eſt alicui rei & cum eâ reciprocatur, ſive pro ipsâ propoſitione ἀντιστρέφων, modò ea vox ſumatur in eâdem ſignificatione, quâ II. Prior. XXII. I. Poſt. XIII. §.1. ſumitur, nempe pro iis, quæ inter ſe ſunt paria, hoc eſt, ſimul convertuntur, nec unum altero latius patet, ut ſunt definitio & definitum, ſubjectum & proprium πάθος. Aliàs enim & alias habet ſignificationes, ut videre eſt ex I.Rhet.I.lib. Categ.cap.VII. II.Topic.I. & aliis locis. In hoc ſenſu vocem univerſalis uſurpâſſe Philoſophum in cit. ex Analyticis loco, obſcurum eſſe non poteſt ei, qui conſiderat, quâ occaſione dixerit, quod univerſalia ſint naturâ notiora. Nempe agit ibi de

de propositionibus, ex quibus demonstratio constat, & ostendit has oportere naturâ esse clariores, tales porrò esse propositiones universales, ex quibus & insequentibus passim demonstrationem componi oportere asserit, velut cap. IIX. §. 1. c. XIII. §. 1. &c. Jam autem demonstrationes componuntur ex talibus propositionibus, quæ ex terminis convertibilibus constant. Talis ergò sit propositio universalis necesse est, quod & ipse satis disertè indicat, scribens: *Universale hîc dici, quod & de omni dicitur, & per se, & quà ipsum* I. Post. c. IV. §. 9. Ita enim insunt, quæ convertuntur. Ut autem hoc universale est, ita propositio universalis est, quæ ex istiusmodi constat.

CCXXXVI. Placet idem alio adhuc exemplo illustrare. Lib. II. Rhetor. c. XIX. & alibi passim dicit *eandem facultatem* esse *contrariorum*. Quod tamen nisi cautè intelligatur aut debitè limitetur, universaliter verum non est. Vel triplicem enim obtinere potest sensum, adnotante etiam M. Antonio Mureto IIX. Variarum Lectionum c. VII. Nempe intelligi potest vel de *vi eâ*, quæ est *in ipsis contrariis*, quam vulgò appellant *facultatem insitam*; vel de ea, *quâ contraria apprehenduntur*, quam dicunt *facultatem percipientem*; vel de eâ, quâ *efficiuntur*, quam nominant *facultatem efficientem*. De omnibus his facultatibus effatum illud verum non est. Quod enim vim *insitam* attinet, ea una eademq; non est contrariorum, sed contraria. Non enim eadem vis est insita frigori & calori, quoniam frigus vim habet contrahendi, calor laxandi; frigus congregandi & heterogenea & homogenea calor autem tantùm homogenea, & disgregandi heterogenea. Item non eadem inest vis albo & nigro. Illud enim dissipat visum, hoc colligit. De vi autem *percipiente* si sit sermo, absolutè verum est, eandem facultatem esse contrariorum. Eadem enim facultate cognoscimus album & nigrum, nempe visu; eadem humidum & siccum, calidum & frigidum, grave & leve, videlicet tactu; ea-

dem dulce & amarum, nimirum gustu; eâdem sonum acutum & tenuem, puta auditu, & sic in cæteris. Ex contrariis enim unum habet rationem formæ, alterum rationem privationis. Qvâ autem facultate qvis apprehendit rem, eâdem & cognoscit privationem rei. Deniqve si de vi *efficiente* agatur, adhibenda est qvædam distinctio. Potentiæ enim aliæ sunt *rationales*, aliæ *irrationales*. Ex qvibus hæ non sunt effectivæ utriusqve, sed unius solùm contrariorum. Neqve enim calidum & calefacere potest & frigefacere; humidum & siccare & humectare; medicamentum unum idemqve alvum & adstringere & laxare &c. nisi forsan id fiat per accidens, in diversis subjectis, aut si in eodem, non tamen eodem tempore, aut non eodem modo affecto; vel non eâdem ratione. Sic enim fieri poterit, ut irrationales qvoqve potentiæ contrariorum sint. E.gr. Idem ignis & astringit & resolvit, verùm non eandem rem, sed adstringit qvidem corium, at ceram aut glaciem laxat. Æstas appetentiam rerum venerearũ & auget & minuit, sed minuit in viris, auget in fœminis. Vinum liberaliter haustum alii garrulitatem affert, alii silentium. Sed & in eodem subjecto vinum contraria efficere potest. Uni enim eidemqve usus ejus modò salubris, modò noxius est, verùm non eodem tempore, sed diverso, neqve eodem modo, sed aliter atqve aliter. Deniqve diuturna frigoris contrectatio & frigus affert & calorem, sed alterum qvidem per se, alterum per qvandam ἀντιπερίστασιν. Ita ergò res comparata est cum facultatibus irrationalibus. At alia est indoles facultatum rationalium. Eæ enim ideo quia sunt rationales, sunt effectivæ contrariorum, cùm ratio eadem manifestet & rem & privationem rei, IX. Met. II. E.gr. Per eandem facultatem Architectus & ædificare potest & destruere domum; per eandem Medicus & sanare hominem & interficere, licet diversis id faciat instrumentis, illud remedio, hoc veneno, per ean-

eandem Rhetor & suadere & dissuadere; per eandem Grammaticus & rectè & incongruè loqvi; per eandem Citharœdus & aptè ludere & malè impellere fides; per eandem deniq; qvisq; qvi scientiâ pollet, & scientiam & ignorantiam efficere, illam demonstratione, hanc paralogismo. Et de tali potentiâ sine dubio loqvitur Aristoteles in citato ex II. Rhet. loco. Qvod ex scopo & totâ verborum serie satis liqvet. Proponit enim ibi locos, qvibus probare intendit, hoc vel illud taliter comparatum esse, ut fieri aut non fieri, puta ab hominibus, possit. Alia talia, qvæ sub hominis, qvatenus homo est, potestatem cadunt, nō sunt facultati ἀλόγῳ subjecta, sed tali, qvæ indifferente se habet ad utrumq; oppositorum. Inter locos autem illos primus hic est: Si contrarium potest esse vel fieri, etiam contrarium videbitur esse posse, ut si fieri potest, ut convaluerit homo, fieri potest, ut rursum ægrotet. Eadem enim facultas est contrariorum, id est, per eandam facultatem, qvâ hic æger sanitati pristinæ restitutus est, effici rursus potest, ut lecto affigatur, qvod sanè non nisi rationalis potentiæ est, qvàm ibi dicit versari circa contraria, qvatenus sunt contraria, sicuti vulgò legitur. Accidit enim nonnunquam aliqvid contrariis, qvæ sub eandem facultatem non cadunt; aut qvod in nonnullis libris se scriptum invenisse testatur Muretus loco, aliâs à nobis citato, ipsam, ait, esse ἐναντίαν quia ex parte contraria est, vel qvod contrariis utatur mediis, ut exemplo Medici & scientifici Doctoris modò declaravimus, vel alia de causâ.

CCXXXVII. Non in axiomatibus autem solùm, sed & in aliis, qvod dixi, de investigandâ sententia Aristotelis ex tota contextus serie, probè attendendum est. E. gr. Mundum esse æternum, ἀΐδιον, docet lib. II. de Cœlo. & hâc ipsâ de causa vapulat à multis, sed præter meritum. Ex totâ enim verborum serie nimis clarum est, ἀΐδιον ibi Aristoteli nihil aliud esse, qvàm ἀγένητον καὶ ἄφθαρτον. Quæ vocabula in hac disputatione

tione passim conjungit, permutat, iisqve ut synonymis utitur, sicut & alibi, veluti II. de Animâ cap. II. ubi ἀΐδιον τῷ φθαρτῷ opponit. Aliud enim quid non novit, qvod fiat & sic esse incipiat, nisi quod fit per γένεσιν, id est, ex materiâ; neqve qvod desinit esse nisi per corruptionem, qvæ itidem fit in materia. At mundus non est factus ex materia, sed qvod fides nostra docet, ex nihilo, neqve corrumpitur in materia, sed ut ingenerabilis est, sic & incorruptibilis est per naturam. Ut autem ex nihilo factus est, sic, Deo ita volente, in nihilum redigi iterum potest. In isto ergò sensu, qvo Aristoteles vocem usurpat, mundum ἀΐδιον dicere nihil prohibet. Galaxia qvid sit, multi dicunt ignorasse Aristotelem, ideò quod nesciverit totam illam viam, in quâ galaxia visitur, innumerabili stellarum multitudine, quas nuper tubus Opticus ostenderit, esse consitam. Hoc enim si cognitum, inquiunt, habuisset, facilè cognovisset, galaxiam nihil aliud esse, quàm lumen à stellulis istis sparsum, quod licet per singulas stellulas sit intercisum, ex longinqvo tamen, nisi Telescopii beneficio, discerni non valeat, ideoq; unum continuum lumen esse appareat, perinde uti centum nocturnæ faces, sibi vicinæ, sed tamen divisæ, procul aspectæ imaginem unius continui ignis mentiuntur. Verùm si integrū caput, in quo de lacteo circulo disserit, legissent, aliter de eo sentirent. Disertè enim scribit, quod in cœlo è regione galaxias, densissimæ & plurimæ sint stellæ. I. Met. c. IIX. §. 12. edit. Pacii dicit, in ista cœli parte esse πυκνότητα καὶ πλεῖστα, καὶ μέγιστα τῶν ἄστρων, *densissimas & plurimas & maximas stellas*. Qvod repetit §. 14.

CCXXXIIX. Deinde, cum non semel tantùm unius rei meminerit, sed sæpius idem repetierit Philosophus, oportet loca illa, si aliqua in uno vel altero sit obscuritas, conferre, & ex omnibus conjunctis sententiam ejus eruere. Et sæpè quidem eandem sententiam repetit mutatis verbis aut oratione,

atqve

atqve tum facilè ſententia tota loci obſcuri intelligitur, ſi fiat μετάληψις & phraſis aut vocabulum obſcurum per alterum, quod clarius ſit, explicetur. E. gr. In definitione ſyllogiſmi, cujus jam ante mentio facta, legitur vox τεθέντων, de eâ quæritur quid ſignificet? Græci enim interpretes ferè omnes cum A-gellio XV. Noct. Attic. c. XXVI. eam exponunt per alteram iſtam, συγχωρηθέντων, quos ſeqvitur & Clemens Alexand. IIX. Strom. itemq; Suidas in voce τεθέντων, & poſſe ita ſatis commodè exponi eodem loco diximus. Verùm an hunc ſenſum intenderit Philoſophus, fortè dubium eſt. Facilè autem cognoſci poteſt, qvid ſibi eâ voce voluerit, ſi loca illa, in quibus definitionem ſyllogiſmi & quidem mutatis verbis repetit, inter ſe conferamus. Repetit autem eam I. Rhet. cap. I. ubi his verbis tradit definitionem Syllogiſmi: τὸ δὲ τινῶν ὄντων ἕτερόν τι διὰ ταῦ-τα συμβαίνειν παρὰ ταῦτα, τῷ ταῦτα εἶναι, ἢ καθόλου, ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, ἐκεῖ μὲν συλλογισμὸς, ἐνταῦθα δὲ ἐνθύμημα καλεῖται. Ubi τὸ εἶναι ponit loco τοῦ τίθεσθαι, qvo I. Prior. uſus fuerat. Lib. I. Prior. c. XIV. §. 3. pro τεθέντων ponit εἰλημμένων, ſicuti & aliàs paſſim τὸ τίθεσθαι pro λαμβάνεσθαι accipit, veluti I. Prior. XXXVI. §. 9, 10. Pro utroqve autem I. Topic. cap. I. §. 3. & Sophiſt. Elench. c. I. §. 3. ponit κειμένων. Qvin in ipſomet I. Prior. c. I. & qvidem in ipſâ definitione Syllogiſmi τὸ τεθέντων per κειμένων exponit. Dicit enim ſyllogiſmum eſſe orationem, in qvâ ΤΕΘΈΝΤΩΝ τινῶν ἕτερόν τι τῶν ΚΕΙΜΈΝΩΝ neceſſariò infertur, eò qvod ſunt. Qvod ante dixerat τεθέντων, mox reddit per κειμένων. Τίθεσθαι ergò idem erit in definitione Syllogiſmi qvod εἶναι, κεῖσθαι, καὶ λαμβάνεσθαι, ut hic ſit ſenſus: Syllogiſmus eſt oratio, in qvâ exiſtentibus, poſitis aut diſpoſitis. Κεῖσθαι enim propriè ſitum eſſe ſignificat, hoc autem poſitum cum certâ qvadam ratione. Porrò lib. I. Topic. c. XIV. §. 6. Propoſitionum & problematum ait tres eſſe partes ſeu ſpecies. *Aliæ* enim, inquit, *propoſitiones ſunt Ethicæ, aliæ Logicæ, aliæ Phyſicæ.* Qvid

per singulas has propositiones intelligat, obscurum est. At manifestum evadet, si cum hoc loco conferatur alter ille ex I. Topic. XI. §.1. ubi dicit qvorundam problematum cognitionem esse utilem ad *eligendum* aut *fugiendum*; qvorundam ad *cognoscendum* duntaxat; qvorundam deniqve per se qvidem ad *neutrum* directam esse, conducere tamen ad utrumqve. Quæ enim ibi appellat problemata aut propositiones Ethicas, ea hic vocat problemata, qvorum cognitio utilis sit ad *eligendum* vel *fugiendum*, qvalia sunt, qvæ in universâ Philosophiâ Practicâ ventilantur; qvæ autem ibi vocat problemata *Physica*, ea hic dicit problemata ad *cognoscendum* duntaxat directa, qvalia sunt, qvæ sub controversiam veniunt in Philosophia Theoretica; Deniqve qvæ ibi *Logica* nuncupat, hic talia nominat, qvæ per se qvidem ad neutrum horum valent, aliqvid tamen ad utrumqve eorum conferunt, qvalia sunt, qvæ in Analytica, Dialectica, Rhetorica, Poëtica agitantur, ut satis pateat, Aristotelem in priore isto loco ad divisionem istam Philosophiæ in Physicam, Ethicam & Logicam, à Platone usurpatam, respexisse, de qva aliquid jam in Prodromo dictum. Ita cum cap. I. lib. I. Post. §.1. congruit locus VI. Topic. IV. §.2. VI Ethic. III. I. Met. VII. cum extremis verbis §.3. I. Rhetoric. cap. II. §.4. respondet I. Post. cap. X. §.2. Cum §.5. & seqq. convenit II. Prior. XXI. §.7. seqq. Cum cap. II. §.I. caput IX. § 3. Cum 2. Caput xxx. §.3. cum III. lib. VI. Ethic. cap. III. VII. Met. XV. Cum 4. I. Post. III. §.4. II. Post. III. §.5. & cap. ult. Cum. §.6. I. Top. cap. I. §.4. Cum §.7. I. Top. cap. I. §.5, 8, 9. Cum §.8. II. Prior. c. II. §.2. Cum §.11. I. Phys. c. I. I. Ethic. cap. I. VI. Topic. IV. cum §.12, V. Met. cap. I. I. Post. X. §.2. Cum §.13. lib. de Int. cap. VIII. §.4. I. Soph. cap. VI. §. 9. Cum §.14, 15, cap. X. §.8, 9. Cum §.16, II. Met. I. I. Post. c. IX. §.5: &c. Non inutile ergò fuerit, si quis locus obscurus in Aristotele occurrat, eum notare asterisco, intereà hoc tanti-

spe

ſper neglecto in lectione ipſa progredi, donec ad alium perveniatur locum, manifeſtius ſententiam Philoſophi exprimentem, qvi ſtatim ad marginem prioris loci adſcribendus eſſet, utpote qvi commentarii loco alteri iſti obſcuro loco inſervire poſſit. Rarò enim, ut diximus in Ariſtotele occurrit locus aliqvis obſcurus, cujus ſimilem alibi deprehendere non ſit conceſſum.

CCXXXXI. Id ſi ab omnibus factum fuiſſet, aut adhuc fieret, tâm ineptas nonnulli ſententias Ariſtoteli non tribuiſſēt, nec adhuc tribuerent, qvæ ipſi ne qvidem unqvàm fortè in mentem venerunt. Ad unum enim ſolum locum reſpiciunt, eumqve talem, in qvo non ſatis mentem ſuam explicuit, & quem primo intuitu ipſis verba præ ſe ferre videntur ſenſum, eum exiſtimant ab Ariſtotele ipſo fuiſſe intentum & nō alium. E.gr. Algiahid Arabs Ariſtotelem incuſat, *qvod in libris de natura & proprietatibus animalium docuerit, fœminas in muſtelis ore concipere, & inde parere*: reſpiciens fortè ad lib. VI. Hiſt. Animal: cap. X, ubi de muſtelis hæc leguntur: ἐξαφίασι καὶ δέχονται, εἰς ἑαυτοὺς τοὺς νεόττους, *Fœtus ſuos emiſſos recipiunt intra ſe ipſos.* Aſt loqvitur ibi Ariſtoteles non de muſtela, animali qvadrupede, de qvo Arabi iſti ſermo eſt, ſed de muſtelo piſce, qvem, teſte Æliano lib. II. cap. LV. & IX. c. Lxv. *crediderunt aliqvi ore parere: ſine dubio, quod parvulos ſuos qvandoq; in os recipiat, unde qvi exire eos viderunt, partum hunc eſſe ſibi perſvaſerunt.* Meminit ejus, qvod modò dixi, Antigonus hiſtoria xxv. his verbis: Τῶν δὲ γαλεῶν τὰ ἔμβρυα, ἐξιόντα ἐκ τῆς κοιλίας, νέμεται. καὶ πάλιν εἰσδύεται κατὰ τὸ στόμα, *Muſtelorum fœtus ex utero exeuntes paſcunt; rurſusq; per os intrant.* Gemina his habent Athenæus lib. VII. Dipnoſophiſtarum, Plutarchus lib. περὶ φιλοστοργίας aliiqve. *De* muſtela autem, *animali qvadrupede*, Ariſtoteles refert, qvod aliqvi putarint, & ipſam ore parere: aſt refellit ipſemet hanc fabulam lib. III. de

Generatione Animal. cap.VI. qvum ait: *Mustelam more cæterorum qvadrupedum vulvam habere, certum est: ex qvâ qvonam pacto fœtus ad os deveniat? Sed qvia mustela parvos admodum parit, & sæpe catulos suos ore susceptos transfert, factum hinc, ut ita opinarentur.* Telesius VI. de Rerum nat.cap. XXXI. considerans locum ex I. Gen. Animal. VI. ubi Aristoteles dicit, in iis, in qvibus testes non sunt, citò absolvi τὸν συνδυασμὸν, qvod semen jam adsit coctum, in iis autem, in qvibus sunt, coqvi in ipso συνδυασμῷ, ex eo colligit Aristotelem negare, qvod in testibus fiat semen. At hoc nunqvam scripsisset, si legisset III. Hist. c. I, ubi disertè in testibus ponit λευκὴν ὑγρότητα *album humorem*, qvi nihil aliud est, qvàm semen. Quod autem in I. Gen. scribit, *in ipso συνδυασμῷ coqvi semen in iis, quæ testes habent animalibus*, id non hunc habet sensum, qvasi ante συνδυασμὸν semen in testibus planè non fuerit coctum, sed hoc vult, qvod in ipso συνδυασμῷ amplius & melius coqvatur, qvatenus scilicet fit spirituosius, subinde affluentibus spiritibus pluribus & magnam illam voluptatem adaugentibus. Ex qvo simul falsum esse apparet, qvod Aristoteli imputat Galenus I. de Sem. *XV.* qvasi V. de Generat. Animal. VII. docuerit, *testes nihil aliud facere, quàm textricum pondera, adeoqve penè cùm iis esse, qvi frustrà factos esse contenderint*, inprimis cum testes ad generationem non dicat esse necessarios. Si enim propter generationem non sunt, qvem tandem habebunt finem? Injuria hæc est, qvâ optimum Philosophum præter meritum afficit Galenus more suo. Fateor quidem, quod Aristoteles passim dicat testes non esse simpliciter necessarios ad generationem, ex eo, quod aliàs carere illis nullum animal posset, quod generat. At nunc carent illis pisces, serpentes & omnia, quæ pedibus carent, quæ ipsa tamen generant, III. Hist. I. V, V. IV. Part. An. XIII. At non omnia, quæ in animalibus propter finem sunt, statim

ſtatim ſunt ἁπλῶς neceſſaria; ſed quædam in illis ſunt, quia *neceſſaria* ſunt, quædam autem, quia *melius* eſt ita eſſe, ut ipſe diſtingvit I. Gen. An. IV. Et in horum ordine cenſet Philoſophus & teſtes: *Licet*, inquit, *teſtes ad generationem ſimpliciter non ſunt neceſſarij, quod multa animalia generent, quæ tamen teſtibus carent, in iis tamen, in quibus ſunt, non ſunt fruſtrà facti, ſed propter τὸ εὖ*, aut βελτίονος τινὸς χάριν, *gratiâ melioris* loc. cit. nempe inter cætera & ideò, ut ſemen magis coqvatur atq; perfectius reddatur. Quò enim animalia ſunt perfectiora (perfectiora autem ſunt, quæ teſtes habent,) eò perfectius deſiderant ſemen. Hanc eſſe Ariſtotelis mentem Galenum haud latuiſſet, ſi non uſum ſolùm, ſed cuncta illa, in quibus de uſu teſtium differit, loca ut fas erat, evolviſſet. Cumprimis verò inſignis in hanc rem locus eſt I. Gen. An. XII. ubi cauſam quærens, cur *uterus* qvidem omnibus ſit *intus*, teſtes autem quibusdam intus, quibusdam foris, de iis, quibus *foris* ſunt, (de quibus & hic præcipuè quæſtio eſt,) ait, *circumdari illis ſcrotum*, qvod *opus* ſit *teſtibus velo, tegumentoq́*, idq́ve πρὸς τὴν σωτηρίαν, καὶ τὴν τοῦ σπέρματος πέψιν, *ut & ſerventur ipſi incolumes ab externis injuriis & concoquere poſſint ſemen.* Nec minus illuſtris eſt locus eodem I. Gen. An. VI. ubi dicit ἐν τῷ ἑτέρῳ μέρει τῆς παραδιπλώσεως, in h. e. *in vaſis*, ut hodiè loqvuntur, *præparantibus, ſemen adhuc eſſe ſangvinem;* ἐν ἑτέρῳ δ', id eſt, *in deferentibus* ſeu *ejaculantibus* eſſe *perfectum ſemen*, ὥστε ὅταν ἐνταῦθα ἔλθῃ ἡ γονὴ, ταχεῖα τούτοις γίνεται ἡ ἀπόλυσις, *ut cum eo pervenit ſemen, & hæc animalia ſubitò ſe abſolvant*, perfecto ſcilicet aliquatenus jam ſemine in anterioribus vaſis, teſtibusqve. Sed nec ille negligendus eſt, qui c. II. ejusdem libri invenitur. Scribit ibi Ariſtoteles, quod *mas* & *fœmina* diſtingvantur invicem *ratione* & *ſenſu*; *ratione* quidem, quia alia eſt facultas *maris*, alia *fœminæ*: *maris* enim facultas eſt *generare in alio*, facultas verò *fœminæ* eſt *generare in ſe ipſâ*; *ſenſu* verò, quia *differentes* habent *partes generantes.*

Paulò post addit: *Quia verò mas & fœmina distingvuntur facultate & operatione, ad omnem verò operationem necessaria sunt instrumenta, instrumenta verò facultatum sunt partes corporis, necesse est ut ad generationem sint partes, & has esse invicem differentes secundum illas res, qvibus differunt mas & fœmina: hæ verò partes sunt fœminæ qvidem vulva, maris verò partes, quæ sunt circa testes, & peritonæum in animalibus sanguineis.* Et rursus post aliqva: *Opus est itaq; intelligere, qvod parvo principio mutato multa mutantur post principium, qvod patet in castratis, quia solâ parte generante corruptâ, forma in tantum immutatur, ut videatur esse fœmina, vel paulò minus, quare non secundum qvascunq; partes neq; secundum qvamcunqve facultatem animal est mas & fœmina, sed secundum hæc determinata.* Qvodsi verò testes sunt principia qvædam distingventia marem à fœmina, dici utiqve non potest, qvod juxta Aristot. frustrà penè sint testes, & nullum alium præstent usum qvàm textricum pondera, qvi est, in vasis qvibus sunt appensa, reduplicationem servare, tendendo deorsumq; trahendo. Observandũ tamen est, qvod Aristot. duobus modis testes consideret. Aliqvando enim ita vocat totum illud, qvod constat ex involucris venarum & arteriarum seminalium & substantiâ testium: aliquando autem testes accipit pro nudâ testium substantiâ non comprehensis involucris venarum istarum & arteriarum. Priori sensu testes accipit in loc. cc. & aliis omnibus, in quibus testes dicit esse partes distingventes animal secundum sexum, i.e. marem à fœminâ, aut seminis receptaculum, idqve coqvere. In posteriori autem significatione sumit vocem, qvando testes ait animalibus tributos esse à naturâ velut pondera appensa, ut vasa seminalia non tantùm deorsum trahant, ut illi exponunt, sed potius dilatent, ut vasa impleri possint. Nisi enim id fit, neqve aditus præbebitur semini, neqve exitus, atqve ita sterilescent animalia. Quanqvam & tendendo dici possint

poſſint agere. Niſi enim tenſum ſit ſtamen, ſubtegmen ingredi non poteſt. Ita ſaccus, niſi ſit tentus, non impletur.

CCXL. Sic multi ſtatuunt, Ariſtotelem exiſtimare liberum arbitrium non eſſe aliam animæ facultatem, quàm voluntatem, quippe quæ ſola ſit formaliter libera, id qvod ex uno atqve altero loco colligunt non ſatis benè intellecto; cùm ex aliis quamplurimis locis nullo negotio longè aliam ei mentem ſedere advertere potuiſſent, ſi ſingula probè perpendiſſent. Notum eſt, id qvod à Latinis libero arbitrio ſubjectum eſſe dicitur, ab Ariſtotele & aliis Græcis ſcriptoribus vocari τὸ ἐφ' ἡμῖν. Hoc autem vocant, qvod penes nos ſitum eſt, ut fiat & non fiat, vel etiam ſic fiat & aliter. Sic enim illud Ariſtot. ipſe explicat III. Ethic. VII. [V]: ἐν οἷς, inquit, ἐφ' ἡμῖν τὸ πράττειν καὶ τὸ μὴ πράττειν· καὶ ἐν οἷς τὸ μὴ καὶ τὸ ναί, *in quibus non ſolùm agere ſed & non agere penes nos ſitum eſt, ita ut tàm non agere, quàm agere, tàm non quàm etiam in noſtra ſit poteſtate.* Quod ipſum repetit præter Plotinum Ennead. VI. lib. IIX. c. I. Alcinoum I. de doctrinâ Platonis c. XXVI. atqve alios & Alexander Aphrodiſæ: in lib. de Fato & Libertate: Τὸ ἐφ' ἡμῖν, ait, ἐπὶ τούτων κατηγορεῖται, ὧν ἐν ἡμῖν ἡ ἐξουσία τοῦ ἑλέσθαι καὶ τὰ ἀντικείμενα; Τὸ ἐφ' ἡμῖν *de iis affirmatur, quorum poteſtas in nobis eſt, ut eligamus & illa & oppoſita.* Et hoc fine deliberationem de talibus inſtituimus, ſit ne hoc præ illo eligendum, nec ne. Unde & hæc ſola, quæ ſub deliberationem ſeu conſultationem veniunt, dicuntur ſubjacere libero noſtro arbitrio, II. Eudem. X. Περὶ ὧν ἐνδέχεται μὴ μόνον τὸ εἶναι καὶ μή, ἀλλὰ καὶ βουλεύσασθαι τοῖς ἀνθρώποις· ταῦτα ἐστὶν, ὅσα ἐφ' ἡμῖν ἐστὶ πρᾶξαι καὶ μὴ πρᾶξαι, *Quæ non tantũ fieri & non fieri poſſunt, ſed & talia ſunt, ut in conſultationem veniant, hæc ſunt, quæ à noſtro pendent arbitrio, ut* [à nobis] *fiant & non fiant.* Quamvis enim non omnem liberam actionem neceſſariò præcedat conſultatio, omnis tamen dirigitur ab iſtiusmodi cognitione & judicio rationis, quale finitâ deliberatione ſolet forma-

formari. Quod præſertim uſu venit, cùm ex habitu & conſvetudine liberè operamur. Ex antecedente enim notitiâ, quam deliberatio præceſſit, tunc novimus, quodnam medium maximè ſit accommodum, idqve ſtatim arripimus ſine præviâ deliberatione. Quæ omnia in artibus, præſertim Mechanicis, tàm comperta ſunt, ut homines vulgares alios deſipere aut jocari exiſtiment, ſiquidem ea in controverſiam ab ipſis intelligant vocari. Ex quo ſatis apparet liberum arbitrium nihil aliud eſſe, quàm facultatem *προαιρετικὴν præelectivam*. Προαίρεσις enim ſequitur deliberationem. Unde & definitur ὄρεξις βουλευτική III. Ethic. c. V. At proæreſis & voluntas juxta Ariſtotelem non parùm differunt. Nam primò voluntas *finis* eſt, at præelectio non eſt finis. De fine enim non conſultamus, neqve in poteſtate noſtrâ eſt, finem appetere & non appetere; ſed cùm ſumma ejus ſit bonitas, [eſt enim *τὸ ἔσχατον καὶ βέλτιστον*, II. Phyſ. II. I. Polit. II.] trahit bonitate ſuâ voluntatem noſtram in ſui deſiderium, ut non poſſit eum non appetere. Circa finem ergò προαίρεσις non verſatur, ſed circa ea, qvæ ſunt ad finem, id eſt, circa media. De iis enim conſilium agitamus, & qvod optimum ac convenientiſſimum nobis viſum fuit ad finem obtinendum, id præ cæteris eligimus. E. gr. Medicus non deliberat, an ſanare velit, neqve orator, an perſvadere; neqve Politicus, an legibus benè inſtitutam reddere patriam debeat, neqve ex aliis qvisqvam de fine conſultat; ſed omnes, cum finem qvempiam ſtatuerunt, qvomodo & per qvæ media ad illum pertingere poſſint, III. Ethic. cap. VI. Deinde, voluntas etiam impoſſibilium eſt; at non præelectio. Nemo enim de iis deliberat, quæ fieri non poſſe novit. Ita volumus, inqvit Ariſtoteles III. Ethic. VI, & cupimus eſſe immortales, ſed ea de re deliberare ſtultum eſſet, cum ſciamus eam nos aſſeqvi non poſſe. Qvod repetit II. Eud. X. & I. M. M. XVIII. Volunt qvoque interdum

quidam

qvidam volare, aut dominatum habere totius mundi, aut alterius esse sexûs, vel diversis in locis esse unâ horâ, & multa alia absurda, nemo tamen de hujusmodi rebus deliberat, nisi penitus desipiat. Præterea, voluntas est eorum quoqve, qvæ licet simpliciter impossibilia non sint, ab eo tamen, qui vult, præstari nullo modo possunt, neqve ab aliis ipsius jussu, veluti Histrionem aliquem aut Athletam, cui favemus, volumus evadere victorem. At tale quid rursus nemo eligit, sed ea solùm, quæ à se fieri posse arbitratur. Qvod discrimen denuò annotat Philosophus III. Ethic. VI. De præelectione porrò VI. Ethic. c. II. scribit, quod ea sit principium actionum efficiens, sive ὅθεν ἡ κίνησις, *unde est motus*. Quod ipsum inculcat & alibi, veluti VI. Metaph. c. I. ubi ita loquitur: τῶν ποιητῶν ἐν τῷ ποιοῦντι ἡ ἀρχὴ, ἢ νοῦς ἐστὶν, ἢ τέχνη, ἢ δύναμίς τις· τῶν δὲ πρακτῶν, ἐν τῷ πράττοντι ἡ προαίρεσις, *Faciendorum in faciente principium est, aut intellectus, aut ars, aut aliqua potentia; agendorum autem in agente electio. Idem enim*, pergit, *sunt* τὸ πρακτὸν καὶ τὸ προαιρετὸν, *agibile & eligibile*. Quibus gemina habentur IX. Met. V. At voluntas hoc modo actionum principium non est, ἀλλ' ὡς οὗ ἕνεκα, sed ut id, *cujus gratia*, VI. Ethic. c. I. Deniqve προαίρεσις, ut ante dictum est, sequitur facultatem deliberantem & consultantem, quæ facultas λόγος seu διάνοια est. Unde & βουλεύεσθαι καὶ λογίζεσθαι *deliberare & ratiocinari* dicuntur idem esse VI. Ethic. c. II. At voluntas non rationem seu διάνοιαν sequitur, sed intellectum practicum. Uti enim in Theoreticis discrimen est inter νοῦν & διάνοιαν. (Illo enim intellectus principia apprehendit, iisqve perspicuè cognitis assentitur necessariò; hâc autem ratiocinatur, & ex principiis cognitis ignotum alia ratione concludit:) sic & in Practicis inter ista duo discrimen spectatur. Νοῦς enim πρακτικὸς apprehendit finem, qvi principium est in activis, indeqve & idem esse dicitur, qvod hypothesis in Mathematicis, II. Eud. XI: & I. M.M. cap. XIX. Et

hunc ſeqvitur voluntas, quæ in ultimum finem perſpicuè cognitum, non liberè fertur ſed neceſſitate: Διάνοια autem πρακτικὴ à fine per λογισμὸν progreditur ad ea, qvæ ad finem comparata ſunt, id eſt, ad media, idqve qvod optimum eſt inter illa & maximè conveniens, determinat ac conſtituit, qvo conſtituto προαίρεσις ſeqvitur. Liberum arbitrium ergò apud Ariſtotelem idem non eſt, qvod voluntas.

CCXL. Sed & alius eſt uſus, qvem ad intellectum propoſitionum, in Ariſtotele, maximè axiomatum præſtat collatio locorum. Fit enim nonnunquam, ut uno eodemqve axiomate utatur in diverſis locis, aſt non unâ ubiqve ſignificatione, qvod exemplis aut tota contextûs ſerie non obſcurum eſt intelligere. Cujus exemplum itidem habemus in pronunciato iſto, qvo: *Contrariorum eadem dicitur eſſe facultas aut ſcientia.* Non enim unum, ſed vel triplicem apud Ariſtotelem habet ſenſum. Quorum primus eſt: *Contraria ſub eandem facultatem & ſcientiam cadunt*, ſive in eâdem de iis diſciplina tractatur, v.g. de ſalubri & in ſalubri in Medicâ, de motu & quiete in Phyſica. Et hoc ſenſu accipitur IV. Met. c. II. ubi, poſtquam docuiſſet, ſapientiam primam agere de uno & partibus ſeu ſpeciebus unius, velut de eodem, ſimili, æqvali &c. addit, ejusdem quoqve eſſe tractare de multitudine & ſpeciebus ejus, diverſo, puta, diſſimili, inæqvali &c. propterea qvod hæc unitati & ſpeciebus ejus ſunt oppoſita, unius autem ſcientiæ ſit oppoſita contemplari. Secundus eſt *contrariorum eadem eſt ratio*, h.e. ex ratione unius contrarii, intelligitur alterum, licet qvodammodo per accidens. Si enim ſanitas ſita eſt in temperie & συμμετρία quatuor humorum, morbus erit poſitus in intemperie eorundem humorum; & ſi virtus in mediocritate poſita eſt, vitium erit in exceſſu vel defectu. Et hic ſenſus reperitur IX. Met. II. ubi contrariorum eandem dicit eſſe ſcientiam, qvod *ſcientia ſit ratio*, id eſt, Alexandro interprete

prete δύναμις μετὰ λόγου, *facultas cum ratione*, ratio autem eadem manifestet contraria, & rem & privationem rei, e. gr. qvod itidem addit Alexander, sanitatem & morbum, licet unum per se, alterum per accidens, ex qvo & fieri ait, ut eadem facultas, quæ cum ratione agit, vim habeat efficiendi contraria, id quod paulò ante uberius dedimus explicatum. Tertius sensus est: *Eadem facultas considerat & probat contraria*, h.e. utramque partem contradictionis, veluti voluptatem esse bonam & non esse bonam, animam esse immoralem & non esse immortalem. Quo quidem sensu pronunciatū hoc tantùm de duabus facultatibus verum est, nempe de Dialectica & Rhetorica, ut ipse Arist. docet lib. I. Rhet. c. I. ita scribens: *Nulla ex aliis artibus contraria concludit, solæ verò Dialectica & Rhetorica id præstant:* Sunt enim pariter ambæ contrariorum. Cujus ratio hæc est, qvia utraq; ex iis argumenta eruit, quæ in opinione hominum sita sunt: multis autem de rebus homines contraria opinantur, II. Rhet. XXXII. edit. Mureti. Exemplum habemus de Leodama oratore apud Aristotelem ipsum I. Rhet. VII. & de Carneade apud Lactantium lib. V. de justitia c. XIV. & Plinium lib. VII. c. XXX.

CCXLII. Idem dicendum est & de altero isto pronunciato: *Omnia fieri qvodammodo ex univoco*, qvod reperitur VII. Met. cap. IX. t. 30. Quamvis enim ibi vulgò vox ὁμωνύμων legatur, dubium tamen non est, quin legendum sit συνωνύμων. Quod apparet ex XII. Met. t. 13. ubi *unaqvæq; substantia* dicitur, fieri ἐκ συνωνύμου. Non unus autem, sed varius itidem hujus effati potest esse sensus, qvod iterum ex collatione locorum, ubi Aristoteles principium hoc sive expressè ponit & explicat, sive ad illud alludit, non obscurè colligi potest. Et primò qvidem intelligi potest de iis, *quæ ejusdem sunt speciei*. Nimis enim clarum est, qvod homo hominem generet, & ignis ignem. Id qvod natura ita ordinavit, ut res

cùm in individuo ſe conſervare non poſſint, conſervent tamen ſe in ſpecie II. Gener. Animal. I. Deinde & de iis accipi poteſt, qvæ, licet ſpecie differant, conveniunt tamen *genere proximo*: qvo pacto mulus ab eqvo, ut ab univoco generatur. Similes enim ſunt, non qvidem in ſpecie, in genere tamen proximo, qvod Ariſtoteles ἀνώνυμον eſſe dicit VII. Met. t. 28. Utrumqve ſenſum ſuggerit locus ex I. de Gen. & corrupt. t. 30. ubi ita ſcribit: *Gignitur igitur abſolutè aliud ex alio, atqve ab aliqvo actu exiſtente, quod ejus ſit generis aut ſpeciei, ut ignis ab igne, aut ab homine homo.* Porrò & de iis exponi poteſt, qvæ ita univoca ſunt, ut inter formam rei genitæ & generantis ſit *ſimilitudo* aliqva & *convenientia*, licet modus eſſendi idem non ſit, qvalis ſimilitudo ſpectatur inter formam rerum arte factarum & ideam, qvæ eſt in mente artificis, velut inter formam domûs & ideam domûs, qvæ eſt in mente Architecti, ad cujus exemplum formam in materiâ produxit. Eximia enim inter eas eſt ſimilitudo, licet non ſint generis ejusdem. Forma enim domûs extra mentem eſt materialis, in lignis & lapidibus conſiſtens; at ea, qvæ in mente reſidet, eſt ſine materiâ. Quò pertinet illud Ariſtotelis VII. Met. t. 23, ubi ait, τρόπον τινὰ τὴν οἰκίαν γίνεσθαι ἐξ οἰκίας, τῆς ἄνευ ὕλης τὴν ἔχουσαν ὕλην; *domum qvodammodo fieri ex domo, ex eâ ſcilicet, qva materia expers eſt, eam qva materiam habet.* Cujus oppoſitum in ſenſibus deprehendimus. Ibi enim qvalitates, qvæ ſunt in materiâ, producunt in organis ſenſuum ſimilem qvalitatem, ſed ſine materia: veluti color in pomo, aut pariete, colorem in oculo. Nam & videns qvodammodo colore delibutum eſt, II. de Anima t. 122. III. de An. t. 138. Non aliter annulus imaginem ſuam, qvæ in auro aut ferro exſculpta eſt, in cera aut ſimili materia exprimit, recipit enim ea imaginem illam, verum ἄνευ ὕλης, *ſine materiâ*, ſine auro aut ferro. Præterea & de iis exponi poteſt axioma,

qvæ ſunt univoca non ratione *totius* formæ, ſed *partis* ſolùm. Cùm enim formæ rerum ex pluribus conſtent differentiis, fit nonnunqvam, ut unâ ex illis ſublatâ res intereat. Eſſentiæ enim ſunt ſicut *numeri*, ex qvibus ſi una tollatur unitas, jam ceſſat idem eſſe numerus, VIII. Met. VI: at ſi accedat cauſa aliqva eandem cum differentiâ iſtâ ablatâ qvalitatem obtinens, qvæ qvalitatem iſtam amiſſam reſtituat, eadem res, qvæ ante eſſe deſiit, redibit, licet non numero, ſpecie tamen, & tum inter gignens & genitum erit συνωνυμία ratione formæ, non qvidem totius, partis tamen. E.gr. Sanitas conſiſtit in temperie juſta primarum qvalitatum caloris, frigoris, humiditatis, ſiccitatis, qvod ſi defectus aliqvis occurrat veluti caloris aut humoris; ceſſat ſanitas & in locum ejus ſuccedit morbus, qvi tolli poteſt potione calida aut humidâ, inter qvam & hominem ſanitati priſtinæ per potionem talem reſtitutum jam συνωνυμία quædam eſt, ratione formæ, etſi non ἁπλῶς, tamen ſecundum quid ratione caloris aut humiditatis. Deniq; & de iis effatum explicari poteſt, qvæ nonniſi ratione *virtutis* conveniunt. Fit enim nonrarò, ut forma aut qualitas, qvæ à cauſâ aliqva producitur in materia determinatâ, actu ipſo non fit in agente, actum tamen aliqvem in ſe contineat, qvi virtute alterum complectatur, ita ut hic ad alterum ſeqvatur, tùm inter agens ſive gignens & genitum συνωνυμία non eſt, niſi ratione virtutis, qualis eſt inter frictionem v.gr. & calorem. Frictio enim formaliter calida non eſt, virtute tamen calorem continet, ſicut de motu locali in genere ſupra dictum. Sic ſemen actu homo non eſt, procreat tamen hominem, quia decidit ab eo, quod actu eſt homo. Hic ſenſus iterū occurrit in Met. IX. ex qvo niſi lux aliqva accederet alteri iſti loco ex I. Gen. & corr. t. 30. ubi poſt duos illos modos τὸ γίνεσθαι ἔκ τινός, qvorum ante facta fuit mentio, tertium ſubjungit, quo gigni aliquid dicitur ab aliquo, quod nec ejuſdem ſit cum

illo ſpeciei, nec generis ejusdem, ſed in eo ſaltem conveniat, quod utrumque ſit actu, ſicut durum à non duro gignitur, hujus ſenſus vix perciperetur. Quid enim hoc eſt, durum fieri à non duro tanqvam ab actu? Ex altero autem illo loco intelligi poteſt, qvid ſibi velit Ariſtoteles. Nempe hoc vult, durum non fit à duro, ſed à non duro, v. c. à frigido, qvod frigidum etſi actu durum non ſit, in ſe tamen continet actum talem, ad quem ſeqvatur actus duritiei; qvomodo & ſol eſt cauſa univoca omnium, qvæ facit. Etſi enim nihil eorum manifeſtè ſit actu, virtute tamen in ſe continet omnes actûs inferiorum.

CCXLIII. Non obſcurum ex his eſt, quantum ad intellectum Ariſtotelis faciat diverſorum locorum collatio & inprimis exemplorum, quibus propoſitionem aliquam in diverſis locis illuſtrat, conſideratio. Contingit tamen aliquando, ut & exempla, quibus utitur, aliquam habeant obſcuritatem, quod interdum & doctiſſimis viris tantum negotii faceſſit, ut cogantur repetere pervagatum illud, *exemplorum non requiri veritatem*. Quod quidem etiamſi aliquibus minus probetur, citra omnem rationem tamen dictum eſſe putandum non eſt. Sufficit enim nonnunquam, ſi exemplum accommodatū ſit ad id, cujus illuſtrandi cauſâ affertur, etiamſi nō ſit vera oratio, quæ exempli loco ponitur. Patet id exemplo Geometrarum, qui in demonſtrando occupati ſæpius aliqua ponunt, quæ ad illuſtrandam demonſtrationem faciunt, etiamſi vera non ſint v. gr. lineam aliqvam, quam pingunt, pedalem eſſe dicunt, quæ tamen unius pedis non eſt, aut rectam, quæ tamen recta non eſt. Quamvis enim lineis iſtis utantur, ut facilius ea, quæ tradunt, percipiantur, non tamen de iis vera eſſe exiſtimant, quæ dicunt, ſed de iis, quæ per illa denotantur, & ab ipſis animo concipiuntur. Quâ de re notatu digna ſunt verba Platonis ex VI. de Republ. circa finem: Οὐκοῦν καὶ ὅτι τοῖς ὁρωμένοις εἴδεσι

προσ-

προσχρῶνται, καὶ τοὺς λόγους περὶ αὐτῶν ποιοῦνται· οὐ περὶ τούτων διανοούμενοι, ἀλλ᾽ ἐκείνων πέρι, οἷς ταῦτα ἔοικε τοῦ τετραγώνου αὐτοῦ ἕνεκα τοὺς λόγους ποιούμενοι, καὶ διαμέτρου αὐτῆς· ἀλλ᾽ οὐ ταύτης ἣν γράφουσι, καὶ τἆλλα οὕτως, αὐτὰ μὲν ταῦτα ἃ πλάττουσί τε καὶ γράφουσιν, ὧν καὶ σκιαὶ καὶ ἐν ὕδασιν εἰκόνες εἰσί· τούτοις μὲν ὡς εἰκόσιν αὖ χρώμενοι, ζητοῦντές τε αὐτὰ ἐκεῖνα ἰδεῖν, ἃ οὐκ ἂν ἄλλως ἴδοι τις ἢ τῇ διανοίᾳ, *Nosti*, inquit, *quod* [Geometræ & Arithmetici] *formis, quæ in aspectum cadunt, utantur, deqve illis verba faciant; quanquam non ad eas mentem dirigant sed illa potius, quorum ista simulachra sunt, ad quadrangulum ipsum videlicet, ipsumq; diametrum, non ad ea, quæ scribunt. Et in aliis eodem modo, speciebus quidem hisce quas describunt figurantq;, quarum & umbræ sunt, & in aquis imagines, tanquam imaginibus quibusdam utuntur; affectantes illa conspicere, quæ non aliter, quàm cogitatione percipiuntur.* Similia his habet ipse Aristoteles in I.Prior.XLI.§.6. & I.Post.X. §.10. Idem obtinet & in Analyticis. Neqve enim aberraveris, si ponens enunciationem affirmativam esse orationem, in quâ prædicatum affirmatur de subjecto, exempli loco afferas hanc orationem, *homo est lapis.* Etsi enim oratio hæc in se vera non sit (neqve enim respondet ipsi rei) verum tamen exemplum est, quod definitionis istius sensum indicat & exprimit. Aristoteles, ut notum est, uti solet ad illustranda præcepta Analytica elementis. V.c. illustrans præceptum illud: *Propositio universalis affirmativa convertitur particulariter*, exempli loco subdit, *veluti, si omne β est α, quoddam α erit β*, lib.I. Prior.II. §.7. Ast quem latet, elementa de se mutuo affirmari non posse? satis tamen accommoda sunt talia ad propositum declarandum. Neqve enim Analyticus, cùm circa doctrinam syllogisticam versatur, considerat veritatem, sed formam solum exemplorum suorum, h.e. qualitatem & quantitatem propositionum & habitudinem terminorum ad se invicem. Et huc facit & Ciceronis illud II. de Invent: *Nihil*

pro-

prohibet, fictam legem exempli loco ponere, quò facilius res intelligatur. Interim ubi de veritate rerum ſolicitus eſt Ariſtoteles & exempla ad hanc manifeſtandam adducit, dubium ſanè nullum eſt, quin talia in medium proferre animo habuerit, quæ in re ipſa fundata eſſe exiſtimavit. Obſcura tamen & ea interdum, quin etiam falſa eſſe multis videntur, quod non ſatis perſpectum habeant, quid ſibi velit Philoſophus: Igitur ut excuſent eum, aut ad illud, quod dixi, aſylum confugiunt, nempe non requiri exemplorum veritatem, aut ineptiſſimas ſententias proponunt. E. gr. quod de Orichalco in Poſterioribus Analyticis ſcribit, id Philoponus de genere materiæ exponit nondum invento, cùm ſit æs mixtum cum cadmiâ foſſili. Et quot ſunt, qui Geometriæ ignari propoſitionem illam, quâ frequentiſſimè exempli loco utitur Ariſtoteles, diametrum non eſſe commenſurabilem coſtæ, ita exponunt, quaſi hoc ſibi velit Philoſophus, diametrum coſtâ eſſe longiorem, cùm tamen longè profundior ejus mens ſit, nempe nullam poſſe reperiri menſuram, quantumvis exiguam, etiamſi in infinitum illam ſubdividas, qvæ quadrati diametrum & latus, quodcunqve ex quatuor præciſè ſumatur, omninò metiatur. Quam quidem *aſymmetriæ ignorantiam* Plato VII. de Legibus non *hominum*, ſed *ſuum, pecorumq́* appellare non dubitat. Non minus frequenter loco exempli utitur & illo pronunciato: *Omnis triangulus habet tres.* Id non pauci ſic accipiunt, quaſi innuat, omnem triangulum habere tres angulos. Qvod rusticorum etiam nemo ignorat; at non hoc vult Ariſtoteles, ſed id ſignificat, omnem triangulum habere *tres angulos æquales duobus rectis*, cujus demonſtrationem videre licet apud Euclidem I. Element. Prop. XXXII. Licet verò idem etiam ad oculum oſtendere, ſi accipiatur triangulum aliqvod materiale, ex charta v. c. & quidem, quantum fieri poteſt, perfectum, deinde ducatur linea una perpendicularis ſuper aliam, quæ ſcilicet faciat

cum

cum illâ duos angulos rectos, posteà abscindantur tres anguli trianguli materialis, iiqve ita simul componantur, ut acumina sive mucrones illorum sint uniti & contigui ad punctum lineæ perpendicularis cum alterâ, eo enim facto illicò apparebit, tres illos angulos materiales obtegere adæquatè totum illud spatium duorum rectorum, qvos perpendicularis constituit.

CCXLIV. Deinde & hoc non parum obscurum aliquibus Aristotelem facit, quod non discernant ea, quæ absolutè prolata sunt, ab iis, quæ sub certa conditione sunt dicta. Notum enim est, docendi causâ nonnunquam à scientificis doctoribus quædam poni ac fingi, quæ etsi nunquam sint, posita tamen aliud, quod demonstrandum est, conseqvens habent. Mathematicis hoc freqvens esse, neminem latere potest, nisi qui Mathematicarum disciplinarum planè sit ignarus. Hos autem passim seqvitur & imitatur Aristoteles, veluti in I. Eth. IV. [6.] ubi ostendit summum bonum non esse ipsum habitum virtutis, ex eo fundamento: *Videtur*, inqvit, *evenire posse, ut & dormiat is, qui virtute præditus est, & in tota vita nihil agat, talem autem nemo facilè felicem dixerit, nisi* θέσιν διαφυλάττων, hoc est, *absurdam & à communi sententiâ abhorrentem sententiam tueri velit.* At hominem toto vitæ tempore dormire, videtur esse ἐκ τῶν ἀδυνάτων, siquidem naturam ipsius, quà animal est, consideremus. Neqve enim semper vigilare, neqve dormire semper ullum animal potest, ut demonstratur in lib. de somno & vigiliâ. At virtutis causa est ἐκ τῶν ἐνδεχομένων. Nam etsi ponamus aliqvem, qvi virtutem adeptus sit, statim obdormiscere & dormire totum reliqvum vitæ tempus, somnus tamẽ ille non impediet, qvo minus retineat virtutem. Neqve enim pugnant inter se, dormire & virtute præditum esse: aliàs vir bonus, cùm dormitum it, ut veste, sic & virtute se exueret: &, quoties expergiscitur, toties novâ exercitatione ad virtutem comparandam opus haberet. Retinet ergo vir-

tutem, dum somno indulget; uti autem eam retinet per aliqvot horas, qvas dormit, ita retineret qvoqve, si totam vitam dormiret. Vidimus supra Poëtas fingere, Endymionem puerum apprimè formosum à Lunâ adamatum, hujus intercessione à Jove precibus impetrasse, ut perpetuum dormiret somnum, ἀθάνατος ϗ ἀγήρως μένων, immortalis perseverãs & expers senii. Epimenidem autem fingunt æstu & itinere fessum septem & qvinqvaginta dormiisse annis, testibus Plinio VII. c. LII. Gellio, Laërtio & aliis. Jam si hi eo tempore, qvo sopiti sunt somno, virtutem habuissent, retinuissent sanè eam dormientes, felices tamen non fuissent. Aliud igitur est virtus, aliud felicitas. Hîc si id, qvod ex hypothesi dicit Philosophus, ita accipiatur, acsi absolutè dictum esset & falsus, & sibi ipsi contrarius esset. Idem fieret, si qvis ea, qvæ ab Aristotele secundum quid dicta sunt, qvasi simpliciter dicta essent, accipere vellet. Veluti cum lib. IV. Phys. text. 117. tempus dicit esse causam corruptionis per se: qvod cæteroqvin negat text. 128. At non asserit id etiam priori loco simpliciter, sed συγκριτικῶς, id est, ut in Scholis loqvuntur, comparativè. *Potius*, inqvit, *est causa per se interitus*, id est, magis videtur esse causa corruptionis, qvàm generationis, cujus rationem ibidem addit. Lib. I. Meteorol. c. II. *materiam* videtur distinguere ab *efficiente*, ut illam subjectum faciat, hoc causam, cum tamen II. Phys. & illam qvoqve faciat causam. At non negat etiam anteriori loco Aristoteles, materiam esse causam, quin disertè ignem, terram & a a h s cog ata causam eorum, quæ in inferiore hoc mundo contingunt, constituit materialem. Quod autem aliter causa est, nempe ut illud, unde est principium motûs, id referendum esse dicit ad eorum vim, quæ assiduè moventur. Non ergò simpliciter ibi negat materiam esse causam, sed non non eò modo, qvo efficiens. Quod ipsum & in aliis locis docet, & qvidem fusè. Eodem I. Meteor. cap. III. terram facit

cit *sphæricam*: & tamen lib. II. cap. I, eminentiâ & tumore aliqvo insignem facit ad boream. At non dicit Aristoteles simpliciter terram globosam, ad eum modum, qvo formam hanc Geometræ definiunt, sed ad eum, quem Astronomi & Physici passim determinant, inter alios autem & Ptolemæus I. Almagesti cap. IV. Habet sanè terra montes vallesqve: at ista si conferantur cum ingenti terræ mole aut totâ ambitus ejus plenitudine, non habent ullam sensibilem magnitudinem, neqve rotunditati ipsius magis officiunt, quàm malo arantio granulositas cutis, aut rotæ clavus infixus, aut vel isti vel alii rotundo corpori insidens musca. Eodem capite III. lib. I. Meteor. vaporem definit *humidum & calidum*; at lib. II. cap. VIII. [4] determinat eum esse *humidum & frigidum*. At nec hoc simpliciter asserit, sed comparativè, si cum *fumo* scilicet conferatur. Ex aqua enim proximè gignitur, quæ frigidæ naturæ est, cujus propterea qualitates, licet non ex toto, tamen ex parte retinet. Unde & facilè in aquam rursus mutatur, sicut paulo ante dixerat Philosophus, & res manifesta est in vapore ex olla scandente & operculo adhærente, qui in aëre etiam fervido & tepenti in aquam revertitur, operculi frigore condensatus. Porrò ex III. Hist. Animal. XX. aliqui probare nituntur, Philosophum statuisse, qvod lac in mammillis muliebribus sit certum conceptionis indicium: cùm tamen id non universaliter protulerit, sed seipsum explicans, mox subjunxerit, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, *ferè ut plurimum*. Quibus porrò & hoc addit: *Non prægnantibus aliquando, sed rarò, eduliis quibusdam efficitur, ut latescant: etiam quibusdam mulieribus, natu majoribus, suctu frequentiore lac prodiit & copia tanta, ut infantem potuerint enutrire.* Et paucis interjectis: *Lac viris post pubem nonnullis exiguum exprimitur, verumtamen per suctum freqventiorem vel multũ prodiisse aliqvibus traditum aliqvando.* Ast si in maribus quoqve generari potest, quidni & in puellis, &

quidem iis etiam, quæ nondum conceperunt, cum caro iis magis sit *fungosa* & *foraminolenta*, quod & ipsum Aristoteles observat lib. I. Hist. Animal. cap. XII. Atqve hinc & Hippocrates lib. V. Aphorism. XXXIX. lac quidem refert inter signa *defectus menstrui*, non autem *conceptus*, quin expressè dicit *lac mulierem habere posse, etiamsi non conceperit.* Ἡ γυνὴ, inquit, μὴ κύουσα μηδὲ τετοκυῖα γάλα ἔχῃ, ταύτῃ τὰ καταμήνια ἐκλέλοιπε, *Si mulier, quæ neque peperit, neque uterum gerit, lac habeat, signum est menstrua defecisse.* Porrò lib. IX. Histor. Anim. cap. XLVI. de elephanto ita scribit: Ἔστι δὲ καὶ εὐαισθητὸν, καὶ τῇ συνέσει τῇ ὑπερβάλλον, *Est autem apprimè bonis acutisq; sensibus, & cætero intellectu excellens.* Inde colligunt aliqui, Aristotelem etiam brutis, qvas vocant, animantibus rationem adjudicasse. Ast non seqvitur id inde. Non enim elephanto tribuit absolutè intellectum, sed hoc solùm dicit, antecedere illum reliqva bruta perspicaciâ & ingenii sagacitate, id est, proximè accedere ad animalia prædita intellectu, id est, hominem. Cui animal hoc & alii Scriptores passim jungunt. Ut Cicero Epist. ad Marium, dicens, qvod sit *belluæ illi qvædam societas cum genere humano.* Pariterque & Strabo lib. XV, ἐγγὺς εἶναι illud affirmans λογικοῦ ζώου, *adsidere vel proximum esse animali ratione instructo.* Philostratus quoqve lib. II. de vitâ Apollonii de eodem: Τοῦτο ζῶον δεύτερον ἀνθρώπου τάττω, καὶ ξυνέσει τε καὶ βουλαῖς, *Hoc animal proximo ab homine gradu colloco prudentia & consilio.* Deniq; & Plinius lib. IIX. Natur. hist. cap. I: *Animalium maximum elephas proximumq; humanis sensibus, qvippe intellectus illi sermonis patrii, & imperiorum obedientia, officiorumq; qvæ didicere, memoria, amoris & gloriæ voluptas, imò verò, qvæ etiam in homine rara, probitas, prudenti[a], æqvitas, religio qvoq; siderum, solisq; ac lunæ veneratio.* Sed ex Ethicis qvoqve exemplum aliqvod proferamus. In VI. eorum c. III. facit *scientiam unum intellectus habitum.* Et tamen lib. V. c. I. habitum scientiæ sibi invicem op-

ponit

ponit, dum *ſcientiam* dicit eſſe *contrariorum, habitum non* item. At & hoc ſecundùm quid facit. Scientia enim ad duo referri poteſt, videlicet ad ea, qvæ ſciri poſſunt, & ad ipſum ſcientem. Priori modo contrariorum eſt. Eſt enim hoc pacto nihil aliud, qvàm perceptio rerum ei propoſitarum, ſcientia autem una eademqve percipit contraria. Poſteriori autem modo conſiderata habitus eſt, ſeu qualitas quædam certis mediis acquiſita, quæ firmiter in animo ſcientis hæret, & hoc modo non eſt contrariorum, hoc eſt, non efficit contraria. Ut enim bona valetudo, quæ eſt habitus corporis, non efficit in eo quæ malam valetudinem comitantur, ſed ea ſolùm, quæ ſibi convenientia ſunt: ſic & ſcientia, quæ animi habitus eſt, non gignit in eo, quæ inſcitiæ & ignorantiæ conjuncta ſunt, velut errorem, impotentiam docendi & inconſtantiam opinionum, ſed ea tantùm, quæ ſibi propria ſunt, i. e. liberat animum erroribus, eum, qui illâ præditus eſt, aptum ad docẽdum præſtat, & ſtabile in illo, de iis, quæ ſciuntur, judicium efficit, ut ſemper de iisdem eadem dicat & ſentiat. Denique lib. II. de Gen. An. cap. IIX. de aſinis loqvens: οὐδὲ περὶ Κελτοὺς, inquit, τοὺς ὑπὲρ τῆς Ἰβηρίας· ψυχρὰ γὰρ καὶ αὕτη ἡ χώρα. Hæc verba Scaliger in II. Hiſt. Anim. t. CXXX. ita accipit, quaſi Ariſtoteles negaverit in universâ Galliâ aſinos reperiri. Verba ejus ſunt: *In Gallia Avernos mirati ſumus juſtam mulorum magnitudinem procul mentientes: ut falsò prodiderit Ariſtoteles, Galliam aſinis carere.* At non loquitur Ariſtoteles de tota Gallia, ſed tantùm de ea parte, quæ Hiſpaniæ finitima eſt. Ideoq; voce χώρα uſus eſt, ut denotaret partem totius. χώρα enim eſt pars terræ, & in hoc differt Chorographia à Geographiâ, ut docet etiam Ptolemæus lib. I. Geogr. c. I: *Geographia,* inqvit, *imitatio eſt picturæ totius partis terræ cognitæ cum iis, quæ ſibi quaſi univerſaliter ſunt annexa. Differt autem à Chorographiâ. Nam illa per partes loco reſecat, ſeorſumq́; ſingula, & unumquodq́; juxta ſe conſtituit.*

CCXLIV. Hoc qvoq; imponit nonnullis, quod non distingvant inter id, quod Aristoteles secundum apparentiam ita se habere dicit, & inter id, quod secundum rei veritatem vult intellectum. Veluti, quod lib. Hist. Anim. c. X. scribit de crocodilo, eum lingvam non habere, nempe his verbis: γλῶτταν πάντα ἔχουσι, πλὴν ὁ ἐν Αἰγύπτῳ κροκόδειλος, *Lingvam omnia*, animalia scilicet quadrupedia ovipera, *habent, præter crocodilum in Ægypto*, id aliqui assumunt, quasi simpliciter ab eo esset prolatum. Ast ex lib. IV. de partibus Animal. cap. XVII. constat, longè aliam esse ipsius mentem. Ait enim disertè, *omnia ovipera, tàm sangvinea, quàm carentia sangvine, habere eam partem, quæ sapores sentire potest*, hoc est, lingvam. Et ne quis hinc crocodilum excipiat, mox subdit: *Quæ enim eâ parte carere plerisq; videntur, ut nonnulli piscium, etiam illa aliquo modo restrictam habent, quò fermè modo aquatici crocodili.* Et rursus, postqvam de piscibus egisset, subjicit: *Crocodilis autem insuper accedit ad hujus partis vitiationem, quod immobilis iis est inferior maxilla. Lingva enim maxillæ adhæret*, δεῖ γὰρ ἡ γλῶττα τῇ κάτω συμφυής. Sed & pertinet huc locus ex capite XI. ejusdem libri: *Etiam illa animalia* [quadrupedia ovipera] *lingvam in ore habent, præter fluviatilem crocodilum. Is enim lingvam non habere videtur, sed solùm locum.* Non dicit, οὐκ ἔχει, *non habet*, sed οὐκ ἂν δόξειεν ἔχειν, *non videtur habere*, quia scilicet primâ fronte non apparet, nec lingvam habet â maxillâ separatam, quæ liberè moveatur. Qvod & Plinius observavit lib. XI. cap. XXXVII. his verbis: *Lingva non omnibus eodem modo. — Piscibus paulò minus, quàm tota adhærens, crocodilis tota.* Pertinet qvoqve huc locus ex lib. de arte Poëticâ cap. XIV. ubi de actionibus *truculentis* & *atrocibus* verba faciens eas ait esse aut *amicorum*, qui eas in *amicos* exerceant, aut *inimicorum*, aut *neutrorum*, sive talium, qui nec amici sint, nec inimici. Nam & hîc vellicant Aristotelem nonnulli quæren-

tes

tes, quomodo amici dici queant atrocia adversus amicos perpetrantes. Hoc enim, inquiunt, non amicorum amplius est, sed inimicorum. Ast quid obstat, quo minus locus intelligatur de iis, qui amici videri volunt, hostilem interim animum erga eos, quorum se amicos simulant, sub pectore gerunt? Quanquam & nihil prohibeat, quo minus verè amici atrocia quædam in amicos statuant ex ignorantiâ: aut etiam Aristoteles loquutus dicto loco dicatur de iis, qui ante amici fuerunt, quâ ratione cœci videre dicuntur, posteaquam visus ipsis est restitutus, non quod qui cœci adhuc sunt, videant, sed quod illi, qvi ante cœci fuerunt.

CCXLV. Alia obscuritatis caussa est, quæ itidem non paucis imponit, ut minus dextrè de Aristotele judicent, quod non distingvant inter ea, quæ ex propriâ sententiâ protulit, & quæ ex mente aliorum. Nam & hinc inter cætera fit, ut tàm crebras in Aristotele contradictiones reperiri querantur. E.c. lib. Categ. c. V. substantias primas vocat individuas & singulares, & tamen alibi substantias universales priores dicit naturâ singularibus, eò quod harum sunt essentiæ, aut de essentiâ ipsarum. Eodem lib. cap. XIV. de motu tractans species illius sex facit, generationem, corruptionem, accretionem, diminutionem, alterationem & lationem. Verùm non advertunt illi, quod in lib. Categ. non considerarit ea, de quibus ibi tractat, ex propriâ sententiâ, pro normâ habens veritatem, sed ex opinione vulgò receptâ. Qvod rectè observat Ammonius, qui ex hac ipsa observatione utramqve contradictionem solvit. Priorem quidem in lib. Categ. cap. V. cum ita scribit: Διαλέγεται ἐνταῦθα ὁ Ἀριστοτέλης περὶ τῆς συνθέτου οὐσίας, καὶ ταύτης φησὶ, τὴν μὲν, εἶναι πρώτην· τὴν δὲ, δευτέραν· πρώτην μὲν τὴν, μερικὴν καλῶν, δευτέραν δὲ τὴν καθόλου, τὴν κατὰ τὰ εἴδη, καὶ γένη. Οὐ γὰρ περὶ τῶν ὄντων, ἢ ὄντα, διαλαμβάνει, ἀλλὰ κατὰ ποίου σημαινομένου ἑκάστην τῶν κατηγοριῶν οἱ πολλοὶ λέγοντες φέρουσιν· ἐπεὶ εἴγε ἠκολούθει τῇ φύσει πραγμάτων, πρώ-

την

τὴν ἂν εἴποι τὴν τῶν γενῶν, καὶ τὴν εἰδῶν, δευτέραν δὲ τὴν τῶν ἀτόμων, ὡς ἐκείνην μὲν αἰτίαν ταύτην δὲ αἰτιατήν· κρεῖττον δὲ τὸ αἴτιον, τοῦ αἰτιατοῦ, καὶ τὸ καθολικὸν, τοῦ μερικοῦ, *Aristoteles differit in libro hoc de compositâ substantiâ, quam vel primam vel secundam esse dicit. Et primam quidem appellat individuam, secundam verò universalem, quæ generibus formisq́ continetur. Etenim non agit de entibus quatenus sunt entia, sed in quâ significatione vulgus singulas categorias loquendo effert. Quodsi naturam rerum esset secutus, primam eam esse dixisset, quæ formarum & generum est, secundam, quæ est individuorum: illa enim causa est, hæc verò ab illa effecta. At causa est effectis præstantior & universale particulari.* Alteram dirimit eodem comm. in cap. XIV. ubi postquam ostendisset, Aristotelem jure in V. Physs. generationem & corruptionem à speciebus motus removisse, subjungit: ἐν ταύτῃ δὲ ἐπειδὴ εἰσαγωγικόν ἐστι τὸ βιβλίον, λογικὸν μᾶλλον, οὐ φυσικόν, οὐκ ἀκριβολογεῖται περὶ τούτων, ἀλλὰ καὶ τὴν γένεσιν, καὶ τὴν φθορὰν, κινήσεις εἶναι λέγει· οὐ γὰρ ὡς φυσικὸς ἐνταῦθα διαλέγεται, ἀλλ' ὡς λογικός, *At hoc loco, quoniam liber hic introductorius magis & Logicus est, non Physicus, non agit de his rebus accuratè, sed generationem quoque & corruptionem motus esse affirmat, neque enim hic ut naturalis Philosophus disputat, sed ut Logicus.*

CCXLVI. Non est tamen huc recurrendum, ut Aristotelem, si quid fortè occurrat, quod difficultate haud caret, statim dicamus ex opinione aliorum hoc vel illud scripsisse. Quod faciunt illi, qui locum illum ex III. Meteorol. IV. quo causam reddens ejus, *quod non nemo simulachrum suum perpetuò ante se stans viderit, idcircò id factum refert, quod visio ad aërem reflexa fuerit ob imbecillitatem*, conferentes cum altero isto ex lib. de sensu & sensibili, quo negat visionem fieri *per emissionem radiorum* ex oculis ad rem visam. Indignum enim omninò videtur tanto Philosopho causas rei alicujus assignare ex aliorum sententia, proprium interim nullibi aperire. Tum

&

& nunquam negavit ille diffundere se, cum oculus quid percipit, ex eo virtutem quandam respectu rei, oculum ferientis. *Tria* namqve, quod & Augustinus lib. XI. de Trinit. cap. II. annotat, *ad perfectam visionem sunt necessaria*, nempe primo *res ipsa, quam videmus*, sive lapis illa sit, sive flamma, sive quid aliud. Deinde *visio*, per quam intelligit speciem visibilem, sive imaginem, quæ ab objecto imprimitur organo visus, sicut ipsemet mentem suam exponit, subdens: *Ipsa forma, quæ à corpore visibili imprimitur sensui, visio vocatur*. Tertiò, *qvod in ea re, quæ videtur, quamdiu videtur, sensum detinet oculorum*, id est, animi intentio. Nisi enim hæc intentio adsit, oculus etiam specie visibili signatus nihil videt. Quod vel in nobis ipsis satis experimur. Cûm enim plateatim cum amico ambulantes ad confabulationem cum illo attentionem avertimus, oculis nostris res objectas non videmus, etiamsi illarum species visibiles iis excipiamus. Jam autem intentio illa animi sine dubio virtutem sentiendi movet, ut actum vitalem circa speciem visibilem oculo impressam eliciat, & per speciem istam tendat ad objectum externum, illud apprehendendo. Hactenus ergò negari non potest excitari inter videndum virtutem in oculo latentem ad apprehendendum objectum visui oblatum. Qvod & passim Philosophus præsupponit. Veluti lib. II. de cœlo textu 48, ubi visum ait *in cœlum ferri*, indeqve *sidera tremere videri & Solem secundum revolutionem moveri existimari, qvod valdè remotus sit à visu atq; hic multum remotus & extensu revolvatur propter solam debilitatem*. Ipso quoqve III. Meteor. cap. III. idem inculcat: Ubi meminit *nubis, à qvâ versus Solem refrangatur aspectus*. Item cap. subseqvente IV. cur habentes *oculos humidos* scribit *iridem videre circa candelam, flante austro, quod eorum aspectus celeriter præ imbecillitate refrangatur*. Adhæc lib. V. de Gen. Animal. cap. I. cum causam inquirit, *cur habentes oculos cavos à longinquo magis videant, id ideo* dicit *fieri, quia mea-*

mentus in vastum non dissipatur, sed recto tramite meat. Nam, inquit Averroes in Commentario, *quando oculus in cavo est positus & boni tegminis, non dissipatur ejus virtus à lumine exteriori, emissioq; virtutis oculi ad rem prospectam recto tramite meat, ut emissum aqvæ, qvæ ex angustâ cannulâ proficiscitur.* Neqve id negat Aristoteles lib. de sensu & sensibili cap. 2, sed hoc solùm, quod *lumen ex oculo exeat & cum alio externo lumine conjungatur*: vel etiam *radios visuales ex oculo emitti usq; ad rem istam, quæ videtur*, sive ista astra sint, sive quidpiam aliud etiam summè remotum. Quale quid non sequitur ex priori hypothesi. Nam nec sonus percipitur à nobis sine intervẽiente animi intẽtione: nec tamen ideò ex auribus exit quidpiam, quod se coniungat cum eo, qvod auditur, & speciem ejus deferat ad ipsum auditũ.

CCXLVII. Sed unde cognosci potest, num Aristoteles ex propriâ, an aliorum sententiâ alicubi loquatur? Interdum quidem id satis clarũ est. Ipse enim innuit, se non ex suo, sed ex alieno dicere sensu, quod dicit, aut ex cõmuni sententiâ. Veluti cùm ait, λογικῶς ita se rem habere, quod fit in locis in Prodromo n. XXXIII. & seqq. adductis: vel κατὰ δόξαν aut καθ' ἔννοιαν. Item cùm dicit, λέγουσι, ita *ajunt*, ita *perhibent*, aut λέγεται, *ita dicitur*, vel etiam φαίνεται, δοκεῖ, *apparet*, *videtur*. Ut lib: III. Part. Animal. cap. VII. ubi ita scribit: Δοκεῖ δὲ τῶν σπλάγχνων τὰ μὲν εἶναι μονοφυῆ, *viscerum qvædam videntur esse simplicia, ut cor & pulmo.* Ita enim ea apparent vulgo. At revera omnia sunt διφυῆ, ut ibidem addit. Quanquam hoc universale non sit. Notavimus enim suo loco, quod Aristoteles interdum his verbis, δοκεῖ seu δόξειεν, φαίνεται & similibus aliis, interdum etiam in rebus certissimis utatur, sive modestiæ, sive, elegantiæ causâ. In iis tamen rebus cùm vocabula ista adhibet, quæ adeò certæ, aut evidentes non sunt, ejus, quod dixi, indicium præstant. Nonnunquam vel expressis etiam verbis ait aliquos hoc vel illud referre, qui tamen id oculis non usurparint, sed ab aliis so-

lùm

lùm acceperint percontando. Veluti, quod ex Pyrenæo, qui mons est Celticæ regionis, æqvinoctialem occasum spectans, Ister, qvi alio nomine & Danubius vocatur, effluat. Qvod habetur I. Meteor. cap. XIII. Hic putant nonnulli se Aristotelem aperti erroris convicisse. Constat enim Danubium fluvium per Suevos, Vindelicos, Noricos, Pannonios, Mysosqve in Euxinum mare delatum, oriri ex monte Abnoba in Sylva nigra & comitatu *Bar* dicto, propè oppidum Sveviæ, cui Villingæ est nomen. Quà de re Tacitus sub initio lib. de moribus Germanorum: *Danubius molli & clementer edito montis Abnobæ jugo effusus.* Et Plinius lib. IV. cap. XII. de eodem amne verba faciens: *Ortus hic in Germaniâ jugis montis Abnobæ, ex adverso Nauraci Galliæ oppidi, multis ultra Alpes millibus.* Sed & Ammianus Marcellinus lib. XXII. in Scythiæ Europææ nomenclatura: *Amnis Danubius oriens propè Rauracos montes limitibus Rheticis per latiorem orbem protentus, ac sexaginta navigabiles penè recipiens fluvios septem ostiis per hoc Scythicum latus erumpit in mare.* Claudianus insuper:

Prominet Hercyniæ confinis Rhetia sylva,
Quæ se Danubij jactat, Rhenique parentem:
Utraque Romuleo prætendens flumina regno.

Porrò & Antonius Bonfinius lib. I. Rerum Hungaricarum Decade I: *Danubius è Germaniæ montibus oritur, hanc procul à Rauracis jugis, limitibus Rhæticis, per latiorem orbem protentus receptis sexaginta ferè fluminibus navigabilibus bis decies circiter millibus passuum vagatus, septenis tandem ostiis in Euxinum mare devolvitur.* Idem confirmant & alii, inter quos est & Johannes Pedius Tehtingerus in Commentar. de Würtembergiæ rebus gestis lib. III. provocans ad αὐτοψίαν. Verum si ea, quæ antecedunt, considerassent illi, qui Aristotelem hic erroris insimulant, aliter sanè judicassent. Sic enim ille in præcedentibus: *Etenim universi, quos non contingit dicentes,*

eosdem & *spectatores, αὐτόπτας, fuisse ex hisce, quæ à singulis percontando conceperunt, eos* (fluvios) *ad hunc descripsere modum.* In his autem etiam illud censendum, quod, aliquibus interjectis, de Istere fluvio refert. Quod ipsum non sine fundamento scripsisse, fidem facit Herodotus, qui lib. II: *Ister,* inquit, *fluere incipiens à Celtis atq; urbe Pyrena (Celtæ autem sunt extra cippos Herculis, Cynesiis finitimi, omnium in Europâ ad occasum habitantium ultimi) mediam Europam scindit: totamq; permensus quam Istriani Milesiorum coloni incolunt, mari Euxino finitur.* Ipse verò Aristoteles lib. de mirabilib. auscultationibus non solum *alios ex Hercyniâ sylvâ Istrum partim in Pontum, partim in Adriam decurrentem derivare tradit,* sed & addit, *ejus rei argumentum non isto tempore primum, sed à priscis usq; seculis extare.*

CCXLVIII. At aliquando Philosophus se ex aliorum ore loqui ne verbo quidem indicat, necessarium tamen est, ipsum vel hoc, vel alio loco ex aliorum opinione locutum esse, quod hæc loca è diametro sibi sint adversa. Quam ergò tum adhibebimus regulam, ut dijudicare valeamus, ex cujus sententiâ hoc vel illud pronunciet, num ex propriâ, vel alienâ? Principio spectandum est, ubi sit rei substratæ, de qua in diversis locis differit, *sedes propria,* v.c. num ἀκριβῶς & ex instituto de eâ agere ad Ethicam, aut Physicam, aut aliam pertineat disciplinã, &, si ad Physicam, vel aliam pertineat disciplinã, ad quam ejus partem. Eo cognito progrediendum porrò & videndũ est, quid isto loco de re illâ proposuerit. Verisimile enim est eum, quippe methodi observantissimum, isto potius loco, quàm ullo alio, quid ex animo sentiret, candidè nobis impertivisse. Quodsi verò alibi contrarium occurrit, ubi de re istâ solùm obiter & ex occasione differuit, certum indicium est, ex vulgi aut Philosophorum quorundam sententiâ, tùm à plerisqve receptâ, id esse accipiendum. E. gr. lib. I. Ethic. cap. I. *Oecono-*

mica

mica finem dicit esse *divitias*. At ipse I. Politicorum, ubi ex professo disputat de Oeconomicæ fine, reprehendit hanc opinionem, & divitias tantùm particulæ ejus, quæ κ]ητικὴ dicitur, finem esse affirmat. Dubium ergò non est, quin ex vulgi illud dictum sit opinione. Eodem I. Ethic. cap. ult. divisionem hanc non esse accuratam, ostendit in libris de Animâ, ad quos pertinet καθ' ἀκρίβειαν de animâ tractare. Lib. VI. cap. I. *cognitionem omnem* ait fieri per *similitudinem* inter *cognoscens* & *cognitum*, quæ Empedoclis opinio erat. At in I. de Animâ, ubi ex instituto de hâc re disserit, multis argumentis hanc sententiam rejicit, ut, quod oporteret hâc ratione non tantùm *elementa*, verùm etiam *composita* in animo esse, alioqvin enim animus non cognosceret composita; sed tantùm elementa; quod sequeretur *animum esse omnia prædicamenta &c.* Dicendum ergò rursus est, Aristotelem in priore isto loco ex eâ locutum esse opinione, quæ tunc recepta erat, non ex suâ. Lib. I. Gen. An. IV. quæstionem pertractat, cur animalibus *nonnullis* natura *testes* dederit, cùm alia iis sint destituta. Respondet initio, ideò id factum, ut animalia illa, quæ *testes habent*, *participent castitatem divinæ naturæ. Cum enim*, inquit, *tres sint animalium ordines, quoad testes. Alia enim iis carent; alia habent, sed intus; alia deniq; foris habent, libidinosissima illa sunt, quæ carent; minus libidinosa, quæ intus habent; minimè quæ foris.* Idqve explicat simili ab intestinis: *Quemadmodum*, inquit, *hominis intestina sunt circumvoluta in multos gyros & anfractus, ne perpetuò cogatur esse occupatus, cùm in sumendis cibis, tùm in egerendis excrementis, & sic vita ipsius sit aliena ab omni Philosophia & Musis; Ita testes habet homo longissimè abductos, ut vita ipsius sit castior, non alligata perpetuò illis Venereis.* Hanc rationem non esse allatam ex mente Aristotelis, vel ex eo satis apparet, quod VI. Hist. XXII. disertè hominem dicat *animalium omnium esse salacissimum.* Attulit ergò & hanc ex aliorum

 sen-

ſententiâ. Ita quæ lib. VII. Met. XII. de modo definiendi ſecundum diviſionem diſſerit, alibi refellit lib. I. ſcilicet de Part. An. c. II. & III. quæ ergò ibi proponuntur, non ita accipienda ſunt, quaſi dicta ſint ab illo ex ſententiâ propria, ſed potius ut ex ſententia Platonis, cui talis definiendi modus vehementer arriſit, ut conſtat ex Politico ejus. Alia non addimus, quanquam ejusmodi innumera adduci poſſent, præſertim ex Topicis & Rhetoricis, ubi licet de iis, quæ ad diſciplinas illas per ſe pertinent, ἀκριβῶς tractârit, ſicut in Prodromo demonſtravimus; exempla tamen ipſa, quibus præcepta illuſtrat, ut plurimum ex aliorum, & inprimis communi opinione deprompſit. Circa ἔνδοξα enim & πιθανὰ facultates hæ ſunt occupatæ, quibus quà talibus inſunt quidem aliquæ affectiones, quæ de iis demonſtrari poſſunt, (ſicut enim de iis, quæ neceſſaria ſunt & æternæ veritatis, ex ἐνδόξοις diſputare licet: ſic viciſſim nihil prohibet, quo minus de probabilibus ex propriis horum principiis, quæ non probabilia ſunt, ſed neceſſaria, aliqvid concludatur;) pronunciata tamen illa, quæ dicuntur ἔνδοξα aut πιθανὰ non ſtatim vera ſunt. Amborum enim menſura non res ipſa eſt, ſed opinio hominum, homines autem in opinionibus ſuis non rarò falli aut à vero declinare experientia ſatis ſuperqve teſtatur. De talibus ergò qvid Ariſtoteles ſenſerit, ut intelligatur, judicium non faciendum eſt, ex Topicis, ſed ex aliis diſciplinis, in qvibus ex profeſſo de iis diſputavit non λόγου χάριν, aut πρὸς δόξαν, ſed πρὸς ἀλήθειαν, non accommodatè ad *opinionem*, ſed *veritatem*. Idem de Problematibus eſt dicendum. Ex qvibus unà & hoc diſci poteſt, non ſemper Ariſtotelem de rebus propoſitis ex propriâ ſententiâ locutum eſſe, ubi rationes eorum, quæ dicit, affert. Nihil enim quicqvam ferè in problematibus ponit, cujus rationem non afferat, ſi non in re, in opinione tamen hominum fundatam: & tamen ibi ex propria ſententia non diſſerit de rebus ſubſtratis. Liber enim

hic Exotericus est. Et qvoties unum idemqve problema εἰς ἑκάτερον disputat rationibus pro utraqve parte adductis, ex quibus tamen unam solùm amplectitur? Suffecerit ergò regula à nobis indicata. Facilè autem hinc colligitur, ad id, ut quis perfectè imbibat mentem Aristotelis, non qualemcunqve ejus lectionem satis esse, sed diligentiam adhibendam, eaque, quæ inter legendum observata sunt, sæpius ruminanda & inter se conferenda esse. Neqve enim eos imitari oportet, qvi cùm in Aristotele, tum in aliis optimis autoribus ita versantur, ut nulli loco immorentur, sed de alio in alium ferantur, contenti, si cujusqve loci qvalemcunqve sensum, licet is ab auctore ipso nunquam intentus fuerit, sibi imaginentur, ex quo fit, ut tandem cùm omnia didicisse se existimant, nondum sciant id, qvod penè nemo ignorat. Optimè tales describit Polybius lib. III. παραπλήσιόν τι, inquit, πάσχουσι τοῖς λιχνοῖς τῶν δειπνητῶν· καὶ γὰρ ἐκεῖνοι πάντων ἀπογευόμενοι τῶν παρακειμένων, οὔτε κατὰ τὸ παρὸν οὐδενὸς ἀληθινῶς ἀπολαύουσι τῶν βρωμάτων, οὔτ' εἰς τὸ μέλλον ὠφέλιμον ἐξ αὐτῶν τὴν ἀνάδοσιν καὶ τροφὴν κομίζονται, πᾶν δὲ τοὐναντίον, *Simile quid, ait, patiuntur tales, cum catillonibus convivis, qui singula fercula degustando, neq; in præsentia ullam veram voluptatem è cibis capiunt, neq; in posterum utile ex eorum digestione alimentum ferunt, sed omnia potius contraria experiuntur.* ὥσπερ γὰρ, sunt verba Aristippi apud Laërtium in vitâ ejus, οὐχ οἱ τὰ πλεῖστα ἐσθίοντες καὶ γυμναζόμενος ὑγιαίνουσι μᾶλλον τῶν τὰ δέοντα προσφερομένων, οὕτως οὐχ οἱ πολλὰ ἀλλ' οἱ χρήσιμα ἀναγινώσκοντες εἰσὶ σπουδαῖοι, h. e. *Uti enim non qui plurima comedunt & exercentur, melius valent, quàm qui sumunt necessaria: Ita non qui plurima, sed qui utilia legerunt, studiosi habendi sunt & eruditi.* Sanè nihil quicquam est in Aristotele, quod non utile & magno cum judicio sit scriptum. Verùm, ut solidus cibus si prodesse debet, ad concoctionem sui tempus requirit: Sic nec ea, quæ ab Aristotele proponuntur, statim animo comprehendi possunt, sed matu-

maturum judicium ac tempus postulant, qvò rectè perpendantur, ab iis, quæ Aristotelica non sunt, separentur, & sub formâ debitâ appareant.

CCXLVII. Cæterum sunt, qui cùm assiduam operam dent Aristoteli, sententiam quidem ejus asseqvuntur, eamqve primo obtutu etiam amplectuntur; sed mox ab ea se dimoveri permittunt, vel ob multitudinem eorum, qui ejus opinioni adversantur, eiqve adstipulantes alto supercilio contemnunt: vel ideò, quod rationes, quæ in contrarium adducuntur, solvere nesciant. Quorum utriqve quomodo excusari possint, non penetramus. Nam, quæ hæc stupiditas est id, quod verum esse cognoveris, abnegare propter multitudinem aliter sentientium? Quæ dementia, cum multis potius errare velle, quàm cum uno aut paucis veritatem amplecti? Simile hoc est, ac si quis vellet cum multis potius interire, quàm cum paucis servari, ἔστι τοῦτο καθάπερ εἴ τις ἐν λοιμῷ, διὰ πάντας, ἢ τοὺς πλείστους νοσεῖν, μηδεμίαν ἐθέλοι ποιεῖσθαι πρόνοιαν, ὥστε αὐτὸς ὑγιαίνειν· ἢ ἐν θαλάττῃ χειμαζόμενος, ἐπεί τις πάντας ὁρᾷ ἐν τῇ νηῒ κινδυνεύοντας, ἀμελεῖ τῆς σωτηρίας, ait Dio Chrysostomus Orat. XXXIII. qvæ est Tarsica prior. *Est hoc ejusmodi, ut si quis in pestileutia, eò quod omnes aut plurimi ægrotent, nullam velit salutis suæ habere rationem, aut si tempestate jactatus in mari omnes, qui sunt in navi, videat periclitari, ipse quoq; negligat suam salutem.* Quanta rursus mollities est, ut molliter loqvamur sententiam, quæ solidis demonstrationibus nixa est deserere ideò, quod rationibus Sophisticis satisfacere haud possis. Ἄτοπον τὸ μὴ δυναμένους λύειν τὸν λόγον δουλεύειν τῇ ἀσθενείᾳ, καὶ προσεξαπατᾶν ἑαυτοὺς μείζους ἀπάτας, βοηθοῦντας τῇ ἀδυναμίᾳ, inquit Aristoteles ipse in lib. de Insecabilibus lineis. *Absurdum est quempiam præ ignavia succumbere, propterea quod non audeat oblatas argumentationes dissolvere, atq; sic imbecillitatem suam fovendo, gravioribus insuper fallaciis se decipere.* Confer VII. Ethic. III. I. Eud. VI. IV. Met. VII. Ita multi

multi sunt, qui falsum esse existimant, quod Aristoteles lib. II. Rhet. cap. IIX. de commiseratione verba faciens scribit τὸ ἐλεεινὸν *miserabile* ὑπὸ τοῦ δεινοῦ ab *atroci* esse distinctum. Si enim hoc, ajunt, verum est, quomodo ergò in Poëticis ipsemet, ut fabulis misericordiam pararet, proponit inqirere, qualia sint τὰ δεινὰ, atrociâ. Verum facilis est responsio. Etsi enim distincta sint miserabile & atrox, nihil tamen impedit, quo minus idem cum diversis comparatum sit & atrox & miserabile. Veluti si consangvineorum unus interficiat alterum, atrox hoc factum est, si consangvineorum inter se ratio habeatur: miserabile tamen idem est, si adspectantes respiciatur. Id quoqve non parum nonnullos offendit, quod scribit lib. I. Prior. III. videlicet propositionem universalem affirmativam τοῦ ἐξ ἀνάγκης ὑπάρχειν converti in particularem necessariam, quod non norint respondere ad argumenta, quæ huic sententiæ à quibusdam opponuntur, veluti quod multæ sint propositiones universales affirmativæ necessariæ, & quidem veræ, quæ tamen si eâ, quâ modò dictum est, ratione converterentur, falsæ evaderent. Cùm enim, inquiunt, hæ, Necesse est omnem hominem esse animal, Necesse est omnem Medicum esse hominem, veræ sint, illæ sunt falsæ, Necesse est Q. animal esse hominem, Necesse est Q. hominem esse Medicum; posito enim, quod nullum animal sit homo, & quod nullus homo sit medicus, non sequetur impossibile. Quod autem ita se habet, non necessarium est, sed contingens lib. I. Prior. XIII. At facilè nodum etiam hunc solvere possent, si rem accuratius perpenderent. Quod enim priorem illam propositionem attinet, Necesse est. Q. animal esse hominem, ea omninò vera est; falsum è contrario, quod non sequatur impossibile, si ponatur N. animal esse hominem. Si enim hoc ponatur, per conversionem ponendum quoqve est, quod N. homo sit animal quoniam ipsimet concedunt, propositionem universalem τοῦ ὑπάρ-

χειν universaliter converti. At hoc impossibile est, quia antè positum fuit, eam, quæ huic contradictoriè opponitur, omnis homo est animal, veram esse, Impossibile autem est duo contraria pronunciata esse simul vera, lib. de Interp. c. VII. Fons autem unde manavit error iste, hanc propositionem Q. animal est homo, non esse necessariam, duplex est. Primus quidem hic, quod propositionem hanc exponunt de animali actu existente in naturâ, quasi hic ejus sit sensus: Necesse est Q. animal, quod actu est in rerum naturâ, esse hominem. At talem sensum non ferunt propositiones necessariæ, quales sunt, ex quibus scientiæ concludunt. Non enim respiciunt certam temporis differentiam, sed ab æterno vera sunt. E. gr. ab æterno verum est, hominem esse animal, quia connexio, (quæ per τὸ εἶναι ἐξ ἀνάγκης exprimitur. Vide IX. Met. cap. ult.) æterna est, etsi homo non fuerit ab æterno. V. I. Post. IIX. Et sanè si de animali actu in naturâ existente propositio posterior, quæ in scholis convertens dicitur, intelligenda esset, de eodem & prior accipienda foret. Quis autem ferret hunc sensum propositionis: homo necessariò est animal, quod nunc actu in naturâ existit? Non ergò hic ejus sensus est, sed iste potius: Omnis homo est animal, h. e. omnis homo participat naturam animalis quomodocunqve se habeat temporis ratione. At hoc ipso sensu & altera ista vera est: Q. animal ex necessitate homo est, h. e. Necesse est Q. quod participat naturam animalis, simpliciter, citra προσθήκην temporis esse hominem. At, dicunt, potest natura ipsius animalis servari, etiamsi nullus sit homo. Scilicet servari potest in cane, equo, leone, in quibus & servata fuit ante creationem hominis. Sed hic ipse alter est, quem dixi, fons, unde error illorum fluxit, quod non distingvant inter *ipsum animal simpliciter*, & inter *animal quoddam*, sive, ut cum Aristotele loquamur, inter τὸ περὶ ζῶον ἁπλῶς, & ὁ περὶ ζῶόν τι, inter quæ non exiguum discrimen esse,

se, constitit nobis jam supra. Natura ipsius animalis, quod Græcis ὅπερ ζῶον simpliciter audit, cum homine non habet necessariam connexionem, sed accidit ei, perinde, ut Socrati accidit τῷ ἀνθρώπῳ I.Met.I.& triangulo æquilatero τῷ τριγώνῳ εἶναι II.Topic.III. neqve de eo potest prædicari. Falsum enim est, quod homo sit ὅπερ ζῶον. At natura cujusdam animalis, quod ὅπερ ζῶόν τι audit, omninò necessariam cum homine habet connexionem. Annon enim vivens rationale necessariò cum homine est conjunctum. Sanè idem sunt, neque aliter differunt, nisi modo significandi, quod alterum confusè, alterum distinctè eandem rem notet. Quâ de re videatur Simplicius in I.Phys.I. At vivens rationale est ipsum quoddam animal. Necesse ergô erit, quoddam, quod est ipsum aliquod animal, esse hominem. Quod autem ad alterum exemplum attinet, non absolutê verum est, O. Medicum esse hominem, nisi vox Medici materialiter, ut loqvuntur accipiatur, pro eo, qui est Medicus. Notum namque est, quod ejusmodi propositiones, in quibus accidentia concreta ponuntur, duplicem habere possint sensum, eo quod accidentia ista duplicem admittant sensum. Possunt enim accipi vel *materialiter*, h. e. pro re ipsâ cui accidere quid dicitur, quatenus est talis res: vel formaliter quatenus prædita est tali accidente. E. gr. hæc res, omnis ambulans movetur, vel hunc habere potest sensum, omne id, quod ambulat, aut cui accidit ambulare, e. gr. eqvus, taurus, vulpes, homo &c. movetur. Vel istum: Omne id, quod ambulat, quatenus ambulat, movetur. Eadem est ratio & hujus propositionis: Necesse est omn. Medicum esse hominem. Vel enim, ut de posteriori prius dicamus, hæc ejus mens est: Necesse est omnem Medicum, quatenus est Medicus, esse hominem. Et hoc modo falsa est. Medicus enim & homo non necessariò, sed ut accidens & subjectum cohærent. Vel istum habet sensum: Necesse est omne id, quod est medi-

cus, seu cui accidit esse medicum, esse hominem, quo sensu vera est illa propositio; Medicinæ enim, quis capax est, præter hominem? sed eodem sensu vera est & convertens illa: Necesse est quendam hominem esse id, cui accidit Medicum esse. Verùm tales propositiones in scientiis non attenduntur, quippe quæ in accidentibus non sunt occupatæ I. Poster. VI. §. 10, sed circa οὐσίας rerum & propria earum πάθη. Nullam ergò illi habent causam, cur Aristotelem deserant hâc in parte. Ibidem I. inqvam, Prior. c. III. docet Aristoteles propositionem contingentem universalem negativam non simpliciter converti. Contradicunt ei, quantum ad hoc, etiam Theophrastus & Eudemus rationibus quibusdam satis speciosis in medium prolatis, quas cum solvere pares non sint pleriqve ex recentioribus, Aristotele relicto, illis subscribunt, etiam si firmissimâ ἀποδείξει ejus sententia nitatur, & rationes oppositæ adeô firmæ & solidæ non sint, uti primo quidem intuitu videntur, sicuti alibi in peculiari Exercitatione, quam de hac materia quondam conscripsimus, à nobis est ostensum.

CCXLVIII. Aliis, quo minus Aristoteli subscribant in Rhetoricis dicenti, quod *Tragædiâ fabulâ partium gratia, quas peripetiam ait esse & agnitionem voluptate nos afficiant, cum tamen experientia teste, sub tristitia potius nos & dolore affici, si ista ritè sint comparata.* Contraria enim putant nullo modo eidem posse inesse: quo ergò pacto, inqviunt, fieri potest, ut & lætari & contristari, quæ sunt contraria, in eodem simul reperiantur. Aristoteli quidem tale quid dicere absurdum non est, qvi in ipso luctu ac lachrimis inesse scribit qvendam sensum voluptatis. Quod etiam Homeri loco confirmat: *Et flendi dulcedine perculit omnes.* Habetqve Aristoteles hâc in parte consonantem sibi & Platonem, cujus hæc sunt in Philebo: *Nonne dolores aliquos plenos miris quibusdam voluptatibus licet invenire.* Verum tantum abest, ut hæc illis satisfaciant, ut

ut tantò magis in Philosophum invehantur: quod non facerent utique, si ex lib. de Interpr. cap. VII. & lib Sophist. c. V. didicissent, effatum illud, *contraria non posse eidem simul inesse*, esse limitandum, ita ut subintelligatur, *ad idem, secundum idem, eodem modo.* At mœrorem & voluptatem ratione ejusdem in uno eodemqve esse Philosophus non affirmat, sed ratione diversorum. Mœrorem enim & fletum cieri ratione ejus, qvod abest, qvod desideretur ille, qvem flemus: voluntatem autem qvod idem in Tragœdiâ πάντα τὰ ὀκτω habente nobis ita testatur, ut eum veluti præsentem intueamur & res, qvas gessit ac qvalis qvantusqve fuerit, cum vixit. Ratione diversorum autem nihil prohibet, qvo minus idem simul & lætetur & tristetur, qvemadmodum observavit etiam Alexander Aphrodisæus; lib. I. Quæst. natur. Quæst. XII. ad hunc modum scribens: *Qvod ab eodem non sit voluptas & dolor, manifestum est, ex eo, quod qui famescunt, non autem cibantur, dolore solùm afficiuntur, & eo, qvòd qui cibantur, minuunt dolorem, hoc pacto indigentia quidem doloris sola est causa, repletio verò voluptatis. Scabiosi qvoq; & sculpentes, non quia scalpunt se, dolore afficiuntur, sed quia iterum indigent scalpore: quemadmodum & qui cibantur, quia adhuc indigent, dolore afficiuntur, non quod cibentur.*

CCXLIX. Porrò, ut ex Physicis qvoqve unum atqve alterum exemplum addamus, quamvis ab Aristotele satis solide demonstretur, *continuum non constare ex indivisibilibus,* uti Democritus & alii docuerunt, sed esse divisibile in infinitum, sunt tamen qui rationibus Sophisticis se absterrere patiuntur, quo minus hanc sententiam amplectantur. Inter quas quidem, si rectè memini, hæc palmaria est. Si continuum divisibile est in infinitum, continuum autem omne dividitur in partes insitas, cùm sit quantum, V. Met. XIII, necesse est, ut in qvovis continuo partes infinitæ sint: hoc autem posito impossibile

ſibile eſt, quin iſtud ſit infinitum actu & ita extenſum, ut nullis terminis valeat contineri. Prima enim pars habet aliqvam extenſionem, ſecunda etiam habet ſuam, & ſic porro; Infinitæ igitur ſi ſunt partes continui, extenſiones qvoqve infinitas agerent, qvæ univerſim in unam extenſionem confluentes, neceſſariò eam actu infinitam efficient & omnes terminos ac limites talis qvantitatis effringent. Verùm obſervandum eſt, quod cum continuum dicitur dividuum in partes infinitas, id intelligendum ſit de partibus non communicantibus & proportionabilibus inæqvalibus. Proportionales partes vocantur, qvæ eanden habitudinem ſervant ad ſuum totum, ut ſi una fuerit dimidium ſui totius, etiam altera ſit, ſi tertia pars totius, altera qvoqve ſui totius tertiâ ſit &c. Proportio enim nihil aliud eſt, qvàm plurium habitudinum ſimilitudo. Partes autem proportionales inæqvales ſunt, qvarum una proportionem cum aliâ habens, includit alteram itidem proportionem, ſeu certam ad totum ſuum σχέσιν cum alia habentem, ita ut incluſa certâ ratione minor ſit includente, v. c. partes proportionales in lineâ centumpedali ſunt duæ qvantitates pedales, eandem enim habitudinem ſervant ad ſuum totum; ad lineam centumpedalem. Partes proportionales inæqvales autem in eâdem lineâ ſunt qvantitas pedalis & dimidium ejus, hoc enim ab illâ includitur & duplo eâ minus eſt. In ejusmodi ergô partes proportionales, qvarum ſeqvens ſemper ſit duplo minor parte præcedente, dividuum eſt continuum, idqve in infinitum. Tale verò genus infinitudinis, terminis ſe claudi patitur, qvia ſicuti ſine fine partes accumulat, ita eas ſine fine accidit & diminuit, ut proinde una infinitudo alteram caſtiget, & intra terminos contineat finitos. Duplex, inqvam, hic eſt infinitudo, una partium qvantitatis, altera perpetui decrementi earum. Si illa ſine hac eſſet, in infinitum ſe qvantitas

effun-

effunderet, qvia per partes æqvales incrementa ejus procederent, nunc verò secunda infinitudo priorem coërcet, facitqve ut deorsum descendendo, ita perpetuo partes consumantur, ut ad terminum tandem aliqvem perveniant, nec ultra excurrant. Ita si qvantitas aliqva fingeretur constare ex infinitis, qvos contineret, pedibus, esset sanè ea actu infinita. At non erit infinita prædicto modo, si ex partibus proportionabilibus inter se inæqvalibus infinitis constare dicatur. Sume enim ex lineâ bipedali v:gr. dimidium, & ex hoc rursus dimidium, h.e. qvartam lineæ bipedalis partem, & hujus dimidii rursus dimidium, qvæ est octava lineæ bipedalis pars, & ita porrò per proportionalia decrementa progredere: hîc nunqvam qvidem ad finem pervenies, sed infinitas partes inuenies, qvæ tamen magnitudinem definitam non excedent. Etiamsi enim omnes istas particulas in unum conjicias, qvantitatem tamen, qvæ bipedalem lineam superet, non explebis. Cujus causa alia non est, nisi hæc, qvia infinitudo qvæ hic spectatur, non passibus æqualibus aut majoribus, sed minoribus progreditur, ac versus minimum descendit, non ascendit versus maximum.

C C L. Cœlum moveri, terram autem in centro suo immotam consistere, adversus Pythagoreos ex professo docet & accuratè demonstrat Aristoteles lib. II. de cœlo, talibus fretus rationibus, qvas nemo hactenus solvere potuit sufficienter. At fuere, qvi Pythagoræ sententiam denuò resuscitârunt, & omnibus modis defenderé conati sunt, qvod cœlo immoto terra circulariter moveatur, freti aliqvibus rationibus, qvæ cum satis speciosè ab illis proponantur, neq; in promptu ad singulas omnibus sit responsio, qvidam non dubitârunt, verâ sententiâ rejectâ, horum opinionem exosculari, cùm tamen reverà istis rationibus nihil solidi subsit. Consideremus ex illis unam atqve alteram. Primò dicunt, *naturâ à super-*

fluis

fluit abhorret, compendia è contrario amat. At expeditius & majori compendio sola terra motu diurno circumducitur, quàm Sol & astra omnia. Verisimilius ergò & terram quotidie se revolvere circa centrum, qvàm Solem toties majorem, & tot praterea sidera fixa, erratica & tot ingentis capacitatis Sphæras, circa terram tàm brevi, nempe 24. horarum spatio circumagi. Sed responsio est in expedito. Nempe, qvod Socrates apud Platonem in Euthydemo Critoni, Sophistas ex eo capite laudanti, qvod sermo eorum aliqvid verisimile haberet, respondebat; ἔχει, ὦ Κρίτων, εὐπρέπειαν μᾶλλον ἢ ἀλήθειαν, *Habet similitudinem potius, qvàm veritatem;* Idem & his responderi potest. Neqve enim omne id, qvod verisimilius & speciosius est, continuo etiam verius est, IV. Met. V. ἕτερον στοχασμὸς ἀληθείας, ἕτερον ἡ ἀλήθεια. ἄλλο ὁμοίωσις, ἄλλο αὐτὸ τὸ ὄν, ait & Clemens Alexandrinus I. Stromatum. *Aliud est veritatis conjectura, & aliud veritas, aliud id quod reverâ est.* Est qvidem terra longè minor qvàm cœlum, sed ideò non statim magis apta est ad motum tàm celerem, qui in circulo fiat, quàm cœlum. Hoc enim & simplex est & lucidum, luce suâ omnia calefaciens suoqve calore efficiens, ut & oriantur & vivant & conserventur corpora naturalia, id qvod de agilitate ejus satis superqve testatur. At tellus è contrario corpus est per se tenebrosum, frigidum, grave, densum, deniq; partibus inter se maximè differentibus constans, qvale cùm in loco suo est, ad qvietem potius qvàm ad motum aptum esse, qvivis facilè comprehendit.

CCLI. Deinde ajunt, si cœlum moveretur, tàm rapidus futurus esset ejus motus, ut ne imaginatione qvidem satis eum asseqveremus. Una enim fixa stella in cingulo Orionis juxta Æqvinoctialem unico horæ minuto Germanica milliaria 75079. pervolaret: tam rapidus autem & insanus penè motus nonne totam mundi compaginem & machinam cœli

cœli jamdudum diſſolviſſet? At periculum tale cœlo metuendum non eſt: quia partes ejus non colliduntur, nec una, quàm altera, magis feſtinat, ut ab eâ ſe abrumpere queat. Globo terræ & aquæ potius tale quid metuendum eſſet. In hoc enim cùm tàm fluxus ſit & partes variè cohæreant, omnia ſecus ſe habent; & pars quidem una magis, altera minus mobilis eſt, ex quo, ſi terra in orbem agitaretur, fieret, ut illa pars iſtam præverteret & retrò relinqveret, quod certò diſſolutio & diſcidium inter partes ſubſequeretur. Porrò inquiunt, quies nobilior & divinior eſt, quàm motus. Illa ergò danda eſt Soli & ſtellis tanquàm nobilioribus, iſte autem tribuendus eſt telluri. Sed fallacia hæc eſt, quæ ab eo quod ſecundum quid eſt tale, ad id, quod ἁπλῶς eſt tale, concludit. Secundum quid verum eſt, quod quies ſit potior motu. Nempe quies, quâ ſub perfectione ſuâ res quieſcit, eſt potior motu, quo mobile perfectionem illam, quâ carebat, primum acquirit. E. gr. quies terræ in centro potior eſt motu deorſum, quo lapis ad illam quietem tendit. Uniuscujusqve enim boni poſſeſſio præſtantior eſt, quàm actualis ejus acquiſitio. At Sol & cætera aſtra ad perfectionem motu illo ſuo non properant, nec enim iis melius eſt in puncto occaſus, quàm in puncto ortus eſſe, ſed in ipſo motu ſemper eodem modo ſe habente eorum perfectio conſiſtit, quippe quæ hoc ipſo æternitatem Dei, ſive ἐνέργειαν, quæ in Deo perpetua eſt, eodemqve modo ſemper comparata, imitatur. Cujusqve autem rei perfectio ſumma in eo ſita eſt, per qvod maximè Deo, quippe primo enti, aſſimilatur. Quarto urgent & hoc: Terra indiget agitatione, ne putreſcat, cœlum minimè, quia eſt incorruptibile. At hoc quidem ſine motus terræ non eſt ullo pacto neceſſarius. Ne enim univerſa putreſcat, tot ventorum flatus & infinitæ aliæ cauſæ, quæ in terræ viſceribus continentur, impediunt. Eam autem hîc aut illic ex parte corrumpi utile, imò neceſſarium eſt ad mixtorum

generationem. Quinto ingerunt & hoc. In microcoſmo, homine, ea pars, quæ maximè mobilis eſt, deorſum eſt: pedibus enim, nõ capite, ambulamus. Ergò & in macrocoſmo pars infima maximè mobilis eſſe debet. Verùm hoc argumentum à ſimili eſt petitum, quod admodum lubricum eſt. Unde Plato in Sophiſtâ: τὸν δὲ ἀσφαλῆ, inquit, δεῖ πάντων μάλιστα περὶ τὰς ὁμοιότητας ἀεὶ ποιεῖσθαι τὴν φυλακήν· ὀλισθηρότατον γὰρ τὸ γένος, *Eum qui à deceptione tutus vult eſſe, à ſimilitudine ſibi ſummoperè cavere oportet: lubricum enim maximè hoc genus eſt.* Deinde falſum eſt, quod pedes maximè ſint mobiles. Etſi enim non capite, ſed pedibus ambulemus, celerius tamen caput, quàm pedes moveri, qvisqve in ſeipſo experiri poteſt: quod mirum non eſt, cùm motus capitis ſit circularis. Taceo hoc argumentum adverſari propriæ hypotheſi ipſorum. Neqve enim terra juxta illos infimum, id eſt, centri locum obtinet, ſed Sol, juxta quem proximè collocant Mercuriũ, hinc Venerem, tertio Tellurem, cui tanqvam aſſeclam quandam jungunt Lunam, quarto Martem, quinto Jovem, & ultimo Saturnum. Ejusdem commatis eſt & illud, quippe quod & ipſum à ſimili eſt deſumptum. Ut congruum, inquiunt, eſt magis circumluſtrari è navi maritimam oram, qvàm ab orâ ipſam navim, converti ex ordine Oratoris faciem ad varias auditorii partes, quàm totum circum auditorium ad faciem Oratoris immotam, & alia id genus ſimilia; Ita videtur magis congruum, convertere terram ſe ipſam ad partes cœli varias, qvàm totam regionem cœleſtem ipſi immotæ circumferri. Elegans ſanè argumentum, quod viris eruditis bilem quidẽ aut riſum movere poſſet, ſententiam a. hanc perſuadere non item. Norunt enim illi, qvod ſimilia illuſtrent quidem rem jam probatam, ſed non probent.

CCLII. Sexto ita inferunt: Aſtronomi ſatis dilucidè demonſtrant, ſtellarum unamqvamqve, quò remotior eſt à centro ſuo, eò longius ſpatium requirere ad periodicam ſuam circum-

circumvolutionem: quò propior autem ei est, eò minus spatium postulare. E. gr. Stellæ fixæ periodum suam absolvunt annis 25816. Saturnus annis 30. Jupiter, quia Saturno propior, annis 12. Mars qui Jovi propinquior biennio quàm proximè, deniqve Sol, Venus & Mercurius, qui sub Marte sunt, intra anni spatium, Luna verò uno mense, orbem suum circumeunt. Quomodo ergò primo mobili, quod omnium maximè distat à centro suo, tribui poterit velocissimus motus? Sed neqve hæc argumentatio magni est momenti. Demonstrant Astronomi stellarum unamquamqve, quò remotior est à centro suo, eò longius spatium reqvirere ad absolvendum motum, qvi cuiq; illorum proprius est & ab occasu tendit in ortum. At est & alius motus, quem communem & primum vocant, qvo omnes sphæræ cœlestes communem axem pari tempore, nempe intra 24. horarum spatium, sed impari velocitate, circumvolvuntur. Et in hoc motu unaqvæqve Sphærarum quò remotior est à terrâ, eò celerius movetur, perinde ut in rotâ, quæ circumagitur, superiores partes & canthi celerius moventur, tardius verò absis. Unde Plato in Epinomide: Τὸ δὲ τάχιστον ἀεὶ ὄν, βραδύτερον οὐκ ὀρθῶς ἂν δοξάζεται· τὸ δ' ἐναντίον ἐναντίως. *Qui inter planetas celerrimus est, non rectè habetur pro tardissimo, & qui tardissimus est, malè celerrimus censetur.* Videri id potest duplici exemplo Lunæ & Solis illustratum apud Macrobium lib. I. in Somn. Scipion, cap. XIIX. Causas autem hujus diversitatis motus invenire licet apud Platonem in Timæo, Aristotelem in II. de Gen. & corr. & Ptolemæum I. Almagesti c. IIX. Neque verò impossibile est, idem contrariis motibus (si tamen tales motus reverà sunt contrarii, qvod negat & demonstrat Aristot. I. de cœlo c. IV.) agitari, si uno moveatur per se, altero autem per accidens ad motum continentis. Veluti si quis in nave secundo flumine versus occasum decurrente contra flumen, adeoqve versus ortum, progrediatur, is contrariis mo-

vebitur motibus, verum uno, nempe eo, qui in occasum est, per se, altero autem per accidens, qvatenus à navi continetur, quæ versus occasum currit. At talis est ratio motûs in sphæris planetarum. Moventur hæ per se motu, qui est ex occasu in ortum, altero autem, qui huic oppositus est, per accidens, quatenus primum mobile sequuntur. Unde & simul apparet, vanum esse, qvod illi dicunt, hoc pacto fore, ut violentia perpetua inferatur sphæris planetarum. Non enim motus ille ab ortu in occasum contra inclinationem naturalem istarum sphærarum est, ut sunt motus violenti, e.g. motus terræ sursum & ignis deorsum, sed illis convenit per accidens, sicut motus, quo quis cum navi movetur de loco in locum, aut quo formica in rotâ figuli movetur, violentus non est, sed similiter per accidens solùm tribuitur illis.

CCLIII. Septimo perhibent, ex sententiâ Aristotelis, quâ ponitur terra stare, cœlum autem moveri, hoc sequi absurdum, qvod totum moveatur immotâ ejus parte. Tellurem enim sphærarum cœlestium partem esse supponunt. At causa absurdæ conclusionis non est Aristotelica illa de motu cœli assertio, sed ipsorum propria ὑπόθεσις, quâ velut certum ponunt, terram esse cœlestis sphæræ partem, quam Aristoteles nunquam concesserit illis. Juxta ipsum enim terra velut centrum est, circa quod cœlum volvitur: at id circa quod aliquid movetur, non est pars ejus, quod movetur. Veluti axis, circa quam rota volvitur, non est pars rotæ. Quodsi autem sphæram cœlestem accipias impropriè pro aggregato ex ipso orbe ambiente ac omni corpore contento, tùm dici non potest, qvod sphæra cœlestis per se primò moveatur. Quod autem per se primò non movetur, id ita moveri potest ratione unius partis, ut ratione alterius quiescat, ut si quis caput inclinet aut circumferat quiescentibus pedibus. Nec multum premit, qvod excipiunt, non ap-

parere, quomodo fieri possit, ut toto mundi systemate circumagitato, nullo ejus orbe, non ignis sphærâ (si quæ sit,) non aëris regione superiore exceptis, hic unus globulus (terræ,) cujus diameter minor vicies millesimâ parte diametri mundi, non una circumrapiatur. Quid enim mirum, si globulus iste à cœlo, qvamvis vastissimo, ad motum non sollicitetur, cùm ne nubes quidem viciniores, & tantò terrâ obedientiores, sequantur motum cœlestem?

CCLIV. Octavo addunt & hoc: In cœlo nulla sunt motûs instrumenta, sunt verò in terrâ, nempe fibræ quædam, quarum aliqvæ axi parallelæ sunt & protenduntur à Septentrione in meridiem, retinentqve axem terræ in eodem semper situ; aliæ circulares sunt, & ab occasu in ortum circumcurrunt, & istæ motum diurnum 24. horarum efficiunt, qvas quidem duplicis generis fibras toti terræ corpori agunt esse intertextas. *Exemplum hujus fibrarum implexionis,* inquit nonnemo ex illis, *non gemina tantum, ut hîc, sed planè triplices habent Medici in substantiâ ventriculi, qui consimiliter inter tres illos fibrarum ordines, implexos mutuò, tres ventriculi facultates distribuunt, attractricem, retentricem, expultricem.* Quem quidem ita sentire mirum non est, cum statuat terram *animal aliquod magnum esse, cujus pili ac crines sint plantæ & arbores, pediculi in pilis erucæ, cicadæ, variaq; insecta & monstra marina; urina flumina; excrementa sulphurei odoris crepitusq;, qui etiam inflammari possint, sulphur, ignes subterranei, tonitrua, fulgura; sanguis metalla & fossilia in venis terræ; vaporq; pluvius:* addit *& viscera habere, & in illis pulmones ingentes, quos identidem dilatet & contrahat, atq; ex illis per montium crateres atq; caminos, ceu os, aut nares, ventos nobis exspiret.* Sed cui hoc vir ille, cæteroquin eruditus, quem magni facimus, persuaserit? Videtur in plerisqve ad Physicam pertinentibus, quæ in scriptis suis tradita nobis reliquit, illorum tantùm cu-

ram habuisse, quæ sibi persuadere potuit, neglectis interim & posthabitis aliis veritatis scrutatoribus, quod de Hesiodo aliisqve ejus ætatis sapientibus dicit Aristoteles III.Met.IV. Si animal terra esset, instructa sanè esset & facultatibus, quæ in animalibus visuntur. Haberet instrumenta, quibus alimentum attraheret & concoqueret, gigneret aliam terram similem, sicut animalia sibi similia generare solent, prætereà sentiret, videret, audiret, olfaceret, aut ad minimum tangeret, cum tactus sit omnium sensuum primus. At quis credat, terræ inesse tactum, quandoquidem tot rastris, ligonibus, aratris proscissa nullo judicio prodit se ista vulnera sentire? Figmentum ergò est, quod vir ille supponit, terram animal esse. Figmentum quoqve est, quod de fibris terræ dicebat. Quis enim unquam viscera terræ effodiendo nervos aut musculos aut ullas fibras deprehendit, similes illis, quibus animalia motum suum exequi solent? Ad motum aliorum autem instrumenta talia non requiruntur. Neqve enim se ipsa movent, ut animalia, sed ab aliâ causâ, externâ, moventur, ut quæ projiciuntur, velut lapis sursum projectus; item sagittæ aut tormentorum globi, quos arcus aut pulvis accensus excutit. Movetur ignis, movetur aqua, sed à primo generante, ut alibi dictum. Talia autem ad motum, ut dixi, non egent instrumentis. Nec igitur Sol indigebit, sed sufficiet, si & ipse sed ab aliqvâ vi agitabitur externâ, veluti, quæ Aristotelis sententia est, ab intelligentiâ.

CCLV. Deniqve & sic colligunt: Magis secundum naturam est, ut quod alio eget, versus illud tendat, quàm ipsum non egens versus id, quod eget. At Terra Sole, non Sol Terrâ eget. Magis ergò consentaneum est convertere Terram partes suas versus Solem, quàm Solem ipsum varias Terræ partes circumlustrare. Verùm hoc pacto nec cor moveri deberet ad diffundendum spiritum per venas, per musculos & nervos in reliquas corporis partes, sed immotum potius consistere, reli-

reliquas autem partes versus cor moveri, indeqve spiritum petere, quod non tàm cor cæterarum, quam cæteræ cordis indigæ sint. Item non pluvia in terram delabi deberet, sed terra potius se ad mediam aëris regionem convertere, indeq; pluviam haurire, quippe quâ indiget ad ferendos fructus. Mater quoq; non ad prolem suam tenellam se convertere deberet, eique nutrimentum subministrare; sed proles potius ad matrem currere, quod ipsa matre, & non mater egeat prole. Non ergò ita sunt comparatæ rationes, quas illi urgent adversus Aristotelem pro terræ motu, quæ viro cordato sententiam hanc possint persuadere. Quod autem aliqui his delusi manibus pedibusque quasi in eam eant, id nescio annon infirmitatem quandam judicii præ se ferat, à qvâ tamen non facile quispiam omninò est exemptus.

CCLVI. Porrò etsi plerisque non ignotum sit, quid Aristoteli sit Galaxia, nempe halitus in aëris extremo, sub eâ cœli parte, in quâ φαινόμενον hoc aspicitur, congregatus, motu stellarum, quarum in istâ cœli parte maximus est numerus, eum ventilante leviter accensus, earundemq; lumine in ipso refracto candicans, cujus aspectus semper idem sit assiduâ renovatione: (hanc enim esse ejus mentem clarum est ex I. Meteor. IIX.) metuunt nihilominus calculum huic sententiæ subjicere, quod difficultatibus premi videatur non exiguis, quibus illi se expedire non possunt. Si enim aeris πάθος, ajunt, esset lacteus circulus, nō esset invariabilis quoad magnitudinē figuram, colorem, cùm halitus excretio non sit æquabilis, sed æstate quidem abundet, hyeme autem deficiat. Præterea occultaret sidera, aut aliquo pacto obumbraret, ut videmus in nubibus. Neqve in ista solum regione appareret, sed & in aliis, saltem in iis, in quibus itidem frequens stellarum est numerus. Deniqve miraculum propè videtur, educi perpetim tantum halitûs ex terra, quantum ad tàm ingentis circuli perpetuita-

tuitatem requiritur, & quidem citra notabile terræ decrementum. Verùm & hæc quàm speciosa etiam sint, parum tamen sunt firma ac solida, ut mirari subeat, quî fiat, quod tantum his & similibus aliis, quæ minus adhuc soliditatis habent, unâ forte ratione exceptâ, quæ speciositate alias vincere videtur, & paulò post à nobis considerabitur, tribuant. Nam posito, quod lacteus orbis penitus sit invariabilis, qvod tamen extra omnem controversiam non est, ut eodem loco constabit, perpendere debebant illi, hoc Aristotelis sententiæ non adversari, sed quàm optimè cum eâ consistere posse. Locus enim, in quo congregatur halitus illic omni alio levior ac tenuior, qui galaxiæ in materiam cedit, non est admodum obnoxius mutationi, cùm exigua ibi sit contrarietas. Nam & halitus ipse est calidus & siccus, & aër pariter, in quem halitus ille ascendit, ut hîc præter incensionem, quæ fit à motu cœli, nulla ferè mutatio locum habere possit, quod quidem hîc necessarium est. Quamvis enim in nube, quippe quæ densioris est materiæ, lumen refractum candorem instar nivis producere possit, in adeò tenui tamen halitu, qualis ille est, quem materiam circuli lactis constituimus, id præstare non potest, nisi accendatur. In accenso autem potest, sicut experientia satis superque testatur. Quo enim tenuior est halitus accensus, eo magis lumen cum umbrâ permixtum ad candorem vergit; si minus tenuis, ad rubedinem; sin densus, ad nigredinem. Causa efficiens autem prorsus immutabilis est, quia nulla in cœlo, quantum ad stellas fixas, varietas contingit. Ubi autem efficiens semper est uniforme, & pariter recipiens, quid mirum, si idem semper ibi sequatur effectus? Neque obstaculo est, qvod halitus non semper in æquali copiâ ex terra ascendant, sed plures æstate, quàm hyeme. Etsi enim talis varietas in his vel illis obtineat terræ partibus, ratione universi tamen nulla est, aut non notabilis, saltem in supera illa aëris

regio-

regione, quæ tanto intervallo à terrâ est dissita. Sed nec periculum illud terræ metuendum est, quasi futurum sit, ut decrementum insigne capiat, & tantum non consumatur, ex tanta exhalationum effusione, quæ ad Galaxiæ perpetuam conservationem ascendunt. De eo enim securos nos esse jubet mutua illa & continua elementorum in inferiori hoc orbe transmutatio, quæ impedit, quo minus aliquid eorum secundum speciem consumatur. Ut taceamus, ex satis exiguâ terræ particulâ exhalationũ ingentem copiam produci posse, cùm etiam ex igne exiguo tantum fumi exire observemus. Porrò nec hoc timendum est, ne forte orbis lacteus sidera occultet aut obumbret. Satis enim rara & tenuis est exhalatio, quam sibi materiam vendicat Galaxia, non tàm densa, ac sunt vapores in aere apud nos, in hyeme præsertim. Quod autem in aliis cœli regionibus istiusmodi circulus non appareat, causa est, vel quod non adeò frequentes in aliis, quàm in hâc cœli plagâ sint stellæ; vel quod aliquæ ibi stellæ majores sint, quæ halitus dissipent, aut minusculas in tantum splendore superent, ut illarum interjectum lumen offuscent, quo manifestè spatia media candore perfundere non valeant, sicut fit in Plejadum cœtu, ubi sex aut septem stellæ singulares & seorsim apparent, viridi aut cœruleo, non apertè lacteo inter eas intervallo, etiamsi ibi sat frequens sit stellularum numerus; vel deniq; quod non adeò sub cœteris plagis, quàm sub hâc halitus congregari & velut coarctari possint, cum circulus hic non partem mundi ambiat, sed totum secundum longitudinem undique stellis consitus cingat, cumque in duo hemisphæria dividat, quod ita in aliis non deprehenditur. Quæ & causa est, quod nulla regio plures cometas aut stellas, quas vocant, novas ferat, quàm hæc ipsa, in quâ & apparuerunt stellæ istæ tres, Patrum nostrorum tempestate visæ. Prima enim anno 1572. effulsit in Cassiopea; altera anno 1600. in cygno; tertia demum an-
 no

no 1604. in Sagittario, quæ omnes constellationes intra lacteum circulum continentur. Quanquam interea negari non possit, qvod sub aliis cœli partibus, in qvibus acervus aliquis stellularum, si non perfecta galaxia, aliqvid tamen cognationis cum eâ habens, appareat. Veluti sub capite Orionis, ubi unius & viginti stellarum cimmus est, ubi imago nubeculæ albentis visitur, qvæ non longè à galaxiæ lacte abludit. Item sub præsepi, ubi 40. amplius minutissimarum stellularum nodus subalbidam nubeculam inter duos efficit asellos.

CCLVII. Porrò animam in corde totam esse secundum substantiam, virtutem autem ejus inde per totum corpus diffundi, aut in toto corpore & per totum corpus se exserere mediantibus spiritibus, qui instrumentum commune sunt actionum vitalium secundum partis cujusqve dispositionem, constans est Aristotelis sententia, ut videre est lib. de Anim. motu c. X. II. de partib. c. VII. lib. III. c. IV. II. de Gen. An. I. lib. de Juvent. & Senect. c. III. lib. de Respir. c. IIX. ubi eandem multis egregiis & solidis rationibus confirmat. Nihilominus multi, Aristoteli aliàs nō malè faventes, ab hâc opinione recedunt, existimantes animam non solùm in corde, sed in toto corpore omnibusq; ejus partibus secundum substantiam esse, omnesque ejus facultates. Quæ sententia nobis hactenus nondum potuit persuaderi. Hâc enim hypothesi stante oculus audire, auris videre, pes olfacere posset, & sic deinceps, aut in parte una eademque esset simul potentia & impotentia, & quidem ratione habitâ unius ejusdemque actus. Neqve enim partes omnes, etiam instrumentales, aptæ sunt ad omnes omnium facultatum functiones peragendas. Veluti in oculo non est dispositio ad audiendum, nec in aure ad videndum. Frustra ergò natura partibus istis facultatem tribueret in animâ iis inhabitante residentem, denegatâ illis dispositione aptâ ad actum genuinum ac proprium, cujus causâ est ejus-

modi

modi facultas. Nempe perinde id esset, ac si ars fabrilis fistulas ingrederetur I. de Animâ text. 53. Ast natura nihil facit frustra II. Phys. VII. Cur autem isti talem, qualem diximus, opinionem foveant, causa alia non est, nisi quod rationibus, quæ ab aliis adversus Aristotelem moventur, satisfacere non possint, qvarum præcipua, ad qvam reliquæ omnes se referunt, hæc est. Certum est, quod anima actus sit totius corporis & singularum partium; qvæque enim pars animalis vivit, vitam autem est ab animâ. Quî autem hoc dici posset, si in solo corde anima esset? Verùm, hæc ratio tanti momenti non est, ut ob eam Aristotelis sententia satis solidè demonstrata sit deserenda. Quamvis enim anima actus sit totius corporis, & sic quodammodo in toto sit corpore omnibusqve ejus partibus, qvod non negat, sed disertè docet ipse Aristoteles II. Gen. An. I. scribens; Nulla pars animalis esse potest, quæ non sit parti-" ceps animæ nisi æqvivocê, ut mortui oculus: inde tamen nõ" seqvitur, qvòd *æqvè primò* sit in quâvis parte. Πρώτως enim cor vivit, reliquæ autem partes omnes vivunt per participationem virtutis, qvâm iis largitur cor, cui reliquæ partes sunt annexæ, velut lineæ in circulo centro sunt annexæ. Unde non solum cor prima est omnium partium in constitutione animalis (πρῶτον γὰρ γίνεται) ἡ καρδία, ὡς ποιητικὴ τῶν ἄλλων, ut ait Philoponus comm. in II. de Gen. An. VI. *Primum enim fit, ut effectrix cæterarum partium;*) sed & calor maximè viget in eo, quo anima utitur ad omnes suas actiones. Indeqve & locus esse dicitur in animalibus, quo naturæ fomites & primordia ignis nativi contineantur, & ceu in foco serventur, III. Part. An. VII. Dubium ergò non est, quin πρώτως anima sit in corde, adeoqve secundum substantiam, (ibi enim forma esse dicitur secundum substantiam, ubi primò est, & operatur;) in reliquis autem partibus solùm secundum virtutem, aut κατὰ μέθεξιν. Veluti in plantis, in radice est secundum substantiam, virtute autem in reliquis partibus illarum.

CCLIIX. Inprimis autem hoc multos à sententiâ Aristotelis in quampluribus locis alienos reddit, quod persuaderi sibi patiantur, eum adversus sensum & experientiam locutum esse, quâ tamen universam Philosophiam ipse vult esse suffultam. Hoc prætendunt, qui eum vellicant super eo, quod passim scribit manum dexteram naturâ esse agiliorem *sinistrâ*, veluti lib. III. de partib. Animal. cap. IV. & lib. IV. cap. IIX. item de Animal. incessu c. IV. & lib. XXXI. Probl. quæst. XII. & XIII. denique & V. Ethic. ad Nicomach. c. VII. nec non IV. Eudem. V. Id enim dicunt experientiæ apertè contrariari, quæ testetur sinistram in nonnullis, etiam naturâ comparatis, agiliorem esse dextrâ. Qvod vel ipse etiam Plato jam observarit lib. VII. de Legibus, ita scribens: *Pedes, inferioresq́; partes ad opera nihilo differre videntur. Manibus autem matrum nutricumq́; simul ignorantiâ quasi claudi facti sumus. Nam cum natura ferè ad utramq́; partem æquè se habeat, ipsi per consvetudinem non rectè utentes fecimus discrimen. Et certè in quibusdam parum refert, utrâ etiam manu utamur. Nihil enim refert, num lyram pulsantes, lyram sinistra, plectrum dextrâ, an contra, teneamus. Quo & similibus exemplis nisi quis edoctus etiam ad alia negotia citra discrimen utrâq́; pariter fuerit usus, parum quidem ille ab insano distabit. Quod ita se habere vel Scytharum etiam lex ostendit. Non enim sinistrâ solum arcum, dexterâ autem sagittam tenent, sed ambabus simul ad utrumq́; utuntur. Reperiunturq́; alia plura hujusmodi exempla in aurigarum quoq́; operibus & aliorum. Ex quibus intelligere licet, eos qui dextris sinistra imbecilliora reddunt, facere id præter naturam.* Putat ergò Plato his evictum jam esse, quod neutra manuum agilior sit naturâ, sed quodam hæ secundum naturam æquè sint agiles, per accidens autem fieri, ut una alteram agilitate vincat, nempe per consvetudinem seu assvefactionem. Quod cum & aliis plausibile videatur, colligunt inde, Aristotelem aliquid huma-

ni locis citatis, & alibi passim, & contra experientiam esse loqvutum. Verum, non latuit Aristotelem quoqve, Platonem id, quod modò ex ipso adduximus, scripsisse. Sed meritò ab illo dissensit. Nec enim ideò naturâ quid alteri æqvale censendum est, quia consvetudine facilitatem haud minorem ad agendum quid adipisci potest, qvàm alterum, quod vitiosâ consuetudine non raró fiat, ut etiam ea, qvæ præter naturam insunt antevertant ea, quæ secundum naturam sunt comparata: veluti, si qvis curvo pede, ita assuefactus, incedat. Jus naturæ qvoqve secundum naturam se habere dicendum non esset, qvod non pauci ob educationem pravam contra illud agere deprehendantur.

CCLIX. Vellicant quoque ex prædicto capite Philosophum, qvi negant, *nervos* esse ex *corde*, quod istius aliàs est dogma. Ad sensum enim, inquiunt, manifestum est, eos venis & arteriis, quas ex corde ortum trahere concedunt, non esse continuos, sed provenire ex cerebro aut spinâ dorsi. Item cùm reprehendunt ipsum, quod negaverit *fœminam* habere *semen*, & *talpam oculos*: contrarium enim itidem dicunt testari sensus. Inter cætera autem & quidem cumprimis ex hoc fundamento opinionem ejus de galaxiâ, quam ante descriptam dedimus, proscribunt, quod sensus evidenter comprobent, non in orbe sublunari, sed supra Lunam in ipsâ æthereâ regione oportere esse galaxiam, quod nullam omninò alterationem patiatur, id quod de re elementari asserere Aristoteli ipsi adversum est: sed neqve parallaxin ullam. Quâ voce quid significent, cùm non omnibus notum sit, paucis id erit declarandum. Vocant ergò parallaxin adspectûs diversitatem, sive differentiam inter verum & visum locum alicujus astri, quam veluti normam adhibent, cùm judicare volunt, quinam planetarum altior sit, qui humilior. Dicitur autem illis verus locus alicujus astri, punctum in firmamento aut supremo cœlo, ad

lo, ad

lo, ad quod terminatur linea recta ex centro terræ sive mundi per ipsum astri centrum traducta; visus autem locus est punctum in eodem ad quod terminatur recta linea, quæ ex oculo per idem astri antrum traducitur. Quæ duo puncta incidunt quidem in eundem verticalem circulum, sed distant non rarò ab invicem: & hæc distantia vocatur parallaxis. Causa autem hujus distantiæ est, quia linea quæ ex centro terræ ducitur, & ea, quæ ex superficie ejus, in quâ oculus stellam observans est constitutus, diversæ sunt & sese intersecantes angulum efficiunt. Quo magis autem astrum elevatum fuerit, eò minor fit distantia illa seu parallaxis, donec tandem lineis loci veri & visi in unam coëuntibus omninò exspiret sive aspectum fugiat. V.gr. centrum Terræ esto A; superficies ejus B,C,D; oculus C; linea verticalis in supremo cœlo E, F, G; astrum sit in Horizonte, inprimis sensibili H. His ita se habentibus verus locus astri ex C observati erit I terminans lineam A I, locus visus autem erit K terminans lineam C K; distantia verò quam designat arcus inter utrumq; interceptus I K est parallaxis, quæ tanto minor fit, quanto magis astrum elevatur, v. gr. si ponatur elevari ad L, parallaxis ejus erit M N; si ad O, parallaxis erit P Q, & sic deinceps; Quodsi ad punctũ verticale R pervenerit, nulla amplius futura est parallaxis. Hinc ergò fit, ut quò propinquior res visa terræ est, eò majorem habeat parallaxin, & quò distantior est, eò minori parallaxi gaudeat, E.gr. in Lunâ, quæ sine dubio inter omnes planetas maximè propinqua est Terræ, parallaxis fit admodum sensibilis, in cœteris res est subtilior. In Mercurio enim, Venere, Sole & Marte difficillimè aliqua notatur; in Jove ac Saturno vix ulla est; Fixæ autem in tantùm sunt evectæ, ut nullam penitus prodant. Jam autem & Galaxia nullam patitur parallaxin, sive aspectus diversitatem. Omnes enim qui ubique & ab omni ævo de galaxiâ scripserunt, in eodem planè

situ

situ tractuqve eam ponunt, easdem Firmamenti stellas intra eam includunt & per Geminos & Sagittarium deducunt. Averroes fatetur, se Cordubæ in Hispaniâ & Marochi in Africâ in eodem prorsus viæ Lacteæ margine Aquilæ stellam adspexisse, quod in illâ civitatum distantia facere non potuit, si Galaxia in mundo elementari habitaret.

CCLX. Verùm & hæc facilè discuti possunt, si res paulo accuratius expendantur. Nam primò ut sensuum judicio stemus, necesse est ut singula præsto sint, qvæ ad perfectam sensus cognitionem requiruntur, nempe organon rectè affectum, præterea objectum idoneum, situs item in objecto commodus, ac medium naturaliter se habens, nec aliena qualitate aut dispositione immutatum: denique & hæc tria, quæ cumprimis hic attendenda sunt, justa objecti magnitudo, itemque mora in eodem loco, & tandem intervallum debitum. Quædam enim sensus fugiunt vel propter confusionem vel propter exilitatem, quod & Galenus monet I. Elem. I. & XVI. de usu part. XII. Quædam accuratè à sensibus dignosci non possunt quod vel ex parte objecti, vel ex parte facultatis apprehendentis, desit debita mora. Hæc enim causa est, cur nec odores, nec sapores, in transitu velocissimo satis percipiantur, imo qvod magis mirum est, ne ipsi quidem soni. E.gr. glans bombardaria, sive secundo sive adverso vento aërem pervolet, non sonat, qvod audiatur, nisi lacuna aliqua aut asperitas superficie glandis, aëri duriusculè se affricans sibilum edat. Ad extremum, si spatium sive intervallum inter sensum & objectum sensile nimis remotum est, sensus objectum uti in se est, non apprehendet. Manifestum id est in sole, quem acies nostra sic contrahit, ut quidam sapientes viri (Epicurei) pedalem esse contenderint, sicut Seneca ait I. Qq. Natural. c. IV, cum tamen toto terrarum orbe eum majorem esse evidenter probet ratio. Quando ergò Aristoteles

les ſenſum κριτήριον primum conſtituit univerſæ Philoſophiæ, id de ſenſu intelligendum eſt, in quo omnia hæc adſunt requiſita, niſi enim hæc præſto ſint, fieri poterit, ut ſenſus occaſionem præbeat errori; & tum ſenſus judicium corrigendum eſt per rationem, ſuper iis fundatam, quæ propriè ac per ſe ſentiuntur, h. e. in quorum ſenſione nullus error committitur, quod tùm, ut dixi, evenit, cùm omnia ritè diſpoſita ſunt, ut optimè ſenſio fiat. Inde paſſim, quando de criteriis ſcientiarum agit Ariſtoteles, non ſenſus ſolùm meminit, ſed ſenſui & rationem adjungit, quanquam hanc ſemper velit ſenſui inniti & ab illo menſuram accipere debere. Vide I. de cœlo c. III. I. Hiſt. Animal. c. VI. Quò ſpectant & illa Galeni II. de Nat. hum. c. VI; τὰ αἰσθήσει κρινόμενα τῆς κρινούσης αἰσθήσεως ἐρρωμένης δεῖται, *Quæ ſenſu dijudicari debent, opus habent ſenſu judice benè firmo*, qui idem eſt ἐπιστημονικὸς, *ſcientificus*, ut eodem loco Galenus ſe explicat, ſeu ut alii loqui amant, ratione ferruminatus.

CCLXI. Qui igitur de nervorum ortu ex ſenſu judicare volunt, non oportet tantum exterius rem intueantur, ſed intimius ſcrutentur, ne evertant ſententia ſua id, quod per ſenſus nimis manifeſtum ac evidens eſt, quale eſt hoc, caloris nativi principium eſſe cor, indeqve ad cæteras partes eum derivari. Jam certum & extra omnem controverſiam poſitum eſt, quod opera, quæ beneficio nervorum obimus, fiant mediante calore nativo, cujus ſedes, ut diximus, in corde eſt; neceſſe ergo eſt ut ex corde via ſit in nervos; at alia eſſe non poteſt, niſi per venas & arterias. Nervorum ergò cum venis & arteriis continuos oportet eſſe canales, adeoq; & nervos eſſe ex corde, licet non ſecundum ſubſtantiam extimam, cujus ratione Ariſt. ut ſupra vidimus largitur nervorum diverſa eſſe principia; tamen ſecundum vaſa quæ includunt, non obſtante eo, quod in diſſectione nexus ille non ita ſenſui pateat. Nam hoc

hoc accidit ob vasorum tenuitatem, cujus simile evenit & in hepate, ubi vena cava & vena portæ una continua vena est, licet nexus ille quoad sensum non adeò sit manifestus. Quæ enim sensus dijudicare debet, ea, ut diximus, justam magnitudinem obtinere oportet. Idem sentiendum de iis, qui ex sensu judicium ferre volunt de rebus in supremâ aëris regione aut ipso æthere constitutis. Cavere eos oportet, ne id sensui suo nimium fidentes astruant, quod contra experientiam est tot seculorum. Jam tot secula præterfluxerunt, & tamen nulla in cœlo observata fuit generatio, nulla corruptio, quæ quidem extra controversiam sit collocata, nulla differentia in siderum vel magnitudine, vel numero, vel claritate, licet nullo tempore defuerint, qui summâ industriâ cœlum intuiti fuerint, eaq; quæ in eo observarunt, tradita reliquerint posteritati, quo & Aristoteles ipse provocat I. de cœlo cap. III. t. 22. Suspicione ergò omni, quæ illi, his contraria, se in cœlestibus observasse dicunt, non carent. Neqve est, quod dicant, veteres instrumentis illis fuisse destitutos, qvorum beneficio tàm clarè & distinctè cœlestia illa superorum adita introspicere & pervidere potuerint, atqve nos hoc seculo, veluti tubo, quem vocant Opticum, qvem notum sit objecta longius distantia & distinctius & majori imagine repræsentare, atqve oculis istiusmodi instrumento non munitis visuntur. Utut enim hoc facilè concedamus ipsis, credere tamen non possumus, tantam isti tubo inesse vim, qvæ visum nostrum ita elevare possit, ut de rebus à sensibus nostris adeò remotis perfectum possit judicium ferre. Imò ne ipsos qvidem id credere arbitramur. Cum enim Aristoteli hoc ipsum, qvod modo diximus, illis, generationem in cœlo asserentibus, objiciunt, scilicet nullam in cœlo per tot secula observatam esse generationem, aut corruptionem, reponunt, id mirum non esse, si tale qvid à veteribus observatum non fuerit, cum non solum telescopiis caruerint, sed & innu-

 meræ

meræ ibi mutationes esse possint, ad qvas oculorum nostrorum acies non pertingat. Simile enim prope esse, ac si è cœlis contemplaremur terram, cujus eadem semper magnitudo ac forma nobis videretur, utcunqve corruptioni obnoxiæ sint singulæ partes. At si ita res habet, cur ergò ipsi tàm audacter asserunt, galaxiam nullam pati alterationem, & neqve augeri neqve minui unqvam? Qvis enim unqvam eorum uno eodemqve tempore totam simul observavit? & si observavit, qvomodo in tanta distantia deprehendere potuit minima qvæq; ? Inprimis cùm vel in ipsa terra sæpe variationes qvædam occurrant, qvæ tamen non advertantur, qvod mutatio sit exigua. Sic magna flumina & mare ipsum, non raro augentur & minuuntur, influentibus aut defluentibus aliis aqvis, ast vix percipitur hujusmodi alteratio, qvia incrementum vel decrementum aut exiguum est, aut paulatim fit & longum temporis intervallum intercedit inter principium & finem alterationis. Sed & ex aliis experimentis intelligitur, in qvam plurimis vanam esse, qvæ telescopiis habetur, fidem. Stellas esse sphæricæ figuræ solidissimè demonstrari potest ex φαινομένοις sive ex iis, qvæ in cœlo apparent & in sensus incurrunt, & tamen per tubum nonminus planæ esse videntur, qvàm si nudis oculis aspiciantur, cujus rationem reddit Vitellio IV. Propos. LXV. Similiter color cœruleus, etiamsi per tubum videatur, aspicitur tanqvam supra omnia sidera, cum tamen extra controversiam in aëre stabuletur, ut alia subticeamus ex parte à nobis adducta lib. III. de variis sciendi generibus c. VI.

CCLXIII. Deinde contingere potest, ut qvidpiam rectè quidem per sensus sit observatum, sed non rectè judicetur de eo, quod ita est observatum. Imponit enim non rarò etiam intellectui nostro similitudo, ut eadem esse judicet, quæ tamen non nisi in quibusdam solum sibi respondent. Veluti certum est etiam in fœminis reperiri humorem aliquem, qui

ma-

magnam cum ſemine habet cognationem, verum an γόνιμον illud ſive fœcundum & qvidem non minus efficax atqve ad generationem prolis virtute innatâ concurrens ad animæ, maxime ſenſitivæ, productionem, id in controverſia eſt poſitum atqve ab Ariſtotele negatur lib. II. de Gen. anim. c. IV. Et quidem merito. Si enim in ſemine fœminæ non minus principium κινητικὸν eſt, quàm in ſemine maris, quid prohibet eam generare ex ſe, & ſine mare? Conciperet quoqve nunquam fœmina ſine hujusmodi ſeminis profuſione, cum tamen contrarium experientia teſtetur. *Ego*, inquit Accorambonus Annotat. in Ariſtotelem pag. 652. *cum multis fœminis ſum loqvutus, quæ multoties conceperunt, neq; tamen ſenſerunt, ſe emittere excrementum illud, quod Galenus vocat ſemen in fœminis. Sunt enim aliquæ adhuc viventes, quæ, cum nupſerunt in primis annis, multoties emiſerunt concurrentes ſimul cum viro, & quot annis conceperunt, ita ut quatuor vel quinq; filios una ex eis hoc pacto procrearet, poſt ea verò per duos, vel tres annos, nunquam ſenſit ſe aliquid emittere, neq; voluptatem illam, quæ fit in concurſu, dum excrementum emittitur, ſenſit, & tamen tres vel quatuor filios per illud ſpatium temporis genuit: alia verò duos filios procreavit, antequam ſemen emitteret, poſtea verò cœpit ſemen emittere, cum maximâ voluptate, & multos deinde filios genuit.* Sed & Averroës Paraph. in I. Gen. XX. & II. Collat. X. teſtatur *mulieres quasdam*, quibus *fidere* potuerit, *ſibi faſſas, quod impregnatæ fuerint absq; effuſione ſeminis* & voluptate, quia *cum diſplicentiâ*. Idemqve memorat & Conciliator diff. XXXVII. Nec eſt, quod dicatur, non ſentiri ſemper à mulieribus ſeminis etiam in congreſſu emiſſionem. Cum enim etiam alto ſomno ſopitæ eum ſentiant, quidni ſentirent vigilantes & pugnantes penetrare in corpus, [ut liceat nobis cum Lucretio loqvi] corpore toto, quod non fit ſine magna ſpirituum, unde voluptas illa, commotione? Hoc autem ſi caret ſemen muliebre, quomodo γόνιμον ſive

fœcundum erit? A ſpiritibus enim inprimis ſeminis fœcunditas prodit. Non negari tamen poteſt, ſemen fœmineum eſſe frigidius & humidius maſculo, indeq; minus ſpirituoſum. Aſt vel ex hoc ipſo rurſum colligere eſt, nō poſſe illa in unum conſpirare motum. Qvod n. minus calidũ eſt, id magis calido, ſaltem quadantenus contrarium eſt, indeq; pugnat adverſus illud idq; obtundit: ſicut & aquam tepidam ferventem, remiſsè calidam facere experimur. Ad ſummũ ſimile eſt fœmineum ſemẽ ſemini puerorum, qui & ipſi liqvorem aliquem emittunt ſeminis ſpeciem præ ſe ferentem, idq; nō ſine voluptate, nec tamen ideò jam perfectum ſemen eſt, aptum ad generationem.

CCLXIV. De talpa non abſimile judicium eſt ferendum. Perſuaſum habent multi eam oculis inſtructam eſſe veris ac perfectis: eò qvod in iis appareat locus oculorum & pars eorundem nigra, ſitus deniqve ac deſcriptio eadem quam conſpicui oculi habent. Verum his ſimilitudo imponit. Nec enim ideò, quia natura unitatis, aut cum hæc locum obtinere non poteſt, ſaltem ſimilitudinis conſervandæ ſtudioſa talpis quidpiam dedit, qvod ſimile ſit ocſlis, idcircò illæ jam perfectos oculos habent. Habet & ſtatua quid oculis ſimile, & tamen hi oculi veri non ſunt. Non enim vident. At in eo conſiſtit τὸ τί ἦν εἶναι oculorum. Sunt enim animæ inſtrumenta. Inſtrumentorum autem eſſentia conſiſtit in uſu. Unde ſerra ex chartâ aut ligno confecta ſerra non eſt, quia neutrâ ligna ſecari poſſunt, qui tamen proprius ſerræ eſt uſus. Atqve pertinet huc etiam locus ex I. Polit. II. ubi Philoſophus manum lapideam non eſſe manum ſcribit, niſi ὁμωνύμως, ſeu æqvivocè, ſed nec pedem lapideum pedis nomine alia ratione venire. *Definiuntur* enim, inqvit, *talia*, τῷ ἔργῳ καὶ τῇ δυνάμει, *opere & facultate. Itaq; cum talia non ſunt, ut præſtare poſſint opus, cujus gratiâ ſunt, dici non poſſunt eſſe id, quod dicuntur, niſi æqvivocè.* Qvod repetit & II. de Gen. Anim. c. I. ubi itidem docet partem

ina-

inanimam, & quæ non peragat rem, cujus gratiâ facta est, non esse partem, nisi ὁμωνύμως, non secus atqve illa, qvæ cum similitudinem partium præ se ferunt, ex lapide aut ligno sunt facta. Item lib. VII. Metaph. cap. XI. ubi hæc occurrunt: *Non omninò manus est pars hominis, sed tum demum est, cum facere potest id, ad quod facta est, si scilicet animata sit, sin secus, pars utiq; non est.* Jam certis experimentis adhucdum à nemine probatum est, talpam videre: neqve rationi id est conforme. Sensus enim dati sunt propter finem. Ast sub terrâ, sub quâ talpa degit, visui usus est nullus. Neqve officit, quod sub dium è terrâ emergens latebras suas trepidè requirit. Quamvis enim illi, qui visum talpæ adscribunt, id inde fieri arbitrentur, quod lumen solis ob visus debilitatem neqveat ferre, sub judice tamen adhuc lis est, num idcircò id fiat, & non potius ideò, quod animal hoc in aëre terrestriore vivere natum, extra hunc diu vitam producere non queat, perinde ut pisces ex aquâ extracti haud diu vivere possunt. Et nonne quamplura etiam alia animalia reperiuntur, quæ id, qvod perniciosum sibi est, non videndo, sed aliis sensibus tentando fugiunt & declinant? Nec refert, quod lumbricos venetur. Eos enim etiam sub terrâ venatur, ac radicibus vescitur. Videtne ergo etiam sub terra, ubi nullum est lumen? Sed nec est, quod obvertatur, consequens fore, ut dicatur naturam frustra animali huic dedisse, quod oculorum rationem in illo habere videtur. Naturæ enim opera non ex fine solo sunt æstimanda, sed ex materiâ qvoqve, ex cujus necessitate multa etiam in naturâ fiunt, quæ certum & à naturâ intentum finem non habent, ut sunt meteora, lapides, item metalla & reliqua fossilia, quorum Aristoteles non nisi duas causas agnoscit, materiam scilicet, & principium unde motus, sive causam, ut vocant, efficientem, I. Meteor. c. II. Ex necessitate materiæ qvoqve fit, ut in nonnullis sex occurrant digiti, aut etiam duo vel tres lienes, aut totidem renes.

Natura enim unitatis & analogiæ est amans, indeqve cum materiæ plus adest, ac requirebatur ad rei subjectæ constitutionem, facit inde natura id, ad quod materia illa disposita erat. Veluti cum plus adest materiæ, quàm quinqve digitis faciendis opus est, sextum potius digitum facit, quàm ut informem quandam molem relinquat. Ex eadem verò causâ, cum materia, unde cæteroqvi pars aliqua fit, certo usui destinata, alicubi adest, ubi talis usus expectandus non est, facit tamen natura inde tale quid, quod cum parte istâ habeat cognationem, etiamsi usum eundem cùm illâ neqveat præstare. Progreditur enim natura, quousqve potest, ut perfectum opus suum reddat, cùm autem impeditur, si ad tertium v. c. perfectionis gradum nequeat pervenire, subsistit in secundo aut primo. Quâ in re ipsa æmulam habet artem, quæ & ipsa optimum quidem & perfectissimum intendit, ast cum ob contumaciam materiæ aut similem causam propositum finem consequi non potest, laborat tamen ut saltem non penitus excidat illo. Veluti si Pistor ex siligine candidissimum panem conficere velit, omnes quidem nervos intendit, ut quam simillimus ille sit pani ex tritico confecto: verum cum ad tantum albedinis gradum, quo triticum gaudet, se hordeum perduci haud patiatur, conatur tamen, ut quoad ejus fieri potest, candorem panis iste, quem sub manibus habet, præ se ferat. Ita ergò procedit etiam natura. Invenit illa, ut rem exemplo illustremus, cum mulum generare vult, materiam, partibus genitalibus producendis aptam: facit ergò ea inde has, sed facultatem genitalem iis, quantumvis vellet, impertire non potest, quod materia, quam ante se invenit, illius non sit capax. Unde fit, ut genus mulorum in plerisqve sit sterile II. de Gen. Anim. c. IIX. Ex eadem causa fit, ut papillæ non in fœminis solùm, sed & viris conspiciantur. Invenit enim etiam in his materiam ad id in fœminis destinatam, ut inde papillæ fiant, etiamsi in viris eum non

obe-

obeant usum, quem præstant in fœminis. Vult enim natura utrumq; sexum quoad ejus fieri potest, esse quàm simillimum. Ita ergò etiam de oculis talparum judicandum est. Quia in illis naturæ materia occurrit, ex quâ in aliis animalibus instrumenta visus facere solet, facit & hic ex eâ aliquid, quod oculis respondeat, etiamsi visui illud in iis, quippe qui necessarius talpis non est, haud inserviat. Atqve hinc rectissimè Aristoteles lib. I. Hist. Anim. c. IX. talpas ait quidem *quodammodò, τρόπον τινὰ oculos habere*, non tamen ὅλως sive *omninò* aut *absolutè*. Quibus gemina idem habet lib. IV. Hist. c. IIX. Aristoteli consentit Virgilius lib. I. Georg. v. 183. oculis eos captos vocans, quando ita canit:

Aut oculis capti fodêre cubilia talpæ.

Plinius, cujus hæc sunt ex lib. XI. Hist. Natur. cap. XXXVII. *Talpis visus non est, oculorum effigies inest, si quis prætentam detrahat membranam.* Et lib. XXX. cap. III. talpas scribit multis modis à rerum naturâ damnatas, ut *cæcitate perpetua, tenebris etiamnum aliis, defossas sepultisq; similes.* Consentit qvoqve Galenus, lib. XIV. de usu partium cap. VI. & ipse talpas numerat inter animalia veris oculis carentia: *Talpæ*, inquit, *vitreum ac crystallinum humorem etiam habent, & præterea tunicas his circundatas non minus habent, quàm animalia, quæ oculis utuntur. Sed neq; eis aperti fuerunt oculi, neq; foràs prodierunt: sed ea re inchoati fuerunt relicti, similes eorum oculis, qui utero adhuc geruntur, manentes.* Et lib. II. de Semine cap. XIII: *Talpis*, ait, *lineamenta quidem oculorum expressa sunt, verum foràs emergere non potuerunt, naturâ circa hoc faciendum debili factâ, ut propositum opus absolvere non posset.* Deniq; & Oppianus lib. II. de Venat. in fine de talparum genere: Τοὔνεκα νῦν ἀλαόν τε μένει καὶ λάβρον ἐδωδῆς, *Propterea etiam nunc & cæcum illud manet, & vorax cibi.* Nec aliter Ægyptii senserunt. Inde enim cœcum hominem significare volentes talpam pinxerunt, ut testatur Hora-

Horapollo lib. II. Hieroglyphicorum n. LXIII. & quidem his verbis: Ἄνθρωπον τυφλὸν βουλόμενοι σημῆναι, ἀσπάλακα ζωγραφοῦσιν· ἐκεῖνος γὰρ ὀφθαλμοὺς οὐκ ἔχει, οὔτε ὁρᾷ, *cæcum significantes talpam pingunt: qui neq; oculos habet, neq; omninò videt.* Sed & proverbium hinc natum eſt, τυφλότερος ἀσπάλακος, *cæcior talpâ*, cauſam Suidas his aſſignat verbis: Διὰ τὸ μὴ ἔχειν τὸ ζῶον τοῦτο ὀφθαλμοὺς, *caret namq; beſtiola hæc oculis: quam* (ita pergit ille) *Staſimbrotus* ait, *Tellure excæcatam eſſe, quod fruges corrumpat.* Quibus ſimilia tradit & Heſychius, necnon Diogenianus Centur. IIX. Proverb. 25.

CCLXV. Porrò aliquando, id quod per ſenſus obſervatum eſt, rectè quidem ſe habet, ſed malè inde colligitur. Qvod exemplo uno atqve altero illuſtrabimus, dehinc autem ad rem propoſitam accommodabimus. Guiljelmus Harveus in Exercitationibus de generatione Animalium inter alia paradoxa & hoc ponit, *quod nihil in coitu de ſemine maris uterum fœminæ ingrediatur, aut in eum attrahatur, vel uſpiam intra fœminam reſervetur, ſed vel evaneſcat, vel elabatur; ſaltem contagium aliquod attrito utero induci, quo tanquam infecta fœmina à mare fœcunda reddita fœtum poſtea ſuâ ſponte generat, ad eum modum, quo ferrum à magnete tactum, hujus ſtatim vi dotatur, aliaq; ferramenta ad ſe allicit.* Probat id exemplo cervarum damarumqve, quas protinus à coitu ſe ſecuiſſe, ſeminis autem in earum uteris nihil reperiſſe ait. Hic quidem non eſt, quod obſervationem Harvei quisquam in dubium vocet, at id, quod inde concludit, meritò in controverſiam vocatur. Omni enim reclamat experientiæ, quæ firmat non fieri conceptionem, ſi ſemen in utero non maneat, ſed foras procedat, quod & Hippocrates teſtatur in lib. de Geniturâ. Et lib. de ſteril. dicit, eas minimè concipere, quibus *uteri* nimis ſunt *lubrici vel à linimentis aut oleis humectantibus admotis, vel ab intemperie humidiore*; item neqve illas, *quibus os uteri internum* *parum*

parum distortum est, aut leviter conclusum. Atqui, si sola plastica vis è semine manans, & utero adflata fœcundas redderet fœminas, illæ certè, quæ taliter habent constitutum os uteri, neutiquam steriles forent. Et nonne satis notum est, impudicas & prostitutas, ne compleantur crebrò, gravidæqve jaceant, genituram variis modis è se excutere? Necesse ergò omninò est, ut semina utero concipiantur. Qvod autem Harveus in uteris damarum cervarumqve protinus à coitu nihil seminis repererit, ideo factum est, quod bestiæ in mactatione territæ & totæ conturbatæ, id, quod continuerun, tseminis, elabi siverint, veluti & alvi vesicæq; excrementa tùm emittere solent. Idem Harveus de generat: Animal. Exercit. LII. existimat, *cor sensu tactus non esse præditum*, idqve demonstrare conatur ex admirando casu, qui obvenit filio primogenito Vice-Comitis de Montegomero in Hibernia, cujus viventis cor ipse Harveus vidit & manu contrectavit, immissis tribus prioribus digitis cum pollice in cavitatem pectoris per apertum hiatum in pectore, qui ibi remanserat ex fracturâ ossium sinistri lateris, juvene nihil percipiente. At malè rursus colligit Harveus. Ipse enim narrat cor illud circumdatum fuisse carne quâdam fungosâ, quæ exterius excrescens muniminis instar id contexerit. Ista tangebatur & contrectabatur ab Harveo, eratqve sensu orbata, prout & in aliis est partibus, ubi excrescit. At ob illum casum cordi secundum naturam se habenti non omnis statim adimendus est sensus.

CCLXVI. Idem si de illis, quorum ante mentio facta est, dicamus, non aberraverimus fortè à vero. Esto, rectè se habeat observatio illa, Galaxiam semper eundem habere aspectum ratione magnitudinis, num qvid jam inde rectè inferetur: Ergò una numero & immutabilis prorsus est secundum substantiam? Si fluat aqua ejusdem qualitatis sub eâdem quercu, umbra in ea producta semper eundem habet aspectum, ni-

hil penitus variatum, & tamen non fit in eâdem numero aquâ. Halo circa Lunam eundem servat aſpectum, & tamen ſemper materia alia atqve alia eſt, cùm vapores, in quibus fit halo, à ventis propellantur & diſcutiantur. Rectè qvoqve ſe habeat altera obſervatio, qvod in Galaxia nulla hactenus viſa ſit parallaxis ratione ſitus, non tamen ideò rectè ſtatim ſe habebit, quod inde inferunt, nempe, galaxiam ſedem ſuam habere in æthereâ regione. Sanè ipſe Ptolemæus non obſcurè docet ex parallaxi ſeu diverſitate aſpectûs non poſſe ſemper pro diſtantia ſtellarum ſatis efficax peti argûmentum, IX. Almagesti cap. I. Differit ibi adverſus quosdam ſui ævi, qui contra priſcos Solem ponebant Lunæ proximũ, ſupra illum autem Venerem & Mercurium, adducentes hanc rationem, quod nunquam ab iſtis planetis Sol tenebris obductus ſit viſus. Reſpondet Ptolemæus: Ἡμῖν δ', inquit, ἡ μὲν τοιαύτη κρίσις ἀβέβαιον ἔχειν δοκεῖ, τῷ δύνασθαί τινας εἶναι μὲν ὑπὸ τὸν ἥλιον, μηκέτι δὲ πάντως καὶ ἔν τινι τῶν δι' αὐτοῦ καὶ τῆς ὄψεως ἡμῶν ἐπιπέδῳ, ἀλλ' ἐν ἄλλῳ, καὶ διὰ τοῦτο μὴ φαίνεσθαι ἐπιπροσθοῦντας αὐτῷ, καθάπερ καὶ ἐπὶ τῆς σελήνης συνοδικῶν ὑποδρομῶν τὰ πλεῖστα οὐ γίνονται ἐπισκοτήσεις. *Nobis hæc ratio infirma videtur. Poſſunt enim Planetæ aliqui eſſe ſub Sole, nec tamen in aliquâ penitus ſuperficie per ipſum & viſum noſtrum, ſed in aliâ, atq; idcircò objici ei non poſſe, ſicut & ut plurimum, cùm Luna in eâdem cœli parte & eodem ſigno Soli ſubjicitur, & illa ſubtercurrit, nullus Solis defectus efficitur.* Hinc dubitat, quid ergò ſtatuendum tandem ſit in hoc negotio, & dicit, ex παραλλάξει id decidi non poſſe, quod nulla iſtarum ſtellarum ſenſibilem habeat parallaxin, magis veriſimilem tamen & naturæ magis conſentaneam exiſtimat eſſe priſcorum ſententiam, qui Solem ſupra Venerem & Mercurium collocârunt. Verba ejus hæc ſunt: Μὴ δυναμένης δὲ μηδὲ κατ' ἄλλον τρόπον τῆς τοιαύτης καταλήψεως προχωρεῖν, διὰ τὸ μηδένα τῶν ἀστέρων ποιεῖσθαι παράλλαξιν τινα αἰσθητὴν, ἀφ' οὗ μόνου φαινομένου τὰ ἀποστήματα λαμβάνεται, πιθανώτερα μᾶλλον

ἡ τῶν

ἡ τῶν παλαιοτέρων τάξις καταφαίνεται &c. *Cùm aliter*, inquit, *rei hujus intelligentia haberi non poſſit, propterea quod nulla harum ſtellarum ſenſibilem diverſitatis aſpectum facit, à quo ſolo, ſi appareat, diſtantiæ capiuntur, magis veriſimilis mihi ordo, quem priſci conſtituunt, videtur.* Dicit ex parallaxi quidem, ſi quam habeant, poſſe de diſtantiâ ſtellarum judicari, aſt non ita, ſi nulla appareat parallaxis, ab eâ pro diſtantia argumentum peti poſſe, cum nullam ſenſibilem παράλλαξιν faciant Sol, Venus & Mercurius, quorum tamen non æqualem eſſe diſtantiam velut extra controverſiam poſitum ſumit. Sed ponamus ex παραλλάξει poſſe immotum pro diſtantiâ ſtellarum deſumi argumentum, tamen hoc non extendendum eſt ad alia, quæ ſub ſtellarum genere non continentur, veluti ad res elementares. Extrema enim & media neceſſe eſt eſſe ex eodem genere, indeqve non migrandum ex uno genere in aliud, cum quid volumus demonſtrare I. Poſt. c. VII. §. 1. & 4. φυσικῶν πραγμάτων φυσικὰς δεῖ καὶ τὰς αἰτίας ἀποδιδόναι, ait Philoponus in I. Meteor. *Phyſicarum rerum Phyſicas cauſas oportet afferri.* Idem ergò & hîc faciendum. Ex Phyſicis principiis oportet determinare, quid de galaxiâ ſit ſentiendum, non ex Mathematicis. Heterogenea namqve in Phyſicis ſunt hæc principia & ἀλλότρια, quibus non decet doctorem ſcientificum uti. Conf. I. Poſt. IX. Rectè dicitur: Quæcunqve ſtella nullam habet parallaxin, ea eſt ſupra Lunam. Rationi enim conſonum eſt, iſtarum ſtellarum, quæ Lunâ ſuperiores ſunt, unamquamqve eo minorem habere παράλλαξιν, quo magis à Lunâ remota eſt, propter diſtantiam nimiam & viſus noſtri imbecillitatem. At de quocunq; corpore in ſublimi obſervato tale quid dici nō debet, niſi forſan & lucernam candelâ inſtructam, & ex altâ turri in excelſo monte ſuſpenſam ſupra Lunā eſſe dicere velis, quod aut nulla aut exigua ejus obſervetur parallaxis. Illorum enim, quæ ex propinquo intuemur, locum exactius valemus cognoſcere,

quàm eorum, quæ à visu nostro longius absunt. Deniqve qvorum distantia ex parallaxi æstimari debet, ea necesse est proprium & ab aliis distinctum habere aspectum. Quæ autem proprium aspectum non habent, de illis ex parallaxi judicium ferri non potest. Non enim producunt speciem ab aliâ distinctam. Ita cœruleus cœli color sedem suam, uti jam ante dictum, sine dubio habet in orbe hoc sublunari, & tamen super omnia sidera conspicitur, propterea qvod diversum à cœlo aspectum non habeat. Si è regione oculi alicujus, interjecto spatio aliqvot passuum, παραλλήλως terræ infixus sit baculus trium vel quatuor ulnarum, post hunc autem itidem relicto spatio aliquot passuum alius aliquis quinqve vel sex ulnarum ejusdem latitudinis παραλλήλως figatur, visui nostro unus idemque eodem loco situs baculus esse apparebit, propterea quod uterque baculus in eandem lineam rectam cum visu nostro coincidat. Ita halo non facit parallaxin. Undelibet enim videatur, circa sidus illud apparebit, quod cingit, v. gr. Lunam, etiamsi non in eâdemqve ubiqve locorum, ex quibus conspicitur, præsentetur numero materia. Totum enim aspectum habet ex ipso sidere, cujus lumen in vapore fractum ac multiplicatum, ac deinde ad oculum nostrum repercussum halonem gignit. Idem de circulo lacteo dicendum est. Nam & hic non habet proprium aspectum & per se consistentem, sed aspectum omnem habet à stellis illis, quarum lumen, in exhalationibus tenuiter incensis refractum, circulum illum producere ante dicebamus. Undelibet ergò videatur, videri non poterit, nisi è regione illarum stellarum. Neqve mirum est, quod Lunâ videatur superior, cùm supra lunam sint stellæ, à quibus totam suam formam habet, omnemqve aspectum.

CCLXVII. Non solùm autem hâc de causâ multis obscurus fit Aristoteles, quod rationes, qvæ adversus sententiam ejus proferuntur, solvere neqveant; sed & ideò, uti itidem jam

ante monuimus, quod rationes, quibus iste suam sententiam fulcit, adversus contradicentes tueri nequeant, aut ad exceptiones, quibus illi principia demonstrationum ipsius eludere conantur, sufficienter respondere. Exemplo nobis sint duæ præcipuæ rationes, quibus Aristoteles motum terræ circularem impugnat, quem illi terræ naturalem faciunt. Prima earum hæc est: Simplici corpori, cujusmodi, est terra, unus simplex motus convenit. Jam autem terræ per naturam competit motus rectus. Ergò non competet ei per naturam motus circularis. Ad hanc rationem excipiunt aliqui primò falsum id esse, quod terra sit simplex corpus: experientiam enim docere, quod sit ex rebus heterogeneis variè commista. Deinde, ne corpori quidem simplici dicunt repugnare varietatem motuum. Nam & aqua corpus simplex est, & tamen illa non solum per lineam rectam deorsum fertur, sed & alium sustinet motum, ut videre est in fluxu & refluxu maris. Tertiò inquiunt, non continuo toti competere, quod parti ejus competit. Alioqui enim totus homo deberet esse orbicularis, qvod ejus caput tale sit. Licet ergò partes terræ rectà ferantur, nondum tamen inde concludi posse, oportere & rectà ferri totam terram. Hæ exceptiones multos movent, ut à ratione hâc Aristotelis penitus abstinendum esse arbitrentur; sed sine causa. Qvamvis enim terra variis rebus sit permista, non tamen desinit esse corpus simplex, cùm per accidens id fiat, ut alia illi sint admixta. Neqve enim ea ad rationem terræ pertinent, neqve alio motu terram per se moveri faciunt, quàm qui ipsi secundum naturam inest, sicut ignis non desinit esse ignis & ferri sursum, etiamsi habeat & aliqua terreæ sortis admixta. Nec aër desinit esse corpus simplex, aut eum, quem natura ipsi tribuit, medium scilicet, deserit locum, etiamsi cùm pluviis scateat, qvæ deorsum nituntur, tùm exhalationibus calidis & siccis, quæ ad supera loca ascendere gestiunt. Accedit,

quod etiamsi terra ex pluribus rebus heterogeneis sit com mista, nulli tamen ex illis per naturam circularis motus conveniat, sed singulis motus rectilineus sive sursum, sive deorsum versus. Quorum ergo tandem ratione terræ motus circularis tribuetur? Sanè ne animalibus quidem, quæ se ipsa movent, eoqve fine certis instrumentis à natura instructa sunt ad motum perficiendum, tribuere licet motum, qui non conveniat illis ratione partium, sed ambulare quidem ea dicimus pedibus, prehendere manibus, audire auribus, & sic in cæteris. Multò minus ergò terræ, etiamsi ponatur corpus esse heterogeneũ secundum naturam suam, tribui poterit motus, qui non competat ei ratione partium, sed, eo posito, perinde ut alia mixta moveretur secundum naturam simplicis prædominantis. Videmus enim omnia gravitatem habere, aut levitatem, secundum quas virtutes motus fit, vel à medio, vel ad medium, secundum rectum 1. de cœlo t.5. & 8. Quod autem dicebant, ne corpori simplici quidem repugnare varietatem motuum, id largimur quidem, si unus illis secundum naturam, alter autem per accidens insit, aut præter naturam sit comparatus, proficiscens à principio externo. Ita terra suâ naturâ fertur deorsum, verum id non prohibet, quo minus & sursum feratur, si ab aliquo projiciatur, quia id fit præter naturam ejus. Idem de aquâ dicendum est, quæ suâ naturâ & ipsa deorsum fluit, sed si incidat in corpus aliquod, quod fluxum ejus remoretur, refluit, & superiorem, ex quo fluxit, locum rursus petit, verùm hoc itidem non fit secundum naturam aut à principio interno, sed externo. At illi terræ utrumque motum dicunt esse naturalem, & circularem, & rectum, qui ad medium vergit. Neqve est, quod excipiatur, illum quidem toti terræ, hunc autem partibus esse naturalem. Nec enim absurdum esse, aliquid parti competere, quod tamen non competat toti, veluti orbiculare esse capiti hominis competere, nec

tamen totum hominem ideò esse orbicularem. Hoc, inquam, non est, quod obvertatur. Alia enim est ratio corporum simplicium, quin & mixtorum, alia autem eorum, quæ propriè composita sunt, h.e. eorum, quæ dissimilium sunt partium & mixtis contradistinguuntur. Horum enim propriè dicitur esse compositio I.de Cœlo t.7.& 1.de Gen.& Corr.t.86. Quantum ad hæc, utiqve conveniunt aliqua partibus, quæ tamen non conveniunt toti, saltem per se primò, id est ratione totius, non solùm figuræ, sed & motus (de quo hîc tantum solliciti sumus) ratione. Neqve enim incessus, qui animalibus quibusdam ratione partis certæ, nempe pedum, competit, ipsis secundum totum tribui potest. At alia est simplicium corporum, ut & mixtorum, quæ à compositis illis distingvuntur. Non enim lapidibus, metallis & aliis similibus alius ratione totius, alius ratione partium motus convenit, sed unus idemqve, nempe motus deorsùm.

CCLXIIX. Altera ratio Aristotelis contra motum terræ hæc est: Pondera, inquit lib. II. de cœlo cap. XIII. quæ sursum projiciuntur, ad perpendiculum rursus in eandem terræ partem recidunt. Atqui id fieri posset, si terra interea circumduceretur, & quidem tàm velociter, ut intra 24. horarũ spatium integram periodum circa centrum absolveret? Urget eandem & Ptolemæus lib. I. cap. VII. Et ex recentioribus Tycho lib. I. Epist: *Si terra*, inquit, *esset mobilis, tum lapis è turri solutus rectà deorsum proficiscens, non ad basin ejus, sed multo longius caderet: sagitta sursum tramite directo elisa non in locum pristinum relaberetur, etiam ventis silentibus: antequam enim terram tangeret, jam aliquot centum passus propter velocissimum Terræ cursum provecta esset.* Ad hoc argumentum nonnulli excipiunt, non metuendum tale quid esse, propterea, quod motus terræ systematicus sit, h.e. quod non sola terra circũvolvatur, sed unà cum eâ idq; æqualiter, & cætera elementa,

aërem, ignem, aquam, quæ cum terrâ unum ſyſtema facere dicunt. Cùm ergò aër ſimul cum terrâ circumvolvatur, rapit lapides, ſagittas & cætera pondera unà ſecum, ut in eandem terræ partem recidant, ex quâ fuêre projecta. Ex hâc ipsâ enim cauſa evenire, ut pondus ex ſumma trabe alvei navis in punctum carinæ perpendiculariter ſuppoſitum directè cadat, etiamſi ipſa celerrimè agatur, tumentibus velis. Cum ergò & huic exceptioni aliqui Ariſtoteli aliàs faventes ſatisfacere neſciant, etiam ſecundo iſto argumento uti verentur: cum tamen exceptioni dictæ nihil ſolidi ſubſit. Nam unde probabunt, qui eam adducunt, omnia quatuor elementa unum facere ſyſtema? Dicunt, inde id probari poſſe ſatis perſpicuè, quod ſingulæ res, aëre graviores, verſus terram properent, imò aër ipſe, idemq; & ignem facturum eſſe ſublunarem, ſi quis daretur. Sed facilis eſt reſponſio. Res aëre graviores, ut ſunt aqua, terra, & quæ ex his conſtant, cum gravia ſint, deorſum ſeu ad medium tendere, in quo terræ globus, qui & aquam complectitur, ſitus eſt, largimur lubentes. De aëre & igne autem id omninò negamus. Experientia enim teſtatur, vapores ſubtiliores, qui plus aëreæ, quàm aqveæ, ſortis in ſe côtinent, non terræ loca petere, ſed ex terrâ ſurſum ſcandere, id qvod adhuc clarius eſt in igne. Nititur dicta aſſertio falſo iſto principio, quod ſupponit, omnia elementa eſſe gravia, etiam ipſum ignem: neqve enim ſurſum ferri naturâ, ſed vi aëris, à quo ceu graviori ignem premi dicunt, ut ſupra ſe ſcandat, ſicut aqua elevatur, cùm lapide premitur. Verùm jam olim ad hoc reſponſum eſt ab Ariſtotele IV. de cœlo cap. II. t. 16. & c. IV. t. 32. Experientia enim ſatis ſuperqve teſtatur, ignem in aëre, quieſcente etiam, ſemper ſurſum ferri. Fruſtra ergò ei à natura gravitas fuiſſet conceſſa, cum fruſtra ſit potentia, quæ nunquam traducitur in actum. Natura autem nihil facit fruſtra II. Phyſ. c. VIII. Deinde, major ignis difficilius ſurſum ferretur,

retur, cum aëri prementi ipsum facilius resistere possit. At nunc contrarium contingit. Quò major enim ignis est, eò celerius sursum movetur. Deniq; quis aër iste, qui premit ignem, ut in superiora loca se recipere cogatur? Num superior? non sanè. Ad oculos enim patet, hunc igni sursum tendenti cedere. Ergò ille forte aer id facit, qui latera ignis cingit. Verum ne hoc quidem. Fertur enim ignis sursum, etiam, cum nullus est ad latera ejus aër, sicut vidēmus in magno igne, qui ingens spatium in aëre occupavit. Medius enim, qui tamen aëre circumdatus non est, non tardius, sed celerius potius superiorem locum petit, quàm extremus ab aëre circumcinctus. Sed posito, quod ignis non naturâ suâ, sed vi aeris ab eo pressus sursum scandat, tamen ne sic qvidem obtinebunt illi qvod volunt, nempe ignem, si quis daretur, terram petiturum. Cùm enim intra regionem illam, qvam igni supero assignant, qui talem dari statuunt, & terram ubique aër sit, ab aere semper impediretur, quo minus terræ oras posset salutare. Alia ergò sit causa necesse est, cur aër circa terram cum terrâ in orbem vertatur. Fortè id fit propter contiguitatem? Verùm hoc pacto non admodum altè à terra traheretur, & nubes excelsiores & halitus illis superiores aut nullo aut admodum tardo gradu sequerentur terram & refugi omnes palam in occidentem viderentur, maximè in locis planis, ubi terra nullis mōtibus aut collibus exasperatur, qui eam juvent ad impellendum aërem ab occidente versus orientem. Quin cum aër sit natura suâ fluxum ac lubricum corpus nec continuum cum globo terrestri; ne quidem, ubi montium, turrium, arborum altitudinibꝰ propelletur, satis obedienter aut pari velocitate motum terræ assequetur, sed hàc illàc diffluet & retrò relinquetur. Exactam ergò cum terrâ æqualitatem aër in cursu suo servare non poterit, multò minus pondera in ipsum projecta, cùm tam tenue & liqvidum valdè corpus sit, tantâ & tàm regulari pernicitate in orbem ducere. Quis enim crediderit, aërem lapidis ingentis descensum æquè posse detorquere ac corporis levioris? Εἰ τὸν

ἀέρα, inqvit Ptolemæus lib. I. Almagesti c. VII. exceptionem hanc dissolvens, φήσαιεν αὐτῇ συμπεριάγεσθαι κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ἰσοταχῶς. οὐδὲν ἧττον τὰ κατ' αὐτὸν γινόμενα συγκρίματα πάντοτε ἂν ἐδόκει τῆς συναμφοτέρων κινήσεως ἀπολείπεσθαι. Ἢ εἴπερ καὶ αὐτὰ ὥσπερ ἡνωμένα τῷ ἀέρι συμπεριήγετο, οὐκέτ' ἂν οὐδέτερα, οὔτε προηγούμενα, οὔτε ἀπολειπόμενα ἐφαίνετο, μένοντα δὲ ἀεὶ καὶ μήτε ἐν ταῖς πτήσεσι, μήτε ἐν ταῖς βολαῖς ποιούμενα τινὰ πλάνην ἢ μετάβασιν, ἅπερ ἅπαντα οὕτως ἐναργῶς ὁρῶμεν ἀποτελούμενα, ὡς μηδὲ βραδυτῆτος τινὸς ὅλως, ἢ ταχυτῆτος αὐτοῖς ἀπὸ τοῦ μὴ ἑστάναι τὴν γῆν παρακολουθούσης, *Si aërem dicant similiter æqualiq; velocitate cum terrâ circumagi, non minus tamen quæ in ipso aëre concrescunt semper posterius ab utriusq; motu relinquentur. Vel si etiam ipsa aëri quasi conjuncta, una cum ipso circumducerentur, nullum tamen prævenire aliunde aut penè seqvi cerneretur, sed manere semper, ita ut nec in volatu, nec in jactu aliud ab alio præveniretur, quæ omnia sic apertè oculis fieri cernimus, ut nulla tarditas omninò nullaq; velocitas ab eo quod terra fixa non stet, accidere ipsis videatur.*

CCLXIX. Alii ergò dicunt, terram esse magnum quendam magnetem, qui universa circa se, terræ aut aquæ cognationem habentia rotet. Verum πρὸς ποίησιν, ut loquitur Philosophus, h.e. pro Poëtâ fortè hoc satis dictum est, pro Physico autem qui rerum naturas propriis & claris verbis exponere amat, non satis. Unde enim probabitur terram esse magnetem? Habeat ea in quibusdam cum magnete convenientiam & similes cũ eo virtutes, non tamen ideò revera jam magnes est. Quot enim & alia corpora sunt magneticâ quâdam virtute imbuta, & tamen magnetes dici non possunt? Et quî fit, ut non protinus omne id, quicquid ferri supra terram est, ad se rapiat, si verus magnes est terra? actum esset de fabris ferrariis omnibusque, qvi aut opera sua ex ferro fingunt, aut non aliter conficere possunt, nisi instrumentis ex ferro paratis. Sed ponamus, terram esse magnetem & vi magneticâ nubes & reliqua, quæ in aëre pendent,

abri-

abripere, quid inde ipsorum sententiæ roboris accedet? Experientiâ clarum est, magnetem segnius attrahere ferrum longiùs remotum. Quodsi jam terra eâdem virtute nubes & cætera in aëre pendula, quâ magnes ferrum, secum trahit, segnius itidem in spatio distanti operabitur, atque sic eadem, cujus antè mentio facta est, manebit difficultas. Deinde magnes non omnia sine delectu trahit, sed magnetem alium aut ferrum, utpote quod cognationem cum magnete habet. Magnes enim totus quasi *ferri matrix* est, quod & Alexander observat II. Qq. Nat. c. XXIII. veræque ferri ac magnetis subterraneæ communes sunt, indeque simili materiâ potiuntur. Quæ autem ita se habent, facilè in mutuos coëunt amplexus. V. gr. aquosa aquosis facilè junguntur, non item aquea & oleum. Ita gummi cerasorum aquæ facilè misceri ac in eâ, quod aqueæ naturæ sit, dissolvi potest; gummi verò mastiches, quod igneâ vi polleat, nequit aquæ misceri. Sic calidum innatum trahit potabilem substantiam ex elementis, crassitiem autem relinquit. Singulæ partes familiarem sibi substantiam ex alimento trahunt, hæ quidem crassiorem, aliæ tenuiorem. Rhabarbarum flavam bilem trahit, helleborus niger atram; scorpionis corpus ejusdem venenum trahit, non ob aliam causam, nisi ob similitudinem & amicum quendam naturæ complexum. Et hinc fit, ut si magneti accedat aliquid, quod sit naturæ ferri adversum, hoc ad illum se inclinare renuat, veluti si magnes allio sit illitus. At numquid & terræ cum aëre atqve iis, quæ in aëre sunt pendula, ut sunt vapores, nubes, talis cognatio ac familiaritas intercedit? Non existimo, cùm in propatulo sit, qualitatibus ea terræ contrariis esse prædita; aut si intercedat & illis familiaritas quædam, major tamen ea erit inter Terram, si quidem ea magnes aliquis est, & ferrum atq; magnetes alios, quem inter aërem & similia in aërem fortè projecta: tardiùs ergò & langvidiùs hæc à terrâ in orbem raperentur, quàm illa; quod tamen non est consonum experimentis.

CCLXX. Deniqve cùm alii videant, neque hâc ratione se quic-

quicquam proficere, tertium modum eligunt & credunt, non tàm projecta, item aërem, nubes &c. trahi à terrâ, quâm illa suapte sponte cum terrâ circuire. Terram enim existimant & corpora gravia, eorumqve halitus & effluvia esse & ipsa magnetes quosdam aut corpora magnetica, hæc autem vim quandam circulariter se movendi habere, quod experimento confirmant. Ponatur in vasculo aquæ magnes A.B, ita ut exactissimè supra aquam libretur sive innatet aquæ, sitqve in situ suo naturali, ut unum ejus punctum A. respiciat punctum septentrionis C, alterum verò B. punctum Australe D; hinc circumgyretur super centrum suum, ita ut A respiciat D, & B respiciat C; eo facto cùm lapis sit in situ præternaturali, virtute sibi insitâ magnes se ipsum reducet ad naturalem situm, ita quidem ut punctum A per semicirculum D F C, punctum autem B per alterum semicirculum C E D in pristinum locum circulari motu revertantur.

CCLXXI. Verum non vident hi, se experimento hoc evertere ipsam suam θέσιν principalem. Dicunt, terram esse magnum quendam magnetem, & omnia corpora, quæ ex terrâ exeunt. Jam considerent quæso, quando dicto modo moveatur magnes? Certè non nisi cùm à naturali suo situ est abstractus; quam primum autem eundem recuperavit, à motu cessat & in centro suo requiescit. Quod si ergò & terra magnes est, ea quidem si extra situm sibi naturalem violenter distorta sit, in gyrum movebitur, sed non nisi respectu pristini loci quietis ad quem si reversa fuerit, bono suo gaudens quiescet. Sed missâ terrâ, videamus, quàm verum sit, qvod de cæteris corporibus, aëre, vaporibus, nubibus affirmant, nempe quod ea unà cum terrâ circumagantur. Ajunt scilicet & iis virtutem inesse magneticam, quæ ea simul circumagat cum terrâ. At iidem, sui ipsius immemores, in mari perhibent acum nauticam paulisper à polo deflectere, quod in terra, non in aquâ sit vis magnetica, quæ illam solicitet acum. Quâ igitur virtute aqueæ nubes magnetico & spontaneo motu terram sequentur? Deinde hâc ratione nullum cor-

pus erit, cui non magnetica aliqua insit virtus: nam & aer cum meteoris aqueis atqve ignitis, lapides item, ligna, metalla & quæcunque alia in aerem projectilia juxta illos cum terrâ in orbem circumaguntur. Cur ergò illa corpora non æquè ac ferrum à magnete attrahuntur, & alia corpora, quibus extra controversiam magnetica aliqua virtus est insita? Fortè dicent, esse quidem in omnibus virtutem magneticam, sed non omnia æquè largiter eam participare. Sed ne sic quidem effugient. Si enim non omnia æquè participant virtutem magneticam, quæ tamen causa juxta ipsos est circumvolutionis istorum corporum, nec omnia in altum projecta aut in sublimi pendentia pari impetu cum terrâ circumagentur, sed ferrum velocius, reliqua tardius, quo posito, hæc manifestè deferentur, & semper ad partem mundi occiduã reflectere videbuntur. Quod tamẽ hypothesi eorum adversatur.

CCLXXII. Exemplum à pondere ex summitate navis demisso & ad perpendiculũ in illam decidente parum ad rem facit. Præterquam enim quod intervallum summitatis & carinæ navis nimis breve sit ad deprehendendum manifestè recessum ponderis versus partem posticam navis; constat insuper satis, aerem in navi provecta conclusum quadantenus esse, nec per omnia liberè diffluere: non ergò mirum est, si hic æquabiliter cum navi propellatur, & pondus per ipsum decidens urgeat, ne ita retrò agatur, ac si per laxum & patentem aerem decideret. At aer, qui tellurem ambit, ei ita connexus non est, ut necessariò motum ejus æquali concursu sequatur. Quanquam experimento illud nondum satis sit probatum. Refert enim Libertus Fromondus in libro suo de Orbe Terræ immobili c. IIX. Joannem Gallæum Leodinensem Mathematicum retulisse sibi, quod in mari Adriatico hujus rei periculum fecerit, ac plumbeum pondus ex altissimo malo Venetæ triremis demissum, non decidisse ad mali pedem, quò perpendiculum collinearat, sed aliquã tum motu subducente navem & promovente versus proræ spatium, retrocessisse ad puppim. Sed satis etiam de his.

CCLXXIII. Una adhuc superest causa obscuritatis in Aristotele, minimè prætereunda. Ea hæc est, qvod aliqui nullum in evolvendis ejus scriptis ordinem observent. Ita multi absoluta Logica, quam vocant, in Philosophiam primam statim involant, cùm impossibile sit, pleraque eorum quæ ibi ab Aristotele proponuntur, cognosci, non supposità notitià scientiæ naturalis. Alii Ethicâ neglectâ, Politica scripta invadunt, sed irrito eventu, quod assequi neqveant quam plurima levi saltem brachio ibi tacta, accuratissimè autem in Ethicis expensa, veluti quæ in VII. Polit. de summo hominis bono disputantur. Necessarium ergò est eum, qui cum fructu in lectione Aristotelis versari vult, ad extremum & hoc cognoscere, quo ordine libros legere debeat Philosophi hujus. Scripsit de hac re libellum Adrastus Aphrodiseus vetustissimus Peripateticus; qui nos omni fortassis, qui nobis hîc impendendus est, sublevasset labore, si ad nos pervenisset. Verum quoniam eo frui per injuriam temporum non licet, enitendum nobis est, ut quoad fieri potest, damnum hoc resarciamus. Non inutile autẽ erit initio percurrere aliorum de ordine partium Philosophiæ opiniones. Panætius igitur & Possidonius, auctore Phanià apud Laërtium in Zenone p. 461. 462, Boëthlus item Sidonius, teste Ammonio Præfat. in Categ. fuerunt in hac sententia, initium faciendum asse *à naturali Philosophià*, quod nobis magis familiaris atque nota sit, à notioribus autem & facilioribus semper sit incipiendum. At non tàm facilia sunt omnia, de quibus in Physicis differitur, sed pleraq; ut rectè dijudicentur, longâ experientià opus habent. Quâ de causa & Aristoteles ipse VI. Ethic. IIX. scribit, *juvenem Mathematicum* quidem fieri posse, *Physicum non posse*. Alii aliam ob causam à Physica exordiendum esse existimarunt, nempe quod antiquior esset cæteris. Τριμεροῦς οὔσης τῆς φιλοσοφίας, οἱ μὲν πρῶτον μέρος τάττουσι τὸ φυσικὸν, ἐπεὶ καὶ χρόνῳ μὲν πρεσβυτάτη ἐστὶν ἡ περὶ τὴν φυσικὴν πραγματεία. ὡς καὶ μέχρι νῦν τοὺς πρώτους φιλοσοφήσαντας φυσικοὺς καλεῖσθαι, ait Sextus Empiricus l. VII. adversus

ſus Dogmaticos: *Cùm ſint tres partes Philoſophiæ, aliqui ſtatuunt primam partem eam eſſe, quæ contemplatur naturam. Nam & tempore eſt antiquiſſima, quæ in inveſtigandâ naturâ verſatur contemplatio, adeò ut huc usq; qui primi ſunt philoſophati Phyſici vocentur.* Verùm & hæc ratio infirma eſt. Nam eo pacto in partibus Medicinæ Chirurgica prius docenda eſſet, quod tamen abſurdum eſt. Alii putarunt à *Morali Philoſophiâ* exordium faciendum eſſe, ut Ptolemæenſis Diogenes apud Laërtium in Zenone, aliiq;, duplici itidem moti ratione, nempe quod ea quæ mores ſpectant, & magis ſint neceſſaria, quippe ad beatitudinem pertinentia, & ad id conferant, ut Philoſophiam facilius percipiamus atque incorruptius de veritate judicemus. Quarum illam rurſus exprimit Sextus Empiricus c. I. his verbis: Οἱ δὲ ἀπὸ τῶν ἠθικῶν κατήρξαντο, ὡς ἀναγκαιοτέρων, καὶ πρὸς εὐδαιμονίαν ἐπιστώτων· καθὸ καὶ ὁ Σωκράτης παρήγγελλε μηδὲν ἄλλο ζητεῖν, εἰ μὴ ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται, *Alij cœperunt ab iis, quæ pertinet ad mores, ut quæ ſint magis neceſſaria, & pertineant ad beatitudinem. Quamobrem præcipiebat quoq; Socrates nihil aliud quærere, præterquàm quod ſit in ædibus, illud ſitne bonum nec ne, anne malum.* Alterius autem meminit Ammonius itidem c. I. ita ſcribens: Φασί τινες ἀπὸ τῆς ἠθικῆς δεῖν ἄρχεσθαι· πρότερον γὰρ δεῖ τὰ ἤθη κατακοσμεῖν, καὶ οὕτως ἐπὶ τὰς ἄλλας ἰέναι πραγματείας, ἵνα μὴ τεθολωμένον ὑπὸ τῶν παθῶν τὸν λογισμὸν ἔχοντες, τὰς περὶ τῶν πραγμάτων κρίσεις μὴ ἀκριβεῖς φέρωμεν, *Quorundam ſententia eſt à libris moralibus auſpicandum eſſe. Ajunt enim mores imprimis conformandos eſſe, tùm ad reliquâ progrediendum; ne ſi mens affectibus turbata ſit ac perturbationibus agitata, minus accuratum de rebus judicium feramus.* Verùm utramqve rationem reſponſione unâ diluit Ammonius, quæ huc redit: Si Philoſophia Moralis παραινετικῶς tantùm, hoc eſt, per *admonitiones* doceretur, ut fit aureis illis Pythagoræ, Phocylidis item & Theognidis carminibus, rectè utique ab ejusmodi inſtitutione initium fieret: ſed quoniam Ariſtoteles Philoſophiam moralem, ut & alteram illam, quæ in contemplatione cernitur,

per demonstrationes, quoad illud patitur natura rei, docuit, in propatulo est, nullâ ratione illam sine Logicæ intelligentiâ percipi posse. Verba Ammonii hæc sunt: Εἰ τινὲς λέγοιεν μᾶλλον ἀπὸ τῆς λογικῆς, ἵνα μετὰ ἀποδείξεως εἰδείημεν τὰ ἄγοντα ἡμᾶς ἐπὶ τὰς ἀρχὰς, καὶ ποία ἐστὶν ἡ οὕτως ἀρετὴ, φαμὲν, ὅτι πρῶτον μὲν, ὀρθοδοξαστικῶς εἰδέναι τοῦτο ὀφείλομεν, εἶτα ὕστερον καὶ ἀποδεικτικῶς. ὥστε κἂν ταῖς ἀποδείξεσι μὴ παρακολουθῶμεν, δεῖ πρότερον αὐτὰ τῆς ἠθικῆς τὰ ἀποτελέσματα μαθόντας, ὀρθοδοξαστικῶς κατ' αὐτὰ ζῆν. εἶθ' ὕστερον, ταῖς ἀποδεικτικαῖς ἐπιβάλλειν μεθόδοις. *Verùm si quis dicat à Logicis incipiendum esse, ut ea, quæ nos ad principia perducant, & qualisnam hæc virtus sit, cum demonstratione intelligamus, dicimus, nos debere id inprimis rectâ opinione ac mente percipere, tùm postea etiam cum demonstratione. Quamobrem licet demonstratione non assequamur, tamen recepta ad mores instituendos prius nobis perdiscenda sunt, ut rectâ ratione convenienter illis vivamus, tum ad viam & rationem demonstrationis accedendum.* Hæc illæ.

CCLXXIV. Rectius ergò Andronicus Rhodius & reliqui Peripatetici à Logicâ initium faciunt, propterea qvod instrumenta suppeditet, quibus aut veritas in omni parte Philosophiæ certò asseri, aut animus ad eam possit præparari. Quam sententiam & Epicurei amplexi sunt, itemq; Stoici, ut iterum scribit Sextus Empiricus, inter hos autem nominatim Zeno, Eudemus, Archidemus, quod refert Laërtius in Zenone; eamq; & sibi magis probari satis clarè indicat ipse Sextus Chæronius, licet Pyrrhonius & Ephecticus c.l. Ἡμεῖς φαμὲν, ὡς εἴπερ ἐν παντὶ μέρει φιλοσοφίας ζητητέον ἐστὶ τἀληθὲς, πρὸ πάντων δεῖ τὰς ἀρχὰς καὶ τοὺς τρόπους τῆς τούτου διαγνώσεως ἔχειν πιστούς. ὁ δέ γε λογικὸς τόπος ὁ περὶ τῶν κριτηρίων καὶ τῶν ἀποδείξεων θεωρίαν περιέχει. ἀπὸ τούτου ἄρα ποιητέον ἐστὶν ἡμῖν τὴν ἀρχήν; *Nos dicimus*, ait, *quod si verum quærendum èst in omni parte Philosophiæ, oportet ante omnia habere principia, & ejus discernendi modos habere fide dignos. Locus autem Logicus continet contemplationem eorum per quæ possumus judicare, & demonstrationum. Ab eò ergò nobis sumendum est initium*,

tium. Cæterùm Logica, ut pridem dictum est, duas complectitur disciplinas, Analyticam & Dialecticam. Quæritur ergò, à qvâ nam ex his sit initium capessendum. Pleriq; ex recentioribus existimant, ab Analytica esse exordiendum. Cujus rationem petunt ex I. Prior. IV. §. I. ubi Philosophus dicit, *de syllogismo prius esse agendum, quàm de demonstratione, quia omnis demonstratio est quidem syllogismus, sed non vice versâ*. At idem, inqviunt, applicare licet ad Dialecticum qvoqve syllogismum. Nempe si ideò de syllogismo prius agendum est, quàm demonstratione, qvod hæc sit Syllogismus quidam, non autem omnis syllogismus sit demonstratio, sanè ex eâdem causâ de syllogismo quoq; prius disserendum erit, quàm de ἐπιχειρήματι seu syllogismo Dialectico, quod similiter omne quidem epicherema sit syllogismus, sed non omnis syllogismus sit epicherema. At de syllogismo agitur in Analyticis libris. Hi igitur ordine doctrinæ antecedent libros Topicos, in quibus de epicheremate seu syllogismo Dialectico tractatur. Verum ex iis, qvæ superius disputavimus satis apparet, huic rationi nihil solidi subesse. Analytica enim cùm consideret speciem syllogismi potissimam, & præterea accurata syllogismi in genere cognitio apprimè necessaria sit ad finem ejus obtinendum, meritò syllogismum in genere expendit & quidem primo loco, cùm rectæ rationi cōsentaneū sit, ut de eo, qvod magis universale est, prius agatur, uti itidem suo loco est dictum. At Dialectico talis cognitio necessaria non est, sed ei sufficit, si aliquali solùm ejus cognitione sit imbutus, si norit, inquam, quid sit syllogismus, & quomodo syllogismus demonstrativus, itemq; paralogismus à Dialectico syllogismo differat. Et quo fine posuisset ea Aristoteles ipse in principio Dialectices, si Analyticæ, in quâ exquisitè hæc pertractavit, notitiam in lectore Topicorum librorū ipse præreqvisivisset? Frustrà n. quis monetur de iis, quæ jam tùm cognita & quidem non populariter, sed exquisitè cognita habet.

CCLXXV. Alii ergò existimant, Topicos libros ante Analyticos esse legendos. Rationem addunt, quia de iis, quæ ad inventio-

tionem pertinent, agitur in Topicis, de iis autem quæ ad judicium spectant, differitur in Analyticis. At inventio prior est judicio. Verum & hæc ratio parum roboris habet. Præterqvam enim, quod falsum sit de inventione agi solùm in Topicis, de judicio autem in Analyticis, ut vidimus supra, potest insuper de eo quoqve adhuc disputari, num inventio ratione doctrinæ semper prior sit judicio, quod in dispositione versatur. Quamvis enim inventio fortè prior sit in usu artis, non tamen prius semper est docenda, imò interdum necesse est prius tradi dispositionem. Quam rationem docendi Aristoteles ipse in Analyticis bo servavit. In prioribus enim duobus libris, qui de syllogismo sunt, prius explicat dispositionem, & figuras syllogismorum, nempe in prima sectione, deinde demum in secũda sectione invẽtionem medii exponit. In posterioribus autem, qui sunt de demonstratione, in primo libro agit de iis, quæ ad judicium demonstrationis pertinent, in secundo autem de inventione definitionis differit, quæ medium est demonstrationis. Quid? quod in artibus Mechanicis idem cernamus. Qui enim domum ædificant, non possunt commodè parare lapides & ligna ad structuram, quin prius animo concipiant futuram dispositionem, & sic in cæteris. Avicenna eandem sententiam tuetur, sed rationem aliam pro ea urget. Analytica, inquit, id quod necessarium considerat. Dialectica autem circa probabile versatur. Jam autem probabile universalius est necessario. Sed & hæc ratio parum stringit. Non enim ita universalius est probabile necessario, ut animal homine, quoniam non est de essentia necessarii. Nam & multa necessaria non sunt probabilia, & dissimillima utriusque est natura: probabilis enim mensura hominum est opinio, necessarii autem veritas ac rei natura. Quod si autem aliquid necessarii probabile sit, sicuti in II. Prior. Aristoteles axioma illud omnium firmissimum de altera parte contradictionis verâ, probabile vocat, id fit per accidens. Et hâc ratione quidem latius videbitur patere probabile, quàm necessarium, non tamen propterea prius de eo agendum, cum id fortuitò fiat.

276. Quam-

CCLXXVI. Quamvis autem hæ rationes non satis strin-gentes sint, sententiam tamen ipsam non possumus improbare. Diximus supra, Aristotelem aliqualem Dialecticæ notitiam præ-requirere in genuino scriptorum suorum lectore. Ἀπορία enim sive dubitatio rectè se habens viam parat πρὸς εὐπορίαν, III. Met. I. At rectè dubitare docet Dialectica. Quomodo autem ad εὐπο-ρίαν sive certam & omnis dubitationis expertem cognitionem perveniri possit, ostendit Analytica. Jam certum quidem est, quod tam accurata & omnibus numeris absoluta rerum Diale-cticarum cognitio, qualis quidem in Topicis ab Aristotele tradi-tur, in πεπαιδευμένῳ auditore non requiratur, sed sufficiat, si tali notitiâ instructus sit, quæ sufficiat ad benè dubitādum, si, inquam, τὸ ὅτι sciat, etiamsi τὸ διότι nesciat, aut singula ex suis principiis va-leat demonstrare. Interim si aliqualis cognitio rerum Dialecti-carum antecedit notitiam eorum, quorum considerationem A-nalytica sibi vendicat, quæ causa est, cur horum accuratior noti-tia illorum cognitionem ἀκριβεστέραν præcedere sit statuenda? Neq; enim principia Dialecticæ ponuntur in Analyticis, ut Dia-lecticæ πραγματείᾳ subjectæ res sine Analytica intelligi non pos-sint: neqve faciliora, sed longe difficiliora sunt, quæ hîc tradun-tur, quàm quæ in Topicis, & quidem non solum in Analyticis Posterioribus, sed & Prioribus, ut patet de doctrina Modalium, quæ adeo intricata est, ut ipse Theophrastus & Eudemus, potissimi Aristotelis discipuli, eam non satis penetraverint, sed in qvam-plurimis lapsi sint, & à doctrina Magistri sui, licet sine causa, de-sciverint. Quando autem nulla ratio alia subest, cur disciplina al-teri, quantum ad ordinem doctrinæ, præponatur, meritò ea præ-mittitur, qvæ faciliora tradit. Hæc enim via est, qvæ nobis à na-tura est insita, ut à facilioribus & nobis clarioribus ad ea, qvæ mi-nus clara sunt, progrediamur I. Phys. I. Quid multa? Dialecticam, ut rem ante notam ipse Aristoteles in Analyticis præsupponit, veluti lib. I. Prior. c. XXX. §. 4. lib. II. c. XVII. §. 2. Nec est, qvod dicatur, citare eum etiam in Topicis Analyticam, velut IIX.

Top.c.XI.§.14. Non enim citat ut id, quod ante notum erat, sed adhuc discendum, qvod, inquit, ex Analyticis perspici potest. Atque hinc & Diogenes Laërtius Dialecticam præposuit Analyticæ. τὸ λογικὸν, inqvit, οὐχ ὁλομερῶς, ἀλλ' ὡς ὄργανον προσεκριβέμενον. καὶ τούτου δισσοὺς ὑποθέμενος σκοποὺς, τό τε πιθανὸν, καὶ τὸ ἀληθὲς, ἐδιεσάφησε. δυοῖν δὲ πρὸς ἑκάτερον δυνάμεσιν ἐχρήσατο, διαλεκτικῇ μὲν καὶ ῥητορικῇ πρὸς τὸ πιθανόν, ἀναλυτικῇ δὲ καὶ φιλοσοφίᾳ πρὸς τὸ ἀληθὲς, *Logicam instrumentum posuit* (Aristot.) *esse exactissimum. Ejus qvum geminum scopum statuisset, verisimile ac verum, ad utrumq; summis viribus contendit. Ad verisimile enim Oratoria & Dialecticâ, ad verum autem autem Analyticâ & Philosophiâ usus est.* Hæc ille lib. V. in vita Aristotelis. Denique ipse Adrastus Aphrodisæus, ex numero antiquissimorum Expositorum Aristotelis clarissimi nominis, hunc ordinem approbavit, ut statim post librum Categoriarum, qui primus est in organo Aristotelis, Topica ponerentur, qvod testatur Simplicius in Proleg. Categ. ita scribens: Οὐχ ὁ τυχὼν ἀνὴρ ὁ μετὰ τὰς κατηγορίας εὐθὺς τὰ τοπικὰ τάξας βιβλία, ἀλλ' Ἄδραστος ὁ Ἀφροδισιεὺς ἀνὴρ τῶν γνησίων περιπατητικῶν γεγονὼς, ἐν τῷ περὶ τῆς τάξεως τῆς Ἀριστοτέλους φιλοσοφίας μετὰ τὴν τῶν κατηγοριῶν βίβλον τὰ τοπικὰ βούλεται τετάχθαι, *Non de plebeis vir est, qui post categorias statim posuit libros Topicos, sed Adrastus Aphrodisæus, vir è germanis Peripateticis, in libro de ordine Aristoteleæ Philosophiæ, post Categoriarum librum, Topica vult poni.* Initium ergò lectionis, quantum ad libros Logicos, Aristotelis faciendum est à Dialectica, quæ cum Sophisticâ, ut in Prodromo ostensum, unum constituit corpus. Ante quam si quis velit librum Cagoriarum evolvere, facere id potest. Absque dubio enim liber hic eo fine scriptus est, ut esset quasi εἰσαγωγὴ quædam, sive introductio in Libros Topicos. Quâ de causa & à quibusdam jam olim, eodem Simplicio attestante πρὸ τῶν τοπικῶν Ante-Topica inscriptus est. Verùm facile eo libro carere possumus, cum & de Categoriis ipsis, & aliis, quæ in isto libro disputantur, quantum quidem Dialecticam de iis nosse satis, in Topicis ab ipso A-

risto-

ristotele sit actum, velut de categoriis ipsis lib. I. Top. cap. IX. & de oppositis passim.

CCLXXVII. Post Logicam non pauci existimant, & existimarunt alii jam olim, Physicæ sciẽtias sive Philosophiam contemplativam discendam esse. Hanc enim activæ, quam & moralem dicunt, præmittendam esse censent ob sequentes rationes. Primò, inquiunt, cum duæ sint facultates in animâ hominis cognoscens & appetens, illa autem hanc dirigat, meritò illa præcedit: at illam perficit Philosophia Theoretica, hanc autem Practica. Jure ergò illa præcedere videtur. Deinde moralis Philosophia sumit principia à naturali, ut videre est ex I. Ethic. c. ult. ubi animæ doctrina assumitur ad declarandum ea, quæ ad Philosophiam pertinent moralem. At animæ doctrina ad Physicam spectat. Deniqve I. Ethic. c. I. [III] disertè dicit ipse Philosophus, qvod juvenis idoneus moralis Philosophiæ auditor esse non possit, qui ergò primo loco illam docet? Stoici autem post Logicam morali Philosophiæ primum adjudicarunt locum, ut testatur Sextus Empiricus l. c. his verbis: οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς ἀρχὴν μὲν φασὶ τὰ λογικά. δευτερεύειν δὲ τὰ ἠθικά. τελευταῖα δὲ τετάχθαι τὰ φυσικά. πρῶτον γὰρ δεῖν κατησφαλίσθαι τὸν νοῦν εἰς δυσέκκρουστον τῶν παραδιδομένων φυλακήν· ὀχυρωτικὸν δὲ εἶναι τῆς διανοίας τὸν διαλεκτικὸν τόπον· δεύτερον δὲ, ὑπογράφειν τὴν ἠθικὴν θεωρίαν πρὸς βελτίωσιν τῶν ἠθῶν· ἀκίνδυνος γὰρ ἡ παραδοχὴ ταύτης, ἐπὶ προϋποκειμένῃ τῇ λογικῇ δυνάμει· τελευταίαν δὲ ἐπάγειν τὴν φυσικὴν θεωρίαν· θεωτέρα γὰρ ἐστὶ καὶ βαθυτέρας δεῖται τῆς ἐπιστάσεως, *Stoici dicunt primum locum tenere Logica: secundum autem ea, quæ pertinent ad mores: postremo autem collocata esse naturalia. Nam primum oportet mentem esse munitam ad ea, quæ traduntur ita custodienda, ut difficulter excuti possint: locum autem Dialecticum esse mentis firmamentum, secundo autem loco discutere morum contemplationem ad eos corrigendos, ea enim tutò suscipitur, cum prius subjecta fuerit vis Logica. Inducere autem postremum naturæ contemplationem: est enim divinior, & profundiori opus habet attentione* Quibus verbis duas indicat rationes, ob

 quas

quas civilem Philosophiam priori loco docendam & discendam esse Stoici existimarint. Primo, qvia à pravis affectibus sive perturbationibus liberum, seu qvod idem est, bonis moribus oportet præditum esse, qvi arcana sapientiæ scrutari penes se constitutũ habet. Sedendo enim animus disponitur ad scientiam, ut docet Aristoteles ipse in VII. Phys. text. 20: qui & sectione tertiâ Problematum probl. ult. scientiam ἐπιστήμην dictam esse putat, ὅ τι τὴν ψυχὴν ἵστησι, quod animam sedet. At qvomodo sedandi & & componendi sint perturbationes animi, Philosophia moralis docet. Deinde, quia facilior cognitu est Philosophia moralis. Principium autem doctrinæ inde faciendum est, unde quis facilius discat, VII. Met. IV. Ex quibus ut prima ratio parum roboris habet, sicut vidimus supra, ita posterior satis esse posset ad hanc sententiam alicui persuadendam. Certum enim est, qvod abstrusa magis sint, quæ in Philosophia Theoretica, quàm qvæ in Practica disputantur, à facilioribus autem ad difficiliora progrediendum esse in disciplinis paulò ante etiam monitum est. Alii tamen adhuc alias proferunt rationes. Necessaria, inquiunt, primum tradi debere communi omnium consensu liquet. At Practica Philosophia propter necessitatem est inventa. Neq; enim humana societas aut coalescere aut conservari potuit sine gubernatione legum, sine usu deniqve virtutum. Unde & Aristoteles I. Met. I. *Inventis* jam & *institutis scientiis, qvæ ad necessitates vel voluptates vitæ humanæ pertinerent*, *demum speculativas* ait esse *inventas*. Verisimile autem est etiamnum esse eundem in scientiis operâ Magistrorum addiscendis tenendum ordinem, qui observatus ante hac fuit in inveniendis. Porrò, finem Philosophiæ moralis dirigi in finem Theoreticæ manifestũ est ex iis, quæ VI. Eth. c. ult. & VII. Eud. c. ult. prolixè disputantur. Tendit enim Philosophia moralis ad eundẽ finem cum prudentiâ, contemplativæ autem Philosophiæ finis ultimus idem est cum fine sapientiæ. Jam autem finis prudentiæ manifestè directus est ad finem sapientiæ. Hanc enim ob causam I. M. M.

c. ult.

c. ult. *prudentia* dicitur *velut atriensis* aliquis & *prodromus sapientiæ esse*. *Atriensis* qvidem, quoniam, ut ille omnia domi gubernans otium dominio parat, ne ille rerum domesticarum curâ impeditus à Reipubl. administratione abstrahatur: sic prudentia affectiones cohibendo ac moderando illud præstat, ut mens sapientiæ tanquam primario ac perfectissimo suo munere operam dare possit. *Prodromus* autem, qvoniam ipsa est, qvæ de rebus homini bonis deliberans, nobis nuntiat, aliam post se virginem formosissimam, id est sapientiam, quam summo animi ardore amplecti debeamus, utque illi nos dedamus, hortatur. Quodsi autem finis Practicæ Philosophiæ dirigitur in finem Philosophiæ Theoreticæ, etiam ipsa Practica Philosophia in Theoreticam erit directa, & consequenter istius cognitio erit præmittenda. Unde & Aristoteles in tractatione de virtutibus, morales seu Ethicas virtutes anteposuit dianoëticis h. e. practicas speculativis, felicitatem etiam activam felicitati contemplativæ, hujusq; uberiorem considerationem alii scientiæ, quæ hanc sequitur, relinquit, quæ alia non est à Philosophia prima, ad Physicas i. e. contemplativas extra dubium referenda. Deniqve, qvod dignitate prius est, id ordine est posterius, ut ait Philosophus. Philosophia autem Theoretica dignitate prior est Practicâ, quia & per se est expetenda: & in rebus nobilioribus versatur, divinis scilicet, cum Philosophia activa περὶ τὰ ἀνθρώπινα, circa humanas res, & hominem magis similem Deo reddit, quàm altera Philosophia: denique & certitudinem habet majorem, & si qvæ sunt id genus aliæ rationes pro Philosophiæ Theoreticæ prærogativa militantes, quas ex III. Topic. & X. Ethic. colligere cuivis est in proclivi. Ordine ergò hæc erit posterior. Verum hæc ratio fortassis itidem nō admodum stringit, cum ne in eadem quidem principium, quo nititur, obtineat disciplina, uti liquet ex iis, quæ de ordine in disciplinis observando suo diximus loco. Ea a. quæ hāc antecedit, firma est, propositum satis, ut diximus, confirmat.

CCLXXVIII. Neq; destruunt illud rationes in oppositũ adductæ. Nam quoad primum, vix bene dicitur, qvod Philosophia Practica facultatem perficiat appetentem. Perfectio enim appetitus in eo consistit, ut rectæ rationi obediat & morem gerat: at id non habet à Philosophia, sed à virtute morali, quæ est in appetitu, velut subjecto I. Ethic. c. ult. cum Philosophia sit in intellectu, quem solum propriè perficit, licet non omnem, non enim deliberativum, quod præstant ars & prudentia, sed ἐπιστημονικὸν solùm seu scientificum. Quoniam tamen aliquid confert Philosophia moralis ad id, virtutibus imbuatur appetitus, ostendẽdo, in qvo natura virtutum moralium sita sit, & quomodo eæ acquirantur, non multum repugnavero, si iis libeat hanc ob causam Philosophiam moralem hoc elogio decorare, quod quadantenus appetitum quoqve perficiat, etsi, impropria, ut dixi, sit locutio, inde autem hoc sequi quod Philosophia Theoretica præmittenda sit Philosophiæ activæ, nego. Quanquam enim necessum sit facultatem appetentem, in quâ virtutes morales resident, dirigi à cognoscente, quæ bonum à noxio & inutili separatum illi proponat & ad persequendum illud accendat & excitet, tamen ad id requiritur necessario cognitio tam accurata & distincta, qualis est quæ Philosophiæ propria existit: sed sufficit rudis aliqua & tenuis notitia, qvam Simplicius Proëmio in Physicam auscultationem μαθηχητικὴν vocat, & quidem non istarum rerum, quarum considerationem sibi vendicat Philosophia Theoretica, sed earum potius, quæ Philosophiæ Practicæ sunt subjectæ. Neq; enim omnis intellectus movet appetitum ad agendum, sed πρακτικὸς, VI. Ethic. c. II. III. de An. c. X. solidam autem & accuratam rerum tam contemplativarum, quàm activarum cognitionem, qualis cognitio Philosophica, necessarium ante omnia est, ut præcedat cultura facultatis appetentis, ne præposteri & inordinati ejus motus mentem distrahant, eique veritatis præripiant lumen. ὁ τῶν προκειμένων δογμάτων ἀκροατὴς, ταῖς μὲν ἠθικαῖς ἀρεταῖς κεκοσμημένος ὑποκείσθω, καὶ

πάν-

πάντα τὰ ἄλογα καὶ ἀνάρμοστα τῆς ψυχῆς κινήματα, τῷ τῆς ἀρετῆς λόγῳ καταδησάμενος, καὶ πρὸς ἓν τὸ τῆς φρονήσεως εἶδος ἁρμόσας· Μὴ καθαρῷ γὰρ [φησὶν ὁ Σωκράτης] καθαροῦ ἐφάπτεσθαι μὴ οὐ θεμιτὸν ᾖ. πᾶς γε μὴν ὁ κακὸς, πάντως ἀκάθαρτος· καθαρὸς δὲ, ὁ ἐναντίος, ait Proclus lib.I.Theol.Platon. c. II. de rebus divinis cumprimis agens, quarum consideratio ad contemplativas ſcientias pertinet, *Dogmatum, quæ in Philoſophia proponuntur, auditor moralibus virtutibus ornatus pro fundamento ponendus eſt, & qui omnes illiberales & inconcinnos animi motus ipsâ virtutis ratione colligarit atq; conſtrinxerit, & ad unum prudentiæ genus accommodarit. Non puro enim, inquit Socrates, purum attingere nefas eſt. Omnis autem malus prorſus eſt impurus. Purus verò cenſetur ille, qui contrarius eſt malo.* Cultura ergo facultatis appetentis non ſequatur, ſed præcedat, ſecus ac illi judicabant, neceſſe eſt, ſiquidem per Philoſophiam etiam contemplativam excoli debeat intellectus. Lubricum ergò primum ipſorum fundamentum eſt, ex quo oſtendere nitebantur, Philoſophiam Practicam ordine doctrinæ eſſe poſteriorem contemplativâ. Sed nec validius eſt alterum. Quanquam enim Ariſtoteles interdum ad pleniorem eorum, quæ Philoſophia moralis tradit, perceptionem, deſumat aliqua ex Philoſophia Theoretica, velut ex doctrina de Anima, non tamen ideo hæc ordine doctrinæ prior eſt. Scientiæ enim continuo nexû inter ſe cohærent, & una alteri fert ſuppetias. Quod Pythagoras fortè per catenam illam auream, quam ex cœlo in terram protendi fingebat, voluit indicare. Et quem latet, quod Ariſtoteles nonnunquam etiam in Philoſophia contemplativa aliqua ex morali repetat, veluti ex Ethicis lib.I.Met.c.I. Lib.IX. c.IIX. & alibi, & tamen juxta illos Philoſophia contemplativa morali doctrinæ ordine eſt prior. Deniqve, non ſtatim ex Philoſophia naturali depromptum eſſe exiſtimandum eſt, ſi alicubi de re naturali quid dicatur. Multa enim de naturâ dicuntur etiam ἐν τοῖς λόγοις ἐξωτερικοῖς, unde petiit Ariſtoteles, quæ de anima tradit in I. Ethic. c.ult. ubi ſupponit, duas eſſe partes animi noſtri, unam rationis

compotem, alteram verò expertem, quod partitio illa communi usu trita esset, cum aliàs ipse, ut jam aliquoties monitum, in libris de anima, eam, utpote veritati minus congruam, refellat. Non enim δι' ἀκριβείας de partibus animæ ibi agere propositum ei erat, sed quantum ad actionem satis esse putabat. Deniq; nec tertium satis stringens est. Neque enim simpliciter Aristoteles juvenem à disciplina morali arcet, sed hoc solùm dicit, non esse eum ἀκροατὴν οἰκεῖον, h. e. talem auditorem, qui planè & perfectè queat de iis, quæ ibi traduntur, judicare, atque omnibus insuper, quæ illic requiruntur ex asse, satis facere queat. Cujus rationem hanc ait, quod juvenis imperitus adhuc sit earum rerum, quæ in vita contingunt hominibus, Ethici autem libri nihil disputent aliud, quàm vitam & facta humana. Unde & alibi moralium & civilium rerum scientiam per experientiam acquiri, & ex defectu hujus in juvenes prudentiam propriè non cadere dicit, nempe VI. Ethic. c. IX. [IIX.] At ibidem Physicam quoqve & sapientiam experientiâ suffultas esse dicit, & juvenes similiter, quod tantâ, quanta ad istas facultates requiritur, experientiâ non sint instructi, Physicos & sapientes fieri posse negat. Eodem ergò jure, quo à Politica rejiciuntur juvenes, rejicientur quoqve ab auditione Physicæ & sapientiæ, quæ quidem potissimæ sunt inter disciplinas contemplativas. Mathematicas enim inter προπαιδείας censeri jam pridem dictum est. Ut ergò in lectione Physicorum Aristotelis occupatum tam diu fidem ei adhiberi oportet, inprimis, quantum ad principia spectat, donec per experientiam ipsemet ea ita se habere cognoscat. Δεῖ γὰρ πιστεύειν τὸν μανθάνοντα, *discentem* enim *credere oportet*, ait ipse lib. Sophist. c. II: ita & auditori Ethices faciendum est, tamdiu is credere debet, quæ ibi proponuntur, donec experientiæ oculus ei aperiatur, cujus beneficio intelligere incipiat, quæ ante fide solùm amplexus fuit, atqve hoc ipso ex auditore simplici fiat auditor οἰκεῖος καὶ πεπαιδευμένος, qui de omnibus ibi propositis valeat judicare.

CCLXXIX. Consentimus itaq; hac in parte Stoicis, qvod post Logicam Philosophia Practica sit addiscenda. Cæterum cum & hæc duas continet disciplinas, Politicam & Oeconomicam, (Ethici enim libri ad Politicam pertinent & primam ejus partem faciunt, ut supra est ostensum) nova quæstio oritur de ordine Politicorum & Oeconomicorum librorum. Sunt enim, qvi Oeconomicam doctrinam civilem præcedere debere, adeoqve Politicis libris anteponendam esse, censent, qvod domus simplicior sit civitate, & naturali operatione eâ prior. Unde & I. Oecon. cap. I. τὴν οἰκονομικὴν disertè dicit generatione Politicâ priorem esse. Verum hoc fundamentum lubricum est. Licet enim naturaliter domus sit prior civitate, qvoad constitutionem & naturæ ordinem, quæ ex imperfectis constituit perfecta, non tamen prius docendum est, qvomodo domus instituenda sit, quam qvomodo civitas, qvia privatæ institutiones domus & familiæ pendent à communi institutione totius civitatis. Filii enim educandi sunt curâ & institutione publicâ, non autem privata educatione, quæ sit à publico ritu civitatis aliena. Id qvod optima fit ratione: Rationi enim conformius est, partes seqvi institutionem totius, qvam totum se accommodare institutioni partium. *Cum omnis domus*, inquit Aristoteles in I. Polit. c. XIII, *sit civitatis pars, liberi autem & uxores sint partes domus, partis autem virtus ad virtutem totius sit dirigenda, necessarium est liberos & uxores instituere respiciendo ad Rempublicam.* Unde & non una ubiqve familiam educandi ratio esse potest, sed pro variis rerumpubl. & civitatum formis variat & ipsa. Quod passim idem inculcat, cumprimis V. Polit. IX. & IIX. Polit. c. I. Alibi, nempe X. Ethic. c. ult. educationem & exercitationes legibus ordinatas esse debere docet. *A juvene*, inqvit, *institutionem ad virtutem directam conseqvi difficile est, nisi enutritus sit talibus legibus. Temperanter enim vivere & toleranter, non est jucundum vulgo, præsertim juvenibus: itaq; educationem institutionemq; legibus esse descriptam necesse est.* Intellexerunt id Persæ, quos Xe-

nophon in Institutione Cyri scribit, principem operam in eo locasse, ut id efficerent in educatione liberorũ, quod bono publico maximè conducere: Neq; enim inde fecisse initium, unde quam plurimis in civitatibus leges exordirentur, quæ cuivis educandi liberos suos, qua ipsi visum fuerit, ratione facerent potestatem. Intellexerunt & prisci Athenienses, de quibus Isocrates in Areopagitico: *Facilè intelligitur si benè & præclarè ordinarunt Remp. suam, eos etiam in quotidiana vitæ ratione honestatis ac legum perpetuo fuisse studiosos. Aliter enim fieri non potest, quin qui summa rerum fundamenta ritè jecerunt, etiam singulas partes quasi rectè exædificent.* Quodsi universa institutio & familiæ pariter & singulorum ex legibus pendet, hisqve consentanea esse debet, necesse est, primo doceantur, quæ ad leges pertinent. At ea in libris Politicis traduntur. Et hæc causa est, cur Oeconomica subjecta esse dicatur Politicæ, tanquam Architectonicæ I. Ethic. I. quod hæc illi non minus, atq; aliis facultatibus, præscribat & sanciat, quid agendum sit, & à quibus abstinendum. Quod autem I. Oec. Oeconomica dicitur generatione prior esse Politica, id non intelligendum est de ipsa disciplina Oeconomica & Politica, sed potius de administratione. Notum enim est, quod vocabula, quæ apud Græcos in κὴ desinunt, ut πρακτικὴ, ἠθικὴ, δεσποτικὴ, χρηματιστικὴ, & similia, utrâqve significatione soleant gaudere. De administratione autem rerum domesticarum verissimum est, quod generatione prior sit, quàm administratio civitatis. Si enim domus prius efficitur, quàm civitas, ut docet Aristoteles lib. I. Polit. c. II. necesse est, ut ratio etiam domesticá prius constituatur. Verum non semper idem ordo observandus est in doctrinæ cursu, qui cernitur in praxi. Finis generatione ultimus est, & tamen in disciplinis practicis ab eo sumitur initium doctrinæ. Similiter totum generatione postremum est, & tamen de toto in scientiis prius agitur, quàm de partibus. Accedit, quod ratio illa administrandi rem domesticam, quam Politicâ priorem diximus, rudis adhuc sit & imperfecta, atque perfectionem suam

demum

demum consequatur, cùm legibus reipublicæ conformatur & ad civium disponitur utilitatem. Ex quo hoc fortassis inferri posset, παχυλῶς & rudi minervâ de domo prius agendum esse in Philosophiâ Practicâ, quàm de civitate, id quod præstitit Aristoteles in I. Polit. c. II. & seq. At accuratior illa domus consideratio, quæ Oeconomiæ propria est, non ideò prior erit Politicâ ipsâ.

CCLXXX. Ab Ethicis ergò, utpote principia Politicæ continentibus, in Philosophia Practica progrediendum est ad Politicam, ab his autem ad Oeconomicam. Quibus demum subjungendos esse existimamus libros de Rhetoricâ & Poëtica, quæ & ipsæ Politicæ sunt subjectæ. Patet hoc ex fine utriusque facultatis. Utriusqve enim finis est, ita sententiam auditoribus persuadere, ut eam non solùm tanquam veram amplectantur, sed & in agendo eam sequantur, sive exequantur id, quod ipsis proponitur agendum. At hoc ipsum quoqve intendit Politicus, qui Remp. gubernat. Nam & hic pro virili laborat, ut omnes, qui ad civitatem pertinent, agant id, quod unumquemqve decet & Reipubl. utile existit. Ipse ergò ambabus prædictis facultatibus, tanquam instrumentis, utitur, ut civibus suis & multitudini utilia persuadeat & honesta. Et civibus quidem ut persuadeat, Oratoriam adhibet etiam ipse per seipsum loqvens. *Qui enim rempublicam gerit, non gubernatrice solùm mente præditus esse debet, sed in seipso habere facultatem orationis ad persvadendum & alliciendum animos civium, ne alienæ opus habeat voce, neve id usu eveniat, quod Iphicrati, qui cum Aristophon eum oratione premeret, adversarium histrionem meliorem, suam autem causam potiorem esse dixit, neve sæpius uti cogatur Euripidis istis: Utinà expers esset vocis humanum genus; & cur non, malum, data vox rebus mortalium est, nullo diserti ut essent pretio viri*, qvæ omnia Plutarchi verba sunt in præceptis Reip. gerendæ c. XII. Multitudini autem ut eadem persvadeat, Poëticam, quam per alios solum exercet, in subsidium vocat. Ea enim inventa est propter homines rudes & crassi ingenii, qui nullum genus ratiocinii, qvod syllogismo fit, percipe-

 re pos-

re possunt, exemplis tamen moveri possunt, si ea debitè ipsis proponantur. Horum igitur gratiâ Poëtica inventa est, quæ lenocinio carminum aures vulgarium hominum demulcet, humanasqve rationes sermone ad rythmum composito imitatur, & qvidem cum rectas, tum pravas, licet non utrasqve uno fine. Rectas enim imitatur, ut eas sequendas esse doceat, quod fecit Homerus in sua Odyssea, ubi imitatur gesta, prudentiam & tolerantiam Ulyssis, ut alii vestigiis ejus insisterent: pravas autem imitatur, ut dedecus illarum, detrimenta item & ærumnas, quæ insequi eas solent, ob oculos ponat & auditores ab iis deterreat. Quod idem Homerus in Iliade facit, ubi imitatur iram Achillis, ostendens, quot mala illa inde non solùm in omnes Græcos, verum etiam in ipsum Achillem redundarint, quippe qui amicissimum sibi Patroclum indignationi frena laxans amiserit. Unde & pueri olim in Gtæciæ civitatibus primò omnium in Poësi instituebantur, ὀυ ψυχαγωγίας χάριν δήπουθεν ψιλῆς, ἀλλὰ σωφρονισμοῦ, uti Strabo ait Lib. I. Geographiæ, non nudæ oblectationis causâ, sed ut modestiam discerent. Est enim Poëtica, ut ibidem Strabo loquitur, ὡς πρώτη φιλοσοφία εἰσάγουσα εἰς τὸν βίον ἡμᾶς ἐκ νέων, καὶ διδάσκουσα ἤθη καὶ πάθη, καὶ πράξεις, μεθ' ἡδονῆς, *velut prima quædam Philosophia, vitæ à prima ætate formatrix, quæ morum, affectuum, actionumq́; rationes nos, voluptate comitante, doceat.* Unde & Cicero non dubitat Oratoriam partem Politices dicere, lib. 1. de Inventione. Sic enim ibi loquitur: *Civilis rationis* (ita Politicam vocat] *magna & ampla pars est artificiosa eloquentia, quam Rhetoricam vocant. Nam neq; cum iis sentimus, qui civilem scientiam eloquentiâ non putant indigere, & ab iis, qui eam putant omnem Rhetoris vi & artificio contineri, magnopere dissentimus. Quare hanc Oratoriam facultatem in eo genere ponemus, ut eam civilis scientiæ partem esse dicamus.* Stoicis enim non inusitatum est, instrumenta quibus facultas aliqua ad obtinendum finem suum utitur, partem facultatis istius dicere. Veluti Logicam & instrumentum & partem dicunt Philosophiæ. Quicquid sit, id certum

est

eſt, Rhetoricam, etſi ad alia qvoq; transferri poſſit, πρώτως tamen καὶ κυρίως in rebus civilibus eſſe occupatam, quo ipſo à Dialecti-ca eam diſtingvi docet Alex. in I. Topic. his verbis: Ἡ ῥητορικὴ μὴ περὶ πᾶσαν ὕλην ὁμοίως ὥσπερ τῇ διαλεκτικῇ· περὶ γὰρ τὴν πολιτικὴν μᾶλλον ὁ ῥήτωρ, *Rhetorica non ſimiliter circa omnem materiam verſatur ac Dialectica: circa civilem enim magis verſatur Rhetor.* Sed & ſatis idem liquet ex tribus illis cauſarum generibus, in quibus facul-tatem ſuam inprimis exercet Rhetor, judiciali inquam, delibe-rativo, & demonſtrativo. Singula enim ad res publicas ſpectant, & hunc præfixum ſcopum habent, ut benè ſit civitati. Judiciale quidem genus juſtum, demonſtrativum honeſtum, deliberati-vum autem utile in civitate reſpicit, ut docet Ariſtoteles ipſe in I. Rhet. c. III. Ut taceamus, neminem eſſe antiquorum, qui Rhe-torum orationes non vocet λόγους πολιτικοὺς, *ſermones civiles*, quod Plato etiam & alii ſunt ſecuti. Neque ad alium ſcopum Poëtica per ſe collimat. Quòd ſi autem aliquis facultatibus his abutatur in perniciem civitatis, id fit per accidens. Nihil enim quicquam tam bonum eſt, quo quis abuti non poſſit, præterquam ſola virtus, I. Rhet. I.

CCLXXXI. Sed dicat hic quiſpiam: Quomodo Rheto-rica & Poëtica poſtponuntur Politicæ, ſi inſtrumenta ejus ſunt & non præmittuntur potius, cum Dialectica & Analytica, quæ ob doctrinæ ordinem Philoſophiæ hanc ipſam ob cauſam præ-mittantur; quod inſtrumenta ſuppeditent, quibus veritas in o-mni parte Philoſophiæ aut certò aſſeri, aut animus ad eam poſſit præparari. Verum non difficile eſt ſolvere hunc nodum. Paulò enim aliter cum his facultatibus, quàm cum Analytica & Diale-cticâ, eſt comparatum. Nempe illæ non derivantur ex aliis diſci-plinis, ſed in genere ſolùm oſtendunt, quomodo veritas in aliis ſcientiis ſit inveſtiganda, aut jam inveſtigata methodo ſcientifi-câ tradenda, quod facit Analytica: aut qvomodo *per dubitatio-nem* animus ad eam ſit præparandus. Πρὸς γὰρ τὴν γνῶσιν καὶ τὴν κατὰ φι-λοσοφίαν φρόνησιν, τὸ δύνασθαι συνορᾶν καὶ συνεωρακέναι τὰ ἀφ᾽ ἑκατέρας συμβαι-

συμβαίνοντα τῆς ὑποθέσεως, οὐ μικρὸν ὄργανον, inquit Ariſtoteles IIX. Top.c.XIV.§.2.h.e.*Ad cognitionem ac Philoſophicam prudentiam, non eſt exiguum inſtrumentum, poſſe perſpicere & jam perſpexiſſe, quid ex utraq; hypotheſi eveniat.* In eo autem Dialectica eſt occupata. At Rhetoricæ principia, ex qvibus perſuadet, velut rivi ex morali ſeu civili ſapientia deducuntur. Quâ de cauſa compoſita eſſe dicitur ἐκ τῆς περὶ τὰ ἤθη πολιτικῆς I.Rhet.c.IV.& cap.II. item παραφυὲς, germen, eſſe τῆς περὶ τὰ ἤθη πραγματείας, qvam juſtum ſit Politicam ſive civilem nuncupare. Scilicet comparat eam Philoſophus virgultis ſive ſtolonibus arborum. [ita enim Latinè dicuntur ramuli ad arborem ſuppullulantes, qui Græcè παραφυῆ, aut etiam παραφυάδες, item παραβλασταὶ & παραβλαστήματα dicuntur.] Ut ergò ramuli hi ex arbore pullulant, ſic ex Politica Rhetoricam pullulaſcere dicit. At arbor ſine dubio prior ſuis pullis eſt, ſive ſtolonibus, & ab his ſupponitur. Satis apertè ergò hoc ipſo Ariſtoteles innuit, Politicam Oratoriam antecedere debere. Nam & hac ipſa de cauſa accidens παραφυὲς ſubſtantiæ dicit I.Ethic. c. IV.(6) qvod ſubſtantia accidente prior ſit, & hoc illam ſupponat. In ſpecie a. ab Oratore, conſilium daturo, exigit, ut vectigalium atqve redituum publicorum, belli item & pacis, porro cuſtodia regionis, eorumq; quæ importantur & exportantur, ſed & conſtitutionis legum, non ſolum ex uſu domeſtico, ſed ex hiſtoricis præterea notitiam ſibi compararit, & cujusqve Reipublicæ fines ac mores probè perſpexerit I.Rhet.IV. & IIX. At ubi de his, niſi in Politicis agitur? Unde & Politicos libros in Rhetoricis citat, & qvidem ita ut non obſcurè innuat, ſe eos in Rhetoricis præſupponere. Ἠκρίβωται, inqvit, ἐν τοῖς Πολιτικοῖς περὶ τούτων, *exactius enim de his tractatum eſt in Politicis*, inquit I. Rhet. cap. IIX. Qvod de Rhetorica autem dixi, idem & de Poëtica dicendum. Ut enim Rhetorica cives inſtituit: ita Poëtica inſtitutio eſt pueris, adoleſcentibus, populo univerſo accommodata, ut monitum jam ante. De hac autem non minus atqve civium inſtitutione Politicum ſollicitum eſſe oportet. Unde

cum

cum in fine IIX. Polit. pueros & adolescentes instituens, de Musicâ loqvitur, sic ait: *Dicimus non unius Utilitatis gratia oportere Musicâ uti, sed plurium.* Etenim & παιδείας & καθάρσεως purgationis gratia. Addit: τί δὲ λέγομεν τὴν κάθαρσιν, νῦν μὲν ἁπλῶς, πάλιν δὲ ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς, ἐροῦμεν σαφέστερον. *Quid verò purgationem dicamus, nunc quidem simpliciter delineatum est, rursus verò in Poetica de eo dicemus clarius.*

CCLXXXII. Sed quæ ex his duabus Disciplinis, Rhetoricâ inquam & Poëtica, si inter se comparentur, est præmittenda? Nos existimamus à Poëticâ ad Rhetoricam esse progrediendum. Faciliora enim sunt, qvæ ad institutionem vulgi ac puerorum pertinent, quàm quæ ad institutionem civium, qvod illi exemplis ac fabulis moveantur, hi autem jam desiderent rationes. Unde & passim à Rhetore Aristoteles requirit, ut sit ἐνθυμηματικὸς. At longè facilius est exemplis & fabulis uti, quam enthymematibus, qvod & docetur Sect. X. problem. I. q. III. Neq; dubium est, quin Aristoteles Poëticam arte Rhetoricam conscripserit, & velut jam cognitam præsupposuerit, in illâ διώρισται δὲ περὶ γελοίων χωρὶς ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς, inqvit lib. I. Rhet. XI, *Determinatum est de ridiculis seorsim in iis, quæ de Poëtica.* Et Lib. III. c. I. Περὶ ἐκείνης, ait, εἴρηται, ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς. *De illa*, λέξεις τῆς ποιήσεως *dictum est in Poëticis.* Porro c. II. postqvam dixisset, *Ex nominibus & verbis elocutionem perspicuam propriam efficere nomina propria.* Addit: *Humilem autem non sed ornatum efficere alia nomina* ὅσα εἴρηται ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς, *qvæcunq; dicta sunt Poëticis.* Et paulo post: τῶν δ' ὀνομάτων τοσαῦτ' ἐχόντων εἴδη ὅσα τε θεώρηται ἐν τοῖς περὶ ποιήσεως, *Nominum verò habentium tot species, qvot speculati sumus in iis, quæ de Poëtica.* Et iterum aliquibus interjectis: *Quod metaphoræ plurimum possint & in Poesi & in orationibus, diximus in iis quæ de Poetica scripsimus.* Deniqve cap. ult. repetit qvod loc. paulò ante adducto dixerat: εἴρηται πόσα εἴδη γελοίων ἐστὶ ἐν τοῖς περὶ ποιητικοῖς. *Quot sint species ridiculorum dictum est in iis, quæ sunt de Poëtica.* Et tantum de Philosophiâ Activâ.

CCLXXXIII. Supereſt ut dicamus & de contemplativa, cujus duæ numerantur partes, *Phyſiologia* & *Philoſophia prima*, quam hodiè Metaphyſicam dicunt. Utra harum prægredi alteram debeat extra controverſiam poſitum non eſt. Sunt enim, qui Metaphyſicæ primum locum aſſignent, partim qvod ea prima hinc inde *Philoſopho* ipſi dicatur, partim quod principia omnium artium confirmet, & terminos communes, qvibus omnes iſtæ utuntur explicet, velut actus, potentiæ, per ſe, per accidens, contrariorum, prioris, totius, partis &c. Verum jam ſupra monuimus, quam plurima eſſe in Metaphyſicis, qvæ absqve *Phyſicâ* cognoſci non poſſint, veluti quæ de ſubſtantia materiali, itemque iis quæ fiunt, VII, IIX, IX, qvin & de ipſa prima ſeu immobili ſubſtantia diſputantur. Quem enim latet prius cognoſci oportere quod res ſit, qvam qvid ſit. Quomodo inquit Ariſtoteles II. *Poſt.* VII. §. 2. cognoſcit quiſpiam quid res ſit niſi cognoverit ante quod ſit. Et §. 4. Impoſſibile eſt eum cognoſcere τί ἐστι, qui ignorat εἰ ἐστιν. Jam *Phyſica* demonſtrat, qvod ſit ſubſtantia quædam prima ſive immobilis. Ex eâ enim repetit Ariſtoteles, quæ hac de re in XII. Metaph. proponit, ut videre eſt ex collocatione hujus libri cum VII. & IIX. *Phyſicorum*. At Metaphyſica oſtendit quid ſit prima ſubſtantia, & ex eo paſſim dicitur, ſcientia τοῦ τί ἐστιν, veluti VI. Met. c. I. Deinde *Phyſica* omnia cum materia ſua conjuncta & ſenſu vel imaginatione percipi poſſunt. At Metaphyſica de cauſis primis agit quæ maximè univerſales ſunt & à ſenſibus remotiſſimæ. Talia autem quæ à ſenſibus maximè remota ſunt, etſi natura ſua ſint γνωριμώτερα, nobis tamen ſunt ignotiora I. *Poſt.* c. II. & omnium difficillima I. Met. II. II. Met. c. I. A facilioribus autem, ut ſæpius jam inculcavimus, ad difficiliora eſt progrediendum. Et hinc factum eſt, qvod itidem jam ſupra monuimus, ut diſciplina hæc, quæ cauſas primas conſiderat, dicta ſit Metaphyſica, quod naturalia prius tenenda ſint, antequam ad primarum cauſarum explicationes accedamus. Quamvis enim apud Ariſtotelem ap-

pellatio

pellatio hæc non reperiatur, uſu tamen non ſolum trita, ſed & antiquiſſima eſt, & vel à Theophraſto, cujus hoc indice opus extat, vel vetuſtiſſimis Ariſtotelis interpretibus primum uſurpata. Nam & apud Plutarchum in Alexandro, & apud Alexandrũ Aphrodiſæum in II. Met. c. III. & III. cap. I, denique & Philoponum, ſi tamen is verus Philoponus eſt, in principio Commentariorum in hos libros extat. Rationem autem appellationis eſſe eam, quam diximus, ut alios taceamus, confirmat Alexander modo laudatus in I. Met. ita ſcribens: *Scientia hæc Metaphyſica ex ordine inſcribitur, qvoniam poſterior eſt, quoad nos, naturali doctrina.* Conſentit Themiſtius παρα φ. in I. Phyſicorum, ubi & ipſe Philoſophiam primam Metaphyſicam dictam eſſe ſcribit, qvod ea, quæ ibi traduntur, poſt naturalium rerum tractationem inſtituta & ordinata eſſe videantur. Alii tamen malunt ita nuncupatam eſſe, qvod de trans- ſive ſupernaturalibus tractet, quæ Phyſicas res præſtantiâ ſuâ longè antecellat & longiſſimis intervallis poſt ſe relinquat. Μετὰ enim idem interdum ſignificare, quod trans, etiam in compoſitione, notius eſt, quàm ut hic indicare ſit neceſſe. Ita μετάληψις dicitur transpoſitio, μετάβασις tranſitus &c. Atq; huc reſpexiſſe videtur Ammonius præfat. in Lib. Categ. his verbis: Θεολογικὰ μὲν εἰσὶ τὰ μετὰ φυσικὴν πραγματείαν αὐτῷ γεγραμμένα ἅπερ ἔπω μετὰ τὰ φυσικὰ προσηγόρευσε, τὰ γὰρ ὑπὲρ φύσιν πάντα θεολογίας διδάσκειν ἴδιον, *Theologici libri ſunt de prima Philoſophiâ, quos Metaphyſica nominavit, ſiquidem Theologiæ proprium eſt docere omnia, quæ ſunt ſupra naturam.* Verum ad idem res recidit. Quæ enim ſupra naturam ſunt, niſi ſubſtantiæ immobiles, quas & abſtractas vocant? At hæ non poſſunt exactè cognoſci, niſi anteceſſerit cognitio motus. Hujus enim reſolutio demum facit πρὸς τὴν μέθοδον τὴν περὶ τῆς ἀρχῆς τῆς πρώτης, ut Ariſtoteles dicit in principio IIX. Phyſ. Et Averroes in XII. Met. Comm. V: *Impoſſibile eſt,* inqvit, *declarare aliquid abſtractum eſſe, niſi ex motu, & omnes viæ, quæ putantur ducere ad primum motorem, præter viam motus,*

 ſunt

sunt insufficientes. At motus res naturalis est, de quo in Physicis ex professo differitur. Hujus ergò cognitio omninò præmittenda erit, antequam ad Philosophiam fiat progressus. Χωρὶς τῆς φυσικῆς ἐπιστήμης ἀδύνατον ἐπὶ τὴν σοφίαν ἐλθεῖν· μετὰ τὰ φυσικὰ γὰρ τὰ ὑπὲρ φύσιν γιγνώσκομεν, inquit Andronicus Rhodius, aut quicunque auctor est Paraphraseos Ethicorum, quæ sub nomine Andronici circumfertur, *Sine naturali scientiâ ad sapientiam pervenire nemo potest. Quippe post naturalia, ea quæ supra naturam sunt, cognoscimus.* Et Alex. Aphrodisæus in II. Met. cap. III: *Ante hanc doctrinam* (Metaphysicam) ait, *de rebus naturalibus disputare oportet. Hic enim est disciplinarum ordo. Et qui fuerit in doctrina rerum naturalium exercitatus, hic quæ pertinent ad Metaphysicam disciplinam assequi poterit.* Deniqve ipse Aristoteles I. Physic. I. 83. apertissimè indicat, se Metaphysicam post Physicam tradidisse. Neqve contrarium inde sequitur, quod disciplinam hanc passim Philosophiam primam dicit. Primum enim dicitur non solum ratione ordinis, sed & ratione naturæ, præstantiæ ac dignitatis, lib. Categ. c. XII. Et his posterioribus modis Metaphysica φιλοσοφία πρώτη dicitur, quia scil. circa separatam & immobilem, ut diximus, substantiam versatur, quæ natura prima est & dignitate omnes alias antecellit, quam appellationis rationem ipse indigitat VI. Met. c. I. & lib. X. c. IV: item, quia considerat prima & universalissima principia, quæ nulla alia scientia circa determinatum entis genus occupata explicare aut probare sibi sumit, quam rationem reddit IV. Met. III. Utraque autem complexus videtur Alexander in III. Met. c. I. ita scribens: *Metaphysicam* (Aristoteles) *solet primam Philosophiam appellare, quia primarum, nobilissimarumq; rerum est contemplatrix.*

CCLXXXIV. Sed obvertunt nonnulli, hanc ipsam potissimam causam esse, cur Metaphysica Physicæ sit præmittenda, quod ea communissima & universalissima principia tradat, sine quibus Physica intelligi non possit. Sane cum aliqui huic rationi satisfacere non possent, stringi tamen nihilominus & ex altera

parte

pate à nobis adductis rationibus se viderent, mediam viam tutissimam esse existimarunt, perhibentes partes Metaphysicæ divellendas, & inter eas Physicam mediam esse interserendam. Nempe ponunt duas esse Metaphysicæ partes, alteram universalem, quæ agit de ente ἁπλῶς, deqve iis, quæ enti ἁπλῶς spectato per se insunt, velut de primis principiis, nempe de primis axiomatibus, hypothesibus, definitionibus, quibus omnes artes & scientiæ utuntur, item de affectionibus ejus, priori, posteriori, genere, specie, toto, partibus, & aliis, quæ decem primis Metaphys. libris exponuntur. Alteram autem particularem dicunt, quæ agat de ente, sive substantiâ immortali, de Deo & intelligentiis. Illam ajunt Physicæ præmittendam esse, imò non Physicæ solùm, sed & reliquæ Philosophiæ, & statim post Logicam discendam, quod perfectè ea, quæ per totam Philosophiam traduntur, cognosci non possint, nisi cognoverimus, quid sint actus, potentia, per se, per accidens, quid causa, effectus, quid prius, posterius &c. Hanc autem Physicæ subjungendam esse, quod substantiæ immateriales, quanto sunt præstantiores, tantò difficilius intelligantur. Verum hoc pacto Metaphysica, quantum ad priorem partem ante Logicam, quin imò ante Mathematicas quoqve disciplinas, ponenda esset. Omnes enim disciplinæ præsupponunt prima & communissima, quæ in illa Metaph. parte proponuntur, principia, veluti, impossibile est idem simul esse & non esse, quodlibet est vel non est, cum nulla absque illis sit demonstratio, nullus syllogismus, neqve qvicqvam doceri aut disci possit, nisi illa præsupponantur. Unde & Ammonius Comm. in Porphyr. principia Geometriæ ex Metaphysicis stabilit. At illi demum post Logicam partem collocant istam. Deinde licet negari non possit principia communissima, quæ in Metaphysicis traduntur, præsupponi ab omnibus scientiis, accuratior tamen eorum cognitio, aut etiam demonstratio, quæ Metaphysicæ propria est, ad sufficientem cognitionem illorum, quæ per se ad illas pertinent, necessaria non est. E. gr. prima illa axiomata, qvorum

rum paulo ante mentionem fecimus, omnes ſcientiæ, cum Logicæ, tum Practicæ, & contemplativæ præſupponunt, tanqvam cuivis nota ac manifeſta per inductionem. At qvomodo ſint illa probanda contra pertinacem adverſarium, de eo nulla particularis ſcientia ſolicita eſt, ſed omnes id ſapientiæ ſimpliciter ita dictæ relinqvunt. Sic & totius, partis, unius, entis &c. aliquâ notitiâ omnes, ſcientiam aliquam profitentes, aut etiam diſcentes indigent, cum per omnes ſcientias termîni hi ſe diffundant, at hoc, anteqvam ad ſcientiam primam animum applicant, eorum non intereſt, exquiſitè cognoſcere, quot modis cuncta illa dicantur. Neq; enim id accuratè quis noſſe poteſt, priusquam res ad alias ſcientias pertinentes, de quibus illa diverſimodè dicuntur, intimius paulò cognovit. Sufficit, ſi unusqvisqve eam, qvæ ad ſuam ſcientiam pertinet, ſignificationem habeat perſpectam. Ita numerum unum qvid eſſe noſſe oportet Arithmeticum, nempe in ea ſignificatione, qua unum idem eſt, quod non diviſum actu, etſi dividi poſſit, ad quem modum quoq; ulna, menſa & ſimilia dicuntur unum. Qvod autem unum hoc varia ſub ſe rurſus complectatur, & qvomodo ea differant, id noſſe ipſũ parum refert. Cujus ſimile & in aliis eſt videre. Ita Politicus noſſe qvadantenus debet, qvid anima ſit, & qvod diverſæ ejus ſint facultates, nec tamen ideò πραγματεία de anima, in qua ex profeſſo in naturam animæ, omniumqve ejus facultatum, inqviritur, & qvomodo eæ à ſe diſterminentur, aut etiam ad ſe invicem referantur, declaratur, Politicâ prior. Deniqve, cum unius diſciplinæ unum genus ſubjectum ſit, ea autem, quæ ſubjecto uni eidemqve, qvatenus unum eſt, per ſe inſunt, (hæc enim ſola pertinent ad ſcientiam aliqvam, qvæ autem per accidens, cum innumera ſint, non item VI. Met. III.) continuâ ſerie inter ſe cohæreant, non video, qva ratione ea, qvæ ad Philoſophiam primam pertinent, divelli poſſint, niſi forſan cum Nicolao Damaſceno, cujus ſupra facta eſt mentio, ἀμεθόδως planè hanc diſciplinam ab Ariſtotele pertractatam & diverſa genera confuſa eſſe

dice-

dicere velimus. Qvod qvidem aliqvi ex recentioribus dicunt, perhibentes entis qvatenus ens est, & substantiæ immaterialis diversas esse scientias, Aristotelem autem eas conjunxisse, qvod non ita multa viderentur, qvæ de substantia immateriali, de Deo & intelligentiis naturâ cognoscimus, ut distincta idcircò scientia constitui deberet.

CCLXXXV. Verum nimis hi à januâ aberrant. Falsum est, qvod affirmant, entis, quà ens est, & Substantiæ immaterialis sive immobilis scientias esse diversas. Quæ enim scientia considerat genus, ea considerat & primam istius generis speciem, sive genus illud sit univocum, sive commune πρὸς ἕν. Genus enim cognoscitur propter species, præcipuè propter primam earum sive optimam & præstantissimam. Ita quæ scientia considerat syllogismum in genere, ea considerat & demonstrationem, qvæ præcipua est syllogismi species; qvæ scientia considerat societatem in genere, ea considerat & societatem Civilem, quæ nobilissima est inter omnes societates. Inprimis autem id obtinet in iis, quæ dicuntur communia πρὸς ἕν, ἢ ἀφ' ἑνός. In iis enim genus non denotat naturam aliquam supra species positam, sed rectà in sua fertur significata, unde genus illud cognoscere, est diversa ejus significata cognoscere, maximè autem quod inter ea primum est, cum ad illud cœtera omnia referantur ac reducantur. Unde & ejus πρώτως & κυρίως dicitur esse scientia illa. E.gr. sanum dicitur πλεοναχῶς, de animali, cibo, pulsu, medicamentis sanis. Aliter enim animal dicitur sanũ, nempè quia sanitatem habet; aliter cibus, nimirum quia sanitatem conservat & confirmat; aliter pulsus, videlicet quia sanitatem indicat; aliter medicamenta, scilicet quia sanitatem amissam restituunt. De singulis his, quatenus sana sunt, agit una scientia, puta Medicina, at non de cunctis æquè primò, sed primò & principaliter de eo, qvod πρώτως sanum est, h. e. de animali sano: ad hoc enim reliqua suo modo reducuntur. At eodem modo cum ente comparatum est. Nam & hoc multifariam dicitur. Nempe

qvæ-

qvædam Entia dicuntur, qvoniam ſunt ſubſtantiæ, qvædam quoniam πάθη ejus ſunt, quædam quoniam via ſunt ad Subſtantiam, aut corruptiones, aut privationes, aut qualitates, aut effectiva &c. Quemadmodum ergò ſanorum omnium, quatenus ſana ſunt, eadem eſt ſcientia, ita & entium omnium quatenus ſunt entia eſt non æquè, ſed primariò ejus qvod primò & maximè ens eſt. Hoc autem eſt Subſtantia, inter ſubſtantias autem rurſus ea quæ prima dicitur i.e. immobilis ac immaterialis. Circa hanc ergò primariò occupata erit ſcientia Entis, quà ens eſt, inprimis cum hæc principium & cauſa ſit reliqvorum omnium entiū, nempe prima forma ſive primum quid eſt. At impoſſibile eſt genus aliquod cognoſci, quin cognoſcantur principia generis iſtius. Tunc enim demum genus aliquod perfectè ſcimus, cum omnia in eo cognovimus usque ad prima principia & elementa, I. *Phyſ.* I. E.gr. in Arithmeticis perfectè ſcimus quæ ad genus ſubjectum iſtius ſcientiæ, numerum pertinent, cum omnes ſpecies & affectiones numerorum usque ad prima elementa, unitatem & dualitatem inveſtigaverimus. Rerum Geometricarum accuratam ſcientiam habemus, cum omnes ſpecies & partes magnitudinis unà cum affectionibus usqve in puncta reſolverimus eaque cuncta animo comprehenderimus. Grammaticarum autem, cum omnes partes Orationis usque ad elementa vocales & conſonantes cognitas & perſpectas habemus. Ergò & in Metaphyſicis tum demum ſciemus omnia, quæ de Ente ſciri poſſunt, cum omnes partes & affectiones ejus usque ad primum quid eſt, cognoverimus. Quælibet enim ſcientia ſibi certum γένος ὑποκείμενον vendicat, primum autem in quovis genere eſt menſura cœterorum, i.e. principium eſſendi & cognoſcendi, velut in numeris ut modo dixi, unitas, in magnitudine punctum, in Oratione vocalis & conſonans, in melodia dieſis, in motu momentū, in tempore τὸ νῦν, in ponderibus dramma ſeu mina, in genere Entium DEUS. Jam uti ſtolidum eſſet ſtatuere unitatem non conſiderari in illa ſcientiâ, in qua numerus conſideratur; aut pun-

punctum, vocalem, diesin, momentum, non in iis sub considerationem venire disciplinis, in qvibus de numero, oratione, melodiâ, motu tractatur, ita & ineptum est asserere, Deum non in illa scientia considerari, quæ ens, quatenus ens est, expendit. Taceo, qvod ens, quatenus ens, propriè sit ipsa prima substantia, id est, Deus. Particulæ enim hæ, quà, quatenus & similes, ut univocis adjectæ naturam pluribus ex æquo communem significant, ita in illis, quæ dicuntur κατὰ πρότερον καὶ ὕστερον, *secundum prius & posterius*, propriè id denotant, quod primum est, ut suo annotavimus loco. Et sanè, cum in cæteris ratio entis cum aliis sit composita (sunt enim longa, lata, parva, magna, mobilia, calida, frigida &c.) sola substantia prima, quippe simplicissima, nihil aliud quàm ens est: & cum cætera ita sint, ut possint non esse, hæc ita est, ut non possit non esse; cumqve reliqua esse ab illâ habeant, ipsâ à seipsâ ac per se ipsam est. Unde meritò Platoni αὐτὸ ἐκεῖνο τὸ ὂν dicitur apud Justinum in Dialogo cum Tryphone: ut alia prætereamus, quæ in Judicio nostro de Pneumatica, quam vocant, sunt adducta. Non ergò ideò de Deo in scientia entis quà ens est, egit Aristoteles, quod pauca esse videret, quæ de illo nobis cognita essent, sed quod ad nullam aliam scientiam consideratio ejus, quatenus quidem is ex naturæ lumine cognoscitur, quàm ad hanc pertineret. Id enim ubiqve accuratè observat, ut in scientia aliqua non agat, nisi de iis, quæ per se ad genus subjectum spectant: neqve potuit aliter sine manifesto ἀπαιδευσίας crimine, ob quam toties veteres reprehendit. Hæc enim in eo inter alia cernitur, si quis diversa scientiarum genera confundat, & ad Physicam v. gr. aut aliam disciplinam pertinentia in Politicis aut Rhetoricis proponat. Hic enim audiri debet illud: τὰ φυσικὰ τῶν ἀπορημάτων ἀφείσθω· οὐ γὰρ οἰκεῖα τῆς παρούσης σκέψεως, ex IX. Eth. c. II. (I.) *Physicæ quæstiones heic dimittantur: non enim propriæ sunt hujus considerationis.* Eadem aliarum ratio est disciplinarum. At nonne confudisset Aristoteles diversa genera, si considerationem Dei naturalem, quæ peculiarem disciplinam

constituit, ad Metaphysicam retulisset? Satius certè fuisset paucula ista, quæ de Deo cognita habebat, suæ vendicare disciplinæ, quam diversissima inter se confundere?

CCLXXXVI. Sed sunt, qui Aristotelem certo consilio id fecisse dicant, nempe, ut posteris etiam aliquid relinqueret, in quo judicium exercerent. Quod testimonio Plutarchi confirmant, qui in Alexandro sic scribit: Ἀληθῶς γὰρ ἡ μετὰ τὰ φυσικὰ πραγματεία πρὸς διδασκαλίαν καὶ μάθησιν οὐδὲν ἔχουσα χρήσιμον ὑπόδειγμα τοῖς πεπαιδευμένοις ἀπ' ἀρχῆς γέγραπται. Quæ verba sic reddit Hermannus Cruserius. *Reverà commentarius ille, qui dicitur τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ ad docendum vel discendum, nihil habet compendij. Est autem eâ scriptus mente, specimen modò ut esset eruditis.* Addunt hoc fortè advertisse, aut etiam à Præceptore audivisse Theophrastum. Hinc enim eum in eo fragmento quod superest, partes illas Metaphysices, quas supra diximus separasse. Pasicratem Rhodium quoqve, quem credunt actuorem esse libri secundi τῶν Μεταφυσικῶν, alpha minus dicti, qui sub Aristotelis nomine circumfertur, ideo videri in libris suis de sapientia, ex quibus præter unicum istum nihil superest, omisisse partem priorem, quæ est de principiis omnium scientiarum, solumqve egisse de principiis rerum. Ait enim, inquiunt, primò videndum, quid sit natura, similiterqve orditur ac Aristoteles initio lib. XII. Verum hæ nudæ sunt conjecturæ. Plutarchi interim locus non caret difficultate: quod vel ex iis, quæ in annotationibus suis ad istum locum observat Xylander, videre est. Videntur tamen satis commodam admittere explicationem. Cum enim in reliquis scriptis utplurimum indicare soleat etiam ea, quæ ad διδασκαλίαν & μάθησιν, id est, ad methodum docendi, & discendi pertinet, ea in Metaphysicis ita involvit, ut nemo ea perspexerit, nisi πεπαιδευμένος sive domesticus auditor, qui à principio in schola ejus informatus & methodo, quâ ille istiusmodi res pertractare solet, sit assvetus. Qvod si id significare voluit Plutarchus, non habebit nos dissentientes. Sed, quicquid sit de mente Plu-

tarchi,

tarchi, verissimum est, quod Averroës judicat de libris his prooemio libri X. videlicet, *quod ordine peroptimo procedant, & quòd nihil in eis contingat præter ordinem.* De quo, ut spero, non dubitabit, qui in memoriam sibi revocaverit ea, quæ de Metaphysicæ methodo & ordine suo loco à nobis sunt annotata. Et quis crediderit, tantum Philosophum cæteras quidem disciplinas, quæ tanti non erant momenti accurratâ methodo pertractasse, hanc autem solam licet & natura & dignitate omnium primam, adeò ut Dominam & reginam omnium eam ipse salutet I.Post.IX.§.5. indigestam reliquisse?

CCLXXXVII. Statuimus ergò, ut ex diverticulo in viam rursus revertamur, inter disciplinas contemplativas Physicam Metaphysicæ ratione doctrinæ esse præmittendam. Cæterum cum nulla scientia pluribus libris comprehensa sit, quam hæc ipsa, magna & de horum ordine apud Interpretes est dissensio. In eo tamen penè omnes consentiunt, quod tres Philosophiæ hujus sint faciendæ partes, qvarum prima sit de principiis, altera de simplicibus corporibus, tertia deniq; de mixtis. Ex his porrò prima absolvitur IIX. libris Physicis, quibus quod primus in scientia naturali sit tribuendus locus, non solum ex initio Physicorum, sed & Meteororum evidenter colligitur, ubi ait: *De primis itaq; causis rerum naturalium dictum est prius.* Libros Physicos excipiunt libri de cœlo, in quibus agitur de simplicibus corporibus & primo quidem de cœlo, cum hoc inter corpora simplicia & excellentiâ & virtute primum teneat locum. Deinde in iisdem tractat, & de reliquis elementis, scilicet quatenus sunt partes universi, quod una cum cœlo constituunt. Cum autem elementa non solū possint considerari, ut partes mundi, sed & ut tales substantiæ, quæ ad constitutionem mixtorū faciunt, & contrariis quippe activis & passivis informata qualitatibus, generationis & corruptionis, deniq; transmutationis omnis sunt principia, ideò sub hac quoq; ratione ea consideravit, idque in libb. de Gen. & corrupt. quos lib. II, de An. t, 117. & lib. de sensu & sensibili

bili c. de sapore disertè nominat libros de Elementis. Libros de Gener. & Corrupt. seqvuntur libri Meteororum, in quibus de mixtis agere incipit, & quidem initio de imperfectè sive quodammodo mixtis, ut in scholis loqvuntur, h. e. meteoris. Quæ quidem tractatio tribus absolvitur prioribus libris. Hinc de perfectè mixtis tractat, & quidem cum eorum alia sint animata, alia inanimata, ut metalla, mineralia, hæc in genere quidem tangit in c. ult. III. Meteorologicorum, in specie autem de iis scripsisse eũ in libro de metallis asserit Simplicius. Verum non certò id constat. In extremo enim d. l. tractationem hanc abs se removere videtur. Nec meminit Laërtius libri istius. In genere autem de corpore perfectè mixto, sive similare illud sit, sive dissimilare agit in IV. Meteor. Est autem hoc subjectum πρώτων earum, quæ ibi explicantur affectionum, quæ illi accedunt ex primarum qualitatum diversa actione & passione, ut sunt generatio, putrefactio, cruditas, durities, mollities, liquabilitas. Quas quidem affectiones declarat exemplis rerum nunc similarium nunc dissimilarium, cum animatarum tum inanimatarum. Hinc de animatis prolixè disserit in aliqvot libris. Et qvidem cum illa rursus sint duplicia, (quædam enim unicâ saltem animæ facultate, nutriente scil. prædita sunt, & plantæ appellantur, qvædam autem plures facultates attinent & animalia vocantur.) De ambobus egit, prius tamen de animalibus, quàm de plantis. Hunc enim se ordinem secutum esse, ipse satis apertè indicat in initio Meteorologicorum, ubi universam Physiologiam in sex partes tribuit, unam de principiis & omnibus affectionibus rerum naturalium, alteram de cœlo, tertiam de ortu & interitu, quartam meteorologicam, quintam de animalibus, sextam de plantis. Quanquam enim plantæ simpliciores sint naturalibus, & sic in contemplatione præcedere animalia videri possent, tamen cum ordo facilioris cognitionis semper diligenter ab Aristotele observetur, partes autem plantarum non nisi ex proportione ad partes animalium dignosci possint, ut & plurima alia, quæ in illis in-

lis inveniuntur, uti suo loco ex Theophrasto observavimus, ideò merito de animalibus priori loco, quàm de plantis tractavit. Nam quod quidem excipiunt, plantas simpliciores esse, à simplicioribus autem semper auspicandum esse, id parum roboris habet. Non enim semper à simplicioribus incipiendum est, sed tum demum, cum reliqua ex illis simplicibus composita sunt, aut sine illis percipi non possunt. Animalia autem non componuntur ex plantis, potestqve illorum disputator sine plantarum cognitione satis percipi. Neqve majus pondus habet argumentum quod ex lib. de Anim â depromunt. In iis, inquiunt, de facultate nutriente prius disseruit Philosophus, quàm de sensitiva, quæ animalium propria est, ergò & eodem modo de plantis, quæ anima nutriente definiuntur, prius, quam de animalibus debuit disputare. De nutriente enim prius quam de sentiente anima egit ob has causas, quia illa & natura prior est, & disputatio ejus percipi potest sine cognitione sensitivæ. Deniqve quia brevior & facilior est disputatio illa. At aliter res comparata est cum animalibus & plantis, ut ex dictis jam constat.

CCLXXXVIII. Porrò, cum doctrina de animalibus non uno, sed pluribus sit comprehensa libris, & ita de illis tractet Philosophus, ut doctrinæ quoqve de Anima, quæ potissima pars est, animalium & reliquorum viventium rationem habuerit, magna inter Interpretes quæstio agitatur, num libri, qui titulum de animalibus præ se ferunt, prius legendi sint, quàm libri de anima, an secus faciendum. Et posterius quidem placuit Avicennæ, cui hanc sententiam duo potissimum persuaserunt argumenta; Unum, quod anima universalior sit animalibus: alterum, quod de causâ prius, quàm de effectu sit agendum, anima autem sit causâ animalium, quin & plantarum. Verum neutrum argumentum aliquid efficit. Propriè enim anima non est generalior animalibus, sed substantia animata, de quâ Aristoteles non disputat ex instituto in libris de anima, sed de Animâ, iisqve, quæ illi per se conveniunt, illic exquirit, ut ipsemet fatetur. Sed nec de-

de omnibus rei alicujus caufis accuratè femper in principio agendum eft, præfertim fi aliqualis hujus vel illius caufæ notitia omnium animos occupans fufficiat ad explicationem eorum, quæ proponuntur, hæc autem ob alias rationes priorem in fcientia fibi vendicent locum. At tale judicium de anima eft faciendum. Ad cognitionem enim quàm plurium, quæ de Animalibus traduntur, veluti ad percipiendam eam Difputationem, quæ de hiftoria & partibus animalium eft, nobisqve non parum abftrufa & intricata, vix quicquam cognofcere neceffe eft, quam hoc, qvod omnes motus partium in animalibus ab anima fiant, quod quidem multis inculcare nihil attinet, cum experientia fit notiffimum omnibusqve manifeftum. Deinde non folum anima eft caufa animalium, fed & corpus ejusqve partes, quæ animal unà cum animâ conftituunt & abfolvunt. Cur igitur ab anima potius quam ab his exordium petatur in πραγματείᾳ de Animalibus, cum illæ multò notiores nobis fint, quàm anima cum fuis facultatibus? Ratum ergo nobis hoc efto, qvod de animalibus fit agendum prius quam de anima ipfa. Et quidem cum hiftoria prius fit tenenda, quàm Caufæ; ut ipfe Ariftoteles docet I. de Part. An. c. I. dubium non eft, quin libri Hiftoriam animalium continentes, primò omnium fint evolvendi; non quod pars fint fcientiæ de animalibus (continent enim fola φαινόμενα, ut diximus n. XXXVII.) fed quod facilius illis ante perceptis caufæ intelliguntur. Hiftoriâ animalium autem præmiffâ accedendum eft ad libros de Partibus animalium: quia inter principia effentialia animalis nobis notiora funt, ut modo dixi & docet ipfe Ariftoteles in I. Part. An. I. & adjuvant cognitionem animæ quærendam, quæ non nifi per corpus organicum poteft definiri. Unde & Sextus Philofophus ait, animam nemo intelligere poffe, nifi intellexerit prius, quid fit animatum. Eft enim via hæc infita nobis naturâ, ut à notioribus nobis, qualia funt concreta, velut animatum, pergamus ad notiora naturâ, qualia funt abftracta. Libris de partibus animalium fuccedit liber de Ingreffu anima-

lium,

lium, ut ipse te[..]atur Lib. IV. de Part. c. XIV. in fine. Est namqve & ipse proximè de partibus, inservientibus videlicet motui animalium, ut ipse indicat in primis istius libri verbis, dicens de utilibus partibus ad motum localem animalium considerationem sibi iri institutũ. Hunc excipiunt libri de anima, ut idem scribit lib. de ingressu c. ult. eos autem libri de sensu, de memoriâ, de somno, de motu animalium. Hunc enim ordinem ipsemet rursus statuit libro de animalium motu, c. ult. Ad πραγματείαν de somno autem referendi sunt & reliqvi duo tractatus de insomniis & divinatione per somnum. Qvod partim inde patet, quia in fine libri de somno, ut & insomniis nihil repetit, aut docendum proponit, quem morem tamen aliàs ubiqve observat: partim inde, quod in fine libri de Divinat. conjunctim repetat hæc tria: *Quid ergò somnus, & insomnium, & quam ob causam utrumq; ipsorum sit, adhæc de divinatione*, hactenus est dictũ. Quis liber autem post librum de divinatione sit evolvendus, nempe quod liber de animalium motu, colligere est ex eodem loco. Subjicit enim statim: Περὶ δὲ τῆς κοινῆς κινήσεως τῶν ζώων λεκτέον, *De communi autem animalium motu nunc dicendum*. Post hunc porrò ponendi sunt libri de Generatione animalium. Sic enim iterum ipse determinat in fine libri de Motu. Nec contrarium nobis persvadent verba illa ex principio librorum de Gen. anim. quibus post disputationem de materia & fine partium disputandum esse dicit de earum efficiente, unde Philoponus aut quicunq; alius Auctor est Explanationis librorum de Generatione, colligit libros de Partibus animalium continenter sequi debere libros de Gen. Non enim solum de materia, quæ sunt partes animalium, ut ipse ait, se egisse scribit, sed & de fine, itemque de formâ. ὁ γὰρ λόγος καὶ τὸ οὗ ἕνεκα, ὡς τέλος ταὐτὸν, *Forma enim & finis idem sunt*, ut eodem loco inquit. De his autem non egerat in libris de partibus Animalium, sed in libris de animâ & reliquis recensitis. Quamvis enim sensus, memoria, somnus & vigilia, item motus sint affectiones totius compositi, ut ipse docet lib. de sensu & sensibili c. I. à for-

à forma tamen, tanquam præcipua causa, procedunt, ideoqve de his statim post doctrinam de formâ animalium fuit agendum. His autem pertractatis demum accedit ad causam τῆς κινήσεως, h. e. moventem sive efficientem, quæ est principium generationis, de quâ disputatur in libris de Gen. Anim. Quibus finitis de aliis disputat, quæ accedunt animalibus ex ortu, velut de longitudine & brevitate vitæ; quas seqvuntur alia, ut diversus permanentiæ istius status, velut juventus & senectus, de quibus itidem in peculiari libro agit, qui ideò statim post librum de longitudine & brevitate vitæ est ponendus. Porrò cum juventutis causa sit caloris justa conservatio, senectutis autem dissolutio, quam tandem mors sequitur, de morte quoqve & iis, quæ calorem & vitam conservant, inter quæ & respiratio est, erat agendum. Hoc autem præstitit in libro de vita & morte, item de respiratione. Et quidem, quod hic sit genuinus librorum istorum ordo, iterum ex ipso Aristotele est manifestum. Postquam enim de longitudine & brevitate vitæ egisset, in fine libri ait: *Restat ut de juventute & senectute, de vita & morte contemplemur*. In principio autem libri de juventute & senectute addit: *Fortè autem & de respiratione simul causas dicere necesse est, quod ob eam animantibus non nullis vivere & non vivere contingat*. Et his quidem universam πραγματείαν de animalibus concludit, quam exciperent libri de Plantis, si eos superstites haberemus. Hos autem tandem sequerentur libri Metaphysici seu primæ Philosophiæ.

CCLXXXIX. Et hæc sunt præcipua, qvæ in Arist. observare debet qvisqvis mentem ejus ex ipso asseqvi vult, qvæ est optima & compendiosissima eam percipiendi via. Absoluta autem lectione illius, non inutile esset & alios cum eo conjungi. Utinam verò omnium veterum scripta, ex qvibus non pauca desumsit, ad nos pervenissent, magnum certè inde libris ejus lumen esset accessurum. Neque enim hic omnia primus invenit, sed quam plurima ab aliis est mutuatus, qvod ipse passim rotundè fatetur, inter alia autem & in fine Sophist. Elenchorum c. XXXIV

§. 9. II,

§. 9. II. Met. I. Et categorias quidem videtur accepiſſe à Pythagoreis. Extat enim liber Architæ, auditoris Pythagoræ, titulo κατηγοριῶν, ἢ καθόλου λόγων, in qvo multa leguntur, quæ cum doctrina illa quam Ariſtoteles in lib. Categ. tradit, amiciſſimè conſpirant. Sed & Ocellus Lucanus, qui & ipſe à Luciano in ſuo de errato in ſalutatione libello, nec non Jamblichio in vitâ Pythagoræ c. XXXVI. inter Pythagoræ diſcipulos numerantur, aliqua habet huic doctrinæ conformia; quæ cũ collegerit Franciſcus Patritius Tom. II. Diſcuſſ. Peripat. lib. I. diducere hîc abſtinemus. Rationem definiendi & inducendi autem à Socrate accepit. Ipſe enim fatetur lib. XI. Met. cap. II. duo hæc, ἐπακτικοὺς λόγους, καὶ τὸ ὁρίζεσθαι καθόλου jure Socrati accepta ferri. Unde non pauca inveneris tam de inductione, quàm de definitione in Dialogis Platonis, quibus ille Socraticam Philoſophiam, ut ipſe teſtatur in Epiſt. ad Dion: famil. complexus eſt, apprime Ariſtotelicis congruentia. Porrò rationem diſputandi hauſit ex Dialogis cum aliorum, tum inprimis Platonis, quarum lectio magno nobis eſſe poteſt adjumento, ad illuſtranda ea, quæ paſſim in libris Topicis, præſertim verò in IIX. eorum ab Ariſtot. proponuntur. De quibus enim præcepta ibi dat ille, eorum exempla in Platone deprehendemus. Idem dicimus & de lib. Soph. Elench. Penè omnium enim σοφισμάτων, quæ ibi recenſentur, exempla in Euthydemo reperiuntur, adeò, ut ex ejus ἀναλύσει liber iſte conſcriptus poſſet videri. De demonſtratione autem quod non pauca à Mathematicis mutuò acceperit, dubium non eſt. Quin non deſunt, qui arbitrentur, ideô eum libros de Demonſtratione titulo τῶν ἀναλυτικῶν inſigniviſſe, quod ex analyſi ſive reſolutione Mathematicorum nobiliſſimorum, quorum ſcripta ſecum habuit, eos conſcripſiſſet. A quibus ſine dubio & alii, qui ante Ariſtotelem vixerunt, veluti Plato, Speuſippus &c. acceperunt, quæ de demonſtratione ſcriptis ſuis inſperſerunt, per omnia conſentanea Ariſtotelicæ doctrinæ. E.g. demonſtrationem ait eſſe ſyllogiſmum qui ex veris conſtet. At idem dicit Speuſippus in definitionibus.

Sic enim ſcribit: Ἀπόδειξις λόγος συλλογιστικὸς ἀληθής, *demonſtratio eſt oratio ſyllogiſtica vera &c.* Deinde ait demonſtrationem ex præcognitis conſtare. At hoc ipſum quoqve ad demonſtrationem requirit Speuſippus. Sic enim ille eodem loco: Ἀπόδειξις λόγος ἐμφανιστικὸς διὰ προγινωσκομένων, *Demonſtratio eſt oratio declarativa per præcognita.* Sed & Xenophon in Oeconomico ſuo in eandem ſententiam quædam habet. Ἄγων γάρ με δι' ὧν ἐγὼ ἐπίσταμαι, ὅμοια τούτοις ἐπιδεικνὺς ἃ οὐκ ἐνόμιζον ἐπίστασθαι, ἀναπείθεις οἶμαι ὡς καὶ ταῦτα ἐπίσταμαι, *Ducens me per ea quæ ego ſcio ſimilia bis demonſtrans quæ non putabam ſcire, perſvaſus puto, quod & hæc ſcio.* Porrò & ex neceſſariis demonſtrationem vult conſtare debere. Sed hoc ante ipſum voluiſſe Platonem quoq; verba ejus in Theæteto confirmant, quæ ita habent: ἀπόδειξιν δὲ καὶ ἀνάγκην, οὐδ' ἣν οὖν λέγετε, ἀλλὰ τῷ εἰκότι χρῆσθε, *demonſtrationem verò & neceſſitatem nullam dicitis, ſed probabili utimini.* In libro de arte Poëtica cap. I. artes aliquas dicit imitari *colore & figurâ*, alias autem *oratione*, quorum utrumqve ex Platone licet illuſtrare. Coloribus n. & figuris juxta illum imitantur nō pictores ſolùm, ſed & fucatores, de qvorum arte ita ille in Gorgiâ: *Athleticæ artis imitatrix eſt fucatrix, prava verò & deceptrix, & ignobilis & illiberalis, figuris, & coloribus, & lenitudine, & veſte decipiens.* De *pictura* verò, quod & ipſa coloribus imitetur, idem in Cratylo affirmat. Voce autem imitari quid ſit, Dialogo tertio de Republ. docet, qvum ait: *Cum orationem profert quis, tanquam alius quidam ſit: nonne tunc dicemus, orationem ſuam ei quàm ſimillimam reddere, qvem loqventem introduxerat. Similem itaq; reddere ſeipſum alij, vel voce, vel figurâ, eſt imitari aliquem, cui ſimilis ſit.*

CCLXXXIX. In Philoſophiâ Practicâ quamplurima, eum à Pythagoreis mutuatum eſſe ſatis declarant fragmenta, quæ ab Iſaaco Caſaubono Vitis Philoſophorum Diogenis Laertio, à Zvvingero autem Commentariis Ethicis & Politicis ſunt ſubjecta, atqve ex parte etiam apud Stobæum in ſermonibus & Eclogis Phyſicis reperiuntur. Sed nec pauca ex Platonis Dialogis in

 eam

eam transtulit. Ut res clarior fiat, possumus & illam exemplo illustrare. Sit nobis ejus loco Doctrina de felicitate, qvam proponit I. Ethic. V. & VI. ita ut eam principio qvadantenus adumbret, descriptionem ejus afferendo, quam colligit ex attributis quibusdam competentibus soli felicitati. Et principio quidem ait, perfectissimum illud esse, & consequenter expeti propter se solū. Id enim, quod magis propter aliud eligendum est, perfectius esse iis, quæ sunt αἱρετὰ καθ' αὑτὰ καὶ διὰ τοῦτο. Cujus gratiâ facit divisionem eorum, qvæ appetuntur, & ferè triplicis generis ea esse indicat. *Quædam* enim ait, *appeti tantùm propter se, quædam tantùm propter aliud, quædam & propter se, & propter aliud.* At fusiùs eam distributionem diducit, & exemplis appositis illustrat Archytas Pythagoreus, in libro de bono viro & beato, his verbis: Ἐπεὶ οὖν τῶν ἀγαθῶν ἃ μὲν αὐτὰ ἐντι διὰ ταῦτα αἱρετὰ, οὐ μὰν δι' ἕτερον, ἃ μὰν διὰ ταυτά· ἦν ὦν καὶ τρίτον τι εἶδος ἄτερον ἀγαθῶν, ὃ καὶ διὰ ταυτὸν αἱρετὸν ἔντι καὶ δι' ἕτερον. Τίνων οὖν ἐντι τὰ τοιαῦτα τῶν ἀγαθῶν, ἅπερ αὐτὰ διὰ ταυτὰ αἱρετὰ πέφυκεν ἦμεν, οὐ μὰν διὰ ἕτερον; φανερὸν ὅτι ἡ εὐδαιμοσύνα· ταύτας γὰρ ἕνεκα τὰ ἄλλα αἱρεόμεθα, αὐτὰν δὲ ταύταν οὐδενὸς ἀτέρω· τίνα δὲ πάλιν ἐντι ἃ δι' ἕτερον μὲν αἱρεόμεθα, οὐ μὰν διὰ ταύτα γε; δῆλον ὅτι τὰ ὠφέλιμα καὶ τὰ ποιητικὰ (ita enim legendum esse videtur, non προαιρετικὰ) τῶν ἀγαθῶν, ἅπερ αἴτια γίνεται τῶν αἱρετῶν, οἷον πόνοι μὲν σώματος, καὶ γυμνάσια καὶ τρίψιες δεκτίας· ἀναγνώσιες δὲ καὶ μελέται καὶ ἐπιτηδεύσιες καλῶν καὶ ἀρετᾶς· τίνα δὲ καὶ διὰ ταῦτα αἱρετὰ, καὶ τὰ δι' ἕτερον· οἷον αἵ τε ἀρεταὶ, καὶ αἱ ἕξιες αὐτῶν, καὶ αἱ προαιρέσιες, καὶ αἱ πράξιες καὶ πᾶν τὸ ἐχόμενον τᾶς τῶ καλῶ οὐσίας, *Quoniam igitur bona quædam propter se expetuntur, non propter aliud: quædam propter aliud, non propter se, tertium quoq; bonorum quoddam genus est, quod & propter se & propter aliud expetitur. Quæ igitur hæc sunt bona, quæ propter se non propter aliud expetuntur? nimirum beatitudo. Ut enim hujus causa reliqua, ita hanc nullius causa expetimus. Quæ rursus sunt ea, quæ propter aliud, non propter se expetuntur? nempe utilia & bonorum efficientia, quæ rerum expetendarum causas in se continent, ut labores corporis, exercitia, fri-*

ctiones bonæ valetudinis: lectiones, meditationes, studia virtutis. Quæ deniq; propter se & propter aliud expetenda dicuntur? Virtutes earumq; habitus, similia, actiones, & quicquid est cum virtute conju- ctum. Eandem bonorum divisionem probat & explicat quoqve Plato II. de Republ. qui tamen in eo Archytæ & Aristoteli contrarius esse existimari posset, quod videatur ea bona præstantiora dicere, quæ & propter se & propter aliud, quàm quæ propter se tantùm expetantur. Sed tamen revera nihil inter eos hâc quidem in re dissensionis est. Plato enim ibi loquitur de aliis bonis præter felicitatem, ut ostendunt illa verba, τῷ μέλλοντι μακαρίῳ ἔσεσθαι. Neqve Aristoteles dicit, id, quod nunquam propter aliud eligendum est, τελειότερον esse τῶν καὶ καθ' αὑτὰ καὶ δι' ἄλλο αἱρετῶν, sed τῶν καθ' αὑτὰ καὶ διὰ τοῦτο. Deinde ait felicitatem bonum esse αὐταρκες, sive sufficiens. Idem verò præter Pythagoreos ad felicitatem, sive summū bonum requirit iterum Plato in Philebo, ubi Socratem & Protarchum ita loquentes introducit. Σωκρ. τὴν τἀγαθοῦ μοῖραν, πότερον ἀνάγκη τέλεον, ἢ μὴ τέλεον εἶναι· Πρ. πάντων δήπου τελεώτατον ὦ Σώκρατες· Σω. τί δὲ ἱκανὸν τἀγαθόν; Πρ. πῶς γὰρ οὔ; καὶ πάντων γε εἰς τοῦτο διαφέρειν τῶν ὄντων. *Socr. Ipsius boni conditionem videlicet, perfectum esse an imperfectum necesse sit. Pr. Omnium, ô Socrates, perfectissimum. Socr. Quid vero, sufficiensne bonum ipsum est?* Pr. *Quidni? & hoc ipso ab omnibus, quæ sunt, differre necessum est, cunctisq; præstare.* Sed quid significat αὔταρκες, cum Aristoteles illud pronunciat de summo bono? Describit id ipsemet bifariam. Primò dicit αὔταρκες se vocare id, quod satis sit homini, nō agenti vitam in solitudine, sed quantum sufficiat, & ad sustentādos parentes, quorum ipsi pars sumus, & liberos, qui sunt pars nostri, & uxorem, quæ ita cojuncta est cum viro, ut quodammodo idem sit, omninoqve amicos & cives nostros. Rationem addit, quia homo est natura ζῶον πολιτικὸν, h.e. animal civile, nec sibi solum natus, sed & parentibus, patriæ & amicis. Ast hanc sententiam rursum usurpat Plato Epist. IX. videturq; e ad eam & Aristoteles respexisse. Addit Ari-

Nam

ſtoteles, finem tamen aliquem αὐταρκείας iſtius ſtatuendum eſſe. Nam, ſi quis hoc extendere velit etiam ad avos, & nepotes, & amicorum amicos, nunquam modus ullus eſſet futurus. At in hoc iterum illi convenit cum Pythagoreis. Sic enim Archytas Pythagoreus l. c. ὅρος δὲ ἐστιν εὐτυχίας, ἂν περιέλοιτο ὁ ἀγαθὸς ἀνὴρ συνεργὸν αὐτῷ γινομέναν ποτὶ τὰς ἰδίας πράξιας· ὥσπερ καὶ μέγεθος ναὼ, καὶ μέγεθος πηδαλίω, ὃ καθικνεῖσθαι δύναται ὁ ἀγαθὸς κυβερνάτας μεγάλα πελάγη διαπεραιούμενος, καὶ μεγάλαν ναυκλαρίαν στελλόμενος. αἱ δ᾽ ὑπερβολαὶ τᾶς εὐτυχίας τοῖς ἀγαθοῖς, οὐ κρατεῖσθαι πέφυκεν ὑπὸ τᾶς ψυχᾶς, ἀλλὰ κρατὲν αὐτᾶς· ὥσπερ γὰρ τὸ λαμπρὸν φάος μαρμυγὴν ἐπιτίθησι τοῖς ὀφθαλμοῖς· οὕτω καὶ ὑπερβάλλουσα εὐτυχία τῷ νόῳ τᾶς ψυχᾶς, *Terminus autem quidam eſt felicitatis, quam in tantum eligat vir bonus, in quantum ei adminiculo eſſe poſſit ad res agendas, ſicut magnitudo navis & magnitudo clavi, quem prehendere & regere poteſt bonus gubernator, dum vaſta maria transmittit, ac longinquam navis gubernationem ingreditur. At ſi nimia obtingat felicitas, non ferè ſolet moderationi & imperio animæ ſubjici, ſed imperare potius ipſi. Quemadmodum enim refulgens lux perſtringit aciem oculorum: ſic & nimia felicitas intellectum animæ.* Deinde αὐταρκὲς & id ſe dicere ait, quod ſeipſo contentum eſt, boniſq; omnibus per ſe cumulatum. Quæcunqve enim ſolida & alicujus momenti bona ſunt, felicitas includit, ſive illa animæ ſint, ſive corporis, ſive externa. Sed hoc iterum eodem loco inculcat Archytas diſtinguens inter bonum hominis & partium. Alia enim eſſe bona *animi*, velut prudentiam, fortitudinem, juſtitiam, temperãtiam; alia *corporis*, veluti pulchritudinem, ſanitatem, ſenſuum vigorẽ; alia *externa*, ut divitias, honorem, gloriam, nobilitatem &c. Hæc autem omnia ait comprehendi à bono totius, qvod ipſum ait eſſe εὐδαιμοσύναν ſeu *beatitudinem*. Conſentit Euryphamus, & ipſe Pythagoreus, in lib. de vitâ apud Stobæum Serm. III. dicens: εὐδαιμονία ἐντι τελειότας, καὶ συμπλάρωσις τῶν ἀνθρωπίνων ἀγαθῶν, *Beatitudo humanorum bonorum ſumma eſt & perfectio.*

CCXC. Naturâ felicitatis ſic qvadantenus adumbratâ

pergit planius adhuc, quid ea sit, esse inquirendum. Non enim satis esse, ut vera dicantur, sed operam præterea dandam esse, ut dilucidè explicateq; dicatur, & omnes rei propositæ partes sic evolvantur, ut qvoad ejus fieri potest, nullus scrupulus, nulla dubitatio in auditoris aut lectoris animo relinquatur. Quod non abs re ad imitationem Platonis dictum videri posset, qui cum in Timæo de ortu rerum breviter disputasset, posthac de eadem re copiosiꝰ & enucleatius sibi disserendum esse affirmat, ut muneri suo satisfaceret ad plenum: Εἴρηται μὲν οὖν, inquit, τἀληθές· δεῖ δὲ ἐναργέστερον εἰπεῖν περὶ αὐτοῦ. Ut ergò enucleatius evolveret naturam felicitatis Aristoteles, primò inquirit genus, idque hoc modo: Quorumcunq; proprium aliquod opus est aut actio, eorum bonum, quà quidem ratione tales sunt, opere illo aut actione continetur. E.gr. bonum, quod sibi præcipuè proponit statuarius, est statua: bonum, qvod sibi præcipuè proponit Musicus, est cantus. Jam verisimile est & hominis eâ ratione, quà homo est, esse aliquod propriũ opus ac munus, præsertim, cùm unaquæq; pars hominis à natura sit condita ad aliqvem usum. Quod paucis hic perstringit Aristoteles; at copiosè explicat Plato in Timæo, uti & Xenophon lib. I. Memorat. Socratis. Concludit ergò felicitatem, quæ proprium hominis bonum, in actione consistere. Non tamen in quâvis actione, sed actione animæ, & quidem non vegetativæ, nec sensitivæ (has enim facultates homo cum brutis communes habet, felicitas autem est bonum hominis, quà homo est) sed rationalis, cujus cum duplex sit facultas, una, quæ ratione prædita est, altera, quæ ipsa rationis quidem expers est, obtemperat tamen rationi, utriusque actionem aliquam dicit requiri ad felicitatem, & quidem non qualitercunq; se habentem, sed talem quæ secundum virtutem sit utriusque facultatis. Ratione enim ipsa & benè & malè uti possumus, ut autem benè utamur, virtus facit, sicut & in aliis accidit. Virtus enim, inquit, cujusque id, cujus virtus est, perficit, ipsiusque opus bonum reddit. Ita virtute oculi fit, ut benè videamus, virtute auris, ut benè audiamus, & sic de-

deinceps. At hoc ipsum rursus egregiè, & quidem satis prolixè
docet Plato Dial. I. de Republ. in fine, qui omnino hic videri me-
retur. Ast nec qualiscunq; virtus (ita progreditur Philosophus) ad
beatitudinem sufficit, sed virtus requiritur optima, quæ, quoad
facultatem ratione præditā, est prudentia, quoad alteram autem
quæ rationi solum obedit sive appetitum, est justitia universalis,
sive cumulus omnium virtutum moralium. Deniq; & vita perfe-
cta exposcitur, quæ ut supra monitum, & perfectam ætatem, &
justam longitudinem vitæ, deniq; & αὐτάρκειαν includit bonorum
corporis atque externorum, quæ non nisi in civitate obtineri
potest. Unde & passim civile bonum dicitur humana felicitas,
nec aliud esse bonum civitatis & unius hominis, I. Ethic. I. VII.
Polit. II. Quæ omnia ex Pythagoreorum rursus fontibus sunt de-
rivata. Huc enim tendit Hippodamus Thurius in lib. de Beati-
tudine, dicens: τᾶς εὐδαιμονίας δεκτικὰ ὅσα λόγον ἔχει, ἁ μὲν γὰρ εὐδαι-
μονία, οὐκ ἄτερθεν ἀρετᾶς· ἁ δὲ ἀρετὰ ἐγγίνεται τῷ λόγον ἔχοντι πρῶτον,
*Felicitatis capaces sunt, quæcunque rationem habent. Felicitas
enim sine virtute non consistit. Virtus autem nascitur in eo, quod
rationem habet primariò.* Paulò post, aliqvos perfectos dicit κατ-
τὰν φύσιν, aliquos κατὰ βίον. Illos dicit tantum bonos esse,
eosq; esse τὼς ἔχοντες τὰν ἀρετάν· ἁ γὰρ, pergit, ἀρετὰ τᾶς ἑκάστω φύ-
σιος καὶ ἀκρότας καὶ τελειότας ἐστί. ἁ μὲν τῶ ὀφθαλμῶ, τᾶς τῶ ὀφ-
θαλμῶ φύσιος ἀκρότας καὶ τελειότας· ἁ δὲ τῶ ἀνθρώπω, τᾶς τῶ ἀν-
θρώπω φύσιος καὶ ἀκρότας καὶ τελειότας, *Virtus enim uniuscujusq;
naturæ excellentia & perfectio est, oculi quidem virtus, ejusdem
partis naturæ præstantia perfectioq; est: hominis autem humanæ
naturæ excellentia est, nec non perfectio.* Genere vitæ autem per-
fectos esse dicit, qui non solum boni, sed & felices sunt: ἁ μὲν γὰρ
εὐδαιμονία, τελειότης ἐντὶ βίω ἀνθρωπίνω ὁ δὲ βίος ὁ ἀνθρώπινος,
σύστημα τῶν πράξεων, ἁ δ' εὐδαιμονία, συμπεραίνουσα τὰς πράξιας· συμ-
περαίνει δὲ τὰς πράξιας, ἀρετὰ καὶ τύχα τὰ μὲν ἀρετὰ κατὰ χρῆσιν τὰ
δ' εὐτυχία, κατὰ κατόρθωσιν, *Felicitas namq; perfectio est humanæ
vitæ, vita autem humana ex multis actionibus consistit, at felicitas*
actio-

actiones absolvit. Nam omnis actio virtute aut fortuna duce fit. Virtus consideratur in ipso usu, fortuna in successu. Utramqve autem, vult dicere, includit εὐδαιμονία, ut adeò secundùm Hippodamum felicitas nihil aliud sit, quam continuata actio secundum virtutem gaudens prospera fortuna sive sufficientibus fortunæ bonis, quæ & bona corporis, & ea, quæ externa vocantur, comprehendit, instructa. Absqve his enim in actionibus suis multifariam homo impeditur, adjuvatur autem non parum, si istiusmodi gaudeat bonis. Virtutem autem non obscurè dividit in prudentiam, quam directricem facit actionum humanarũ, omnisque εὐτυχίας, id est, fortunæ bonorum [aliud enim Pythagoreis est εὐδαιμονία, quæ est ipsa beatitudo, aliud εὐτυχία, quæ est fortunæ prosperitas, actionibus inserviens] & virtutem moralem, quam affectus moderari atque cohibere asserit. Καλὸν, inquit, ὅκα εὐτυχία παρῇ τῷ νῷ, ὥσπερ οὐρίῳ ἀνέμῳ θεόντα· ποτὰν ἀρετὰν ἀποβλέποντα ποιεῖσθαι τὰς πράξιας· ὥσπερ καὶ τὸν κυβερνάταν ποτὶ τὰς τῶν ἄστρων κινήσιας, *Pulchrum est, quando fortunæ prosperitas menti,* quam φρόνασιν, *prudentiam*, paulò ante dixerat) *conjungitur, tanquam secundis ventis currentem & ad virtutem tanquam cynosuram respicientem, actiones perficere, sicut cum gubernator siderum intuens motus, navigat.* Et paulo post: Φανερὸν, ὅτι ἐκ διαθέσιος καὶ πράξιος βίος διαφέρων γίνεται· ἀνάγκα γὰρ τὰν μὲν διάθεσιν, ἢ σπουδαίαν, ἢ φαύλαν ἦμεν· τὰν δὲ πρᾶξιν, ἢ εὐδαίμονα ἢ κακοδαίμονα· καὶ σπουδαίαν μὲν τὰν ἀρετᾶς μετειληφυῖαν· φαύλαν δὲ, τὰν κακίας· τὰς δὲ πράξιας, εὐδαίμονας μὲν ἐν τᾷ εὐτυχίᾳ, (συμπεραίνονται γὰρ ποτὶ τὸν λόγον) κακοδαίμονας δὲ ἐν τᾷ ἀτυχίᾳ ἀποτευκτικὸν γὰρ τῶ συμπεράσματος, *Manifestum est, quod vitæ diversitas ex animi affectu & ipsa actione oriatur. Cæterùm affectus necessario aut bonus, aut pravus fuerit. Actio autem felix, aut infelix. Affectus bonus est, qui virtutis particeps est, pravus, qui malitiæ. Actiones autem felices quidem in prosperitate consistunt, ut quæ pro animi sententia eveniant. Infelices contra in felicitate, quoniam finem non assequuntur.* Tandem & hoc addit, quod vitam beatam transigere non liceat, nisi in civita-

vitate: οὐ μόνον γὰρ τὰν κτᾶσιν ἔχειν δεῖ τῶν καλῶν, ἀλλὰ καὶ τὰν ὄνασιν· ταῦτα δὲ πάντα ἐσσεῖται, αἴκα πόλιος εὐνομουμένας τύχῃ ὁ ἄνθρωπος, *Rerum enim bonarum non solum possessionem, sed fructum quoq; habere convenit. Hæc autem omnia contingent, si quis civitatem bonis legibus constitutam nanciscatur.* - ὁ γὰρ ἄνθρωπος, κοινωνίας μέρος ἐστί· καὶ σὺν τούτοις ὁλόκλαρος γίνεται κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον, σὺν τῷ μὴ μόνον κοινωνεῖν, ἀλλὰ καὶ καλῶς κοινωνεῖν, *Homo enim est pars quadam communionis, atq; cum illis perfectus evadit, quibuscum non modò communicat, verum etiam benè communicat.* Unde porrò concludit hominis & civitatis bonum idem esse. *Nam sunt*, inquit, *quæ in pluribus simul, non autem in uno fieri queunt: aliæ in uno duntaxat, non item in pluribus, nonnulla tam in pluribus, tum in uno, ac ideò in uno, quoniam & in pluribus consistunt. E.g. Harmonia, concentus & numerus in pluribus essentiam suam habent, quippe nulla eorum pars est, quæ totum absolvere possit. Felicitas autem & virtus animæ in uno & in pluribus exstare potest, itemque in toto & in omni, & ideò in uno, quia pluribus etiam inest, & in pluribus, quoniam in toto & omni quoq; existit. Totius namque*, addit, *naturæ perfectio singula etiam perficit, & rursus perfectio singulorum, ipsum totum & omne absolvit. Quod inde fieri* dicit, *quia totum naturâ præcedit partem, non autem contra pars totum. Nam si non fuerit mundus, nec Sol erit, neq; Luna, neq; erraticæ stellæ, neq; fixæ. Mundo autem existente, illarum quoq; partium singulæ erunt. Porrò quemadmodum se habet ad partes, ita & virtutem totius se habere dicit ad virtutem partis. Nam nisi harmoniâ & prudentiâ divinâ mundus regeretur, non possent amplius in bono statu permanere, quæ in mundo continentur. Similiter si bona legum constitutio in civitatibus non vigeret, nullus civium bonus aut felix esse posset. Item nisi animal sanitate frueretur, non posset manus aut pes validus aut sanus esse. Nam harmonia est virtus mundi, felicitas civitatis, sanitas & robur corporis. Singulæ autem in ipsum totum & universum referuntur. Oculi enim pro toto corpore visum exercent, itemq; reliquæ partes & particulæ, propter*

 totum

totum & universum sunt constituta. Hæc ille, quæ sententiam Aristotelis de felicitate egregiè illustrare nemo diffitebitur, qui illam imbibit perfectè.

CCXCII. Sed & egregia valdè sunt, quæ in fragmento Euryphami Pythagorei hac de re leguntur. Verba ejus hæc sunt: εἷς ἕκαστος ἄνθρωπος αὐτὸς καθ' αὑτὸν οὐδεὶς ἐὰν ὅτε ποτὶ ζῆν ἐμοφροσυνᾳ ξυνᾷ καὶ ξυναρμογᾷ πολιτείας. αὐτὸς, καθ' αὑτὸν ἱκανὸς γέγονε, καὶ ποτὶ ὅλον καὶ τὸ τέλειον σύστημα, τᾶς κοινωνίας ἐνάρμοςος, *Vnusquisq; homo cum ipse nihil sit per seipsum, statim ubi in communi concordia, & concinnitate reipublicæ vivit, tum ipse secundum se contentus fit, tum ad totum perfectumq; communionis cœtum accommodus.* *Humana enim vita,* inquit, *lyra perfectæ & omnibus numeris absolutæ similis est. Nam quævis lyra tribus his opus habet, instructione, id est, omnium propriarum partium v. gr. chordarum & instrumentorum ad pulsum & sonum pertinentium apparatu; concinnatione sive mutua sonorum sibi invicem respondentium proportione; & deniq; contrectatione sive concinno istorum motu aut pulsu. Ad similem verò modum se habet vita humana. Nam & ea tribus hujusmodi indiget, instructione, sive vitæ partium pleno apparatu* (intelligit autem per *vitæ partes corporis bona, & pecuniarum, & gloriæ amicorum,* ut ipsemet mox exponit:) *concinnatione, quæ nihil aliud est, quam partium istarum ordinatio secundum virtutem & leges facta; & deniq; contrectatione earum concinnâ, quæ in bona & legitimâ temperatione consistit, virtute feliciter procedente, ac nihil foris obviam & adversum sibi habente.* Rationem addit: οὐ γὰρ ἐν τῷ ἀπερύκεσθαι τᾶς προθέσιας τῶν ἑκουσίων σκοπῶν πέπλοκε τὰ εὐδαιμονῆν, ἀλλ' ἐν τῷ κατα τυγχάνεσθαι· οὐδ' ἐν τῷ ἀδορυφόρητον ἦμεν καὶ ἀνυπηρέτατον τὰν ἀρετὰν, ἀλλ' ἐν τῷ συμπληροῦσθαι ταῖς οἰκήαις δυνάμεσι ποτὶ τὰς πράξιας, *Non enim felicitas consistit, si ab instituto operam sponte sibi propositorum arceatur, sed si eis potiatur. Neq; si virtus servitio & ministerio careat, sed potius si facultatibus suis ad actiones perficiatur.* *Non enim,* addit, *per se perfectus est homo, sed imperfectus, perficitur autem partim à se, partim*

ab

ab externa causa. Et perfectus evadit aut secundum naturam, aut secundum vitam. Secundum naturam quidem, si bonus fiat. Ἁ γὰρ ἑκάστω ἀρετά, ἀκρότας καὶ τελειότας ἐντὶ τᾶς ἑκάστω φύσιος, *Nam cujuslibet rei virtus excellentia & perfectio & suæ cuiq; naturæ.* Declarat id exemplo: *Veluti oculorum,* ait, *virtus præstantia & perfectio est naturæ oculorum aurium virtus, naturam aurium perficit. Sic ergò,* concludit, *etiam hominis virtus humanæ naturæ præstantia perfectioq; est. Secundum vitam verò perfectus est, si felix fuerit. Quippe felicitas perfectio & summa est humanorum bonorum.* Διὸ πάλιν ἀρετὰ καὶ εὐτυχία μέρεα γίγνονται, τῶ ἐπ' αὐτῷ βίω, τὰς μὲν ἀρετὰς ὡς ψυχᾶς κειμένας· τᾶς δ' εὐτυχίας, ὡς σώματος· τὸ δὲ συναμφοτέρων αὐτῶν, ὡς ζώω, *Proinde rursum virtus & prosperitas partes fiunt illius vitæ, quæ in felicitate vivitur, virtute veluti animâ ejus existente, bona fortuna autem veluti corpore, quibus conjunctis tanquam unum animal fit.* Ne autem aliquem lateat, quid utrumqve horum conferat ad felicitatem, subjungit: Τῶ μὲν γὰρ χρέεσθαι καλῶς αὐτὰν ἐπὶ τοῖς κατὰ φύσιν ἀγαθοῖς· τῷ δὲ ταῖς χρᾶσιν ἐμπαρέχεν· καὶ χρέεσθαι μὲν ἀρετᾶ, χρᾶσιν δὲ παρέχεν εὐτυχία· καὶ μὲν προαίρεσιν καὶ τὸν λόγον ὀρθὸν παρέχεσθαι. ἃ δὴ, τὰς ἐνεργείας καὶ τὰς πράξιας· τὸ μὲν γὰρ βωλήθημεν τὰ καλὰ, καὶ ὑποστᾶμεν τὰ δεινὰ, τᾶς ἀρετᾶς οἰκῆον ἐντί· τὸ δ' ὀρθοπλοῆσαι, τᾶς προαιρέσιος, καὶ ἐπὶ τέλος ἐλθεῖν τὰς πράξιας, τᾶς εὐτυχίας· ἐνίκασε γὰρ ὁ στραταγὸς, καὶ σὺν τᾷ ἀρετᾷ, καὶ σὺν τᾷ εὐτυχίᾳ· καὶ εὐπλόησεν ὁ κυβερνάτας, καὶ σὺν τᾷ τέχνᾳ, καὶ σὺν τοῖς θείοις πνεύμασιν· καὶ εἶδεν ὁ ὀφθαλμὸς καλῶς, καὶ σὺν τᾷ ὀξυδορκίᾳ, καὶ σὺν τῷ φαεί· καὶ ἄριστος ὁ βίος, ὁ τῶν ἀνθρώπων ἐγένετο, καὶ διὰ τὰν ἀρετὰν αὐτὰν, καὶ διὰ τὰν εὐτυχίαν, *Alterius officium est bonis secundum naturam benè uti, alterius verò usum sui exhibere. Nempe virtutis est uti: prosperitatis fortunæ usum præbere. Rursus illius est, animi propositum & rationem rectam præstare: hujus autem actiones & opera promovere. Siquidem de honestis deliberare* (cujus autem hoc nisi prudentiæ est, quæ virtus est animæ rationalis?) *& sustinere adversa* (hoc autem cujus nisi fortitudinis est, quæ cum virtus moralis sit ad alteram facultatem, quæ ἄνευ λόγω esse dicitur, pertinet)

tinet) *virtutis proprium est; hoc perficere, praelectionis: finem autem actionum consequi, fortunae secundae. Superat enim Imperator virtute simul & fortuna duce. Feliciter navigat gubernator & artis & secundi venti beneficio. Oculus acutè videt tum visus vigoris opera, tum lumine. Itidem vita humana evadit optima, virtutis pariter & prosperitatis causâ.* Hactenus Euryphanus.

CCXCIII. His gemina sunt, quæ habentur in Fragmento Archytæ Pythagorei sæpius jam citato: Τῷ ἀνθρώπῳ εὐδαιμοσύνα ἐξ ἐπιστάμας καὶ ἀρετᾶς, καὶ τρίτω εὐτυχίας σωματευμένα παραγίνεται· λέγω δὲ ἐπιστάμαν, σοφίαν μὲν τῶν θείων καὶ δαιμονίων, φρόνασιν δὲ τῶν ἀνθρωπίνων καὶ τῶν περὶ τὸν βίον· τὰς γὰρ λόγοις καὶ ἀποδείξεσι ποτιχρωμένας ἀρετὰς, δέον ἐπιστάμας, καταγορεύεν· Ἀρετὰν δὲ, τὰν ἠθικὰν καὶ βελτίσταν ἕξιν τῶ ἀλόγω μέρεος τᾶς ψυχᾶς, καθ' ἂν καὶ ποιοί τινες ἦμεν λεγόμεθα κατὰ τὸ ἦθος, οἷον ἐλευθέριοι, δίκαιοι καὶ σώφρονες· Εὐτυχίαν δὲ τὰν παρὰ τὸν λόγον τῶν ἀγαθῶν παρουσίαν, καὶ μὴ δι' αὐτὸν γινομέναν· Ἐπεὶ ὦν ἁ μὲν ἀρετὰ καὶ ἐπιστάμα ἐφ' ἁμῖν, ἁ δ' εὐτυχία οὐκ ἐφ' ἁμῖν· ἐν δὲ θεωρίαις καὶ πράξεσι τῶν καλῶν τὸ εὐδαιμονᾶν· αἱ δὲ θεωρίαι καὶ αἱ πράξιες ποτάνταις μὲν οὖσαι, λειτουργίαν καὶ ἀνάγκαν ἐπιφέροντι· εὐοδοῦσαι δὲ, διαγωγὰν καὶ ἐδαιμοσύναν· γίνεται δὲ ταῦτα ἐν εὐτυχίᾳ. Φανερὸν ὅτι οὐδὲν ἅτερόν ἐστιν εὐδαιμοσύνα, εἰ μὴ χρᾶσις ἀρετᾶς ἐν εὐτυχίᾳ. *Hominis felicitas ex scientia, virtute, deniq; prospera fortuna coalescens provenit. Appello autem scientiam quidem cognitionem numinis rerumq; divinarum* (quæ ad beatitudinem hominis contemplativam pertinet; quam cum activâ Archytas hic conjungit) *ac prudentiam humanarum rerum ac eorum quæ vitam spectant. Eas enim, quæ & verbis & demonstrationibus indigent, virtutes, fas est scientias appellare. Virtutem autem moralem eandemq; optimum habitum irrationalis partis animæ, secundum quàm qualitatem aliquam adipiscimur in moribus, ut dicamur liberales, justi & temperantes. Fortunam bonam verò si præter rationem bona eveniant, eâq; non adhibitâ. Quoniam ergò Virtus & scientia quædam nostri juris sunt, secunda autem fortuna non item: in contemplationibus autem & actionibus rerum honestarum fit ut felicitate fruamur. Contem-*

templationes autem & actiones qualibet dum adversantur, ministerium & necessitatem ingerunt: prospera autem dum succedunt, oblectationem & felicitatem, eaq; in prosperâ fortuna fiant, patet nihil aliud esse felicitatem quam usum virtutis in rebus secundis. Non pauca qvoq; his similia apud Platonem in Phileto & aliis locis occurrunt.

CCXCIV. Porrò & in II. Ethic. quamplurima sunt ex Platone aliisq; petita V. c. cap. I. initio probat virtutem non inesse φύσει sive natura. At hoc ipsum prolixè Plato qvoq; docet in Menone. In seqq. ostendit virtutem consuetudine & usu acquiri. Ut enim multū vel crebrò ædificando quis bonus ædificator redditur & multum canendo bonus Musicus: ita, inquit, justa crebrò agendo justi efficimur, & sic in cæteris. At his per omnia similia itidem Plato habet in IV. Polit: Ut, τὰ ὑγιεινὰ, inquit, ὑγιείαν efficiunt, τὰ δὲ νοσώδη νόσον· Ita & τὸ μὲν δίκαια πράττειν δικαιοσύνην ἐμποιεῖ· τὰ δὲ ἄδικα ἀδικίαν Videri potest idem & in Erastis. Plura non addimus. Quanquam multa talia proferri possent. Quæ enim in II. Ethic. de virtute disputat, ea exactè congruunt iis quæ Theages, Metopus, Archytas de virtutibus proponunt. Nec pauca ex illis apud Platonem cum in aliis locis, tum in Menone his exactè correspondentia reperimus. Quid dicam de aliis quæ in III. de fortitudine, in V. de Justitia, in VI. de sapientia, in VII. de voluptate & dolore, & VIII. de Amicitia differuntur. Satis multa eorum ex Platone desumta esse non dubitabit, qui ejus Lachetem, Critonem, Theagem, Theætetum, Philebum, Epinomidem, Lysiam, Symposium, & Politica, cumprimis verò etiam Dialogos de legibus, & ex his præcipuè Dialogum VI. attentius paulo perlegerit, & cum Aristotelicis contulerit.

CCXCV. Ex Politicis tamen fortassis non abs re fuerit unum adhuc atq; alterum locum verbis Veterum illustrasse. Lib. I. ergò eorum c. II. dicit Philosophus *conjunctionem maris & fœminæ à natura esse intentam, procreationis causa.* At hoc ipsum & Plato docet in Convivio. Eodem capite dicit Civitatem esse

perfectam societatem ex pluribus vicis conflatam, quæ sufficientiam omnium bonorum habeat & facta quidem sit vivendi gratia, constet autem benè vivendi ergò. Quæ & ipsa ex Platone videntur esse petita, & quidem ex II. de Rep. Sic enim ille isto loco: γίνεται τοίνυν, inquit, ἦν δ' ἐγὼ, πόλις ὡς ἐγῷμαι ἐπειδὴ τυγχάνει ἡμῶν ἕκαστος οὐκ αὐτάρκης, ἀλλὰ πολλῶν ἐνδεὴς, *Fit sane, inquam ego, civitas, ut arbitror, quod equidem sit nostrum unusquisque non sufficiens, sed multorum indigens.* Et hinc porrò fieri ait, *ut unusquisque à natura magis sit aptus ad rem aliquam, quam ad alias, veluti hic natura inclinat ad agriculturam, alter ad mercaturam, alius ad artem militarem &c. ut unus alteri subveniat, & sic ope aliorum quisque finem,* id est, felicitatem, *consequatur in societate civili, quam per se solus consequi non potest.* Non multo post, Aristoteles *civitatem* ait esse *naturâ priorem domo, quod totum sit natura prius partibus.* Sed idem docuisse Hippodamum Pythagoreum verba ejus confirmant, quæ paulò ante citavimus. Cap. III. quatuor facit Oeconomiæ partes, δεσποτικὴν, γαμικὴν, τεκνοποιητικὴν, & κτῆσιν. At harum tres enumerat & Callicratides ita scribens: Τῶν δὲ μερέων αὐτῆς δύο πρῶτα καὶ μέγιστα ἄνθρωπος καὶ κτᾶσις· ἀνθρώπω δὲ τῶ συμπληρεύντων τὸν οἶκον τοὶ μὲν συγγενέες, τοὶ δὲ οἰκῆοι· τῶ δὲ συγγενικῶ καὶ οἰκειακῶ μέρεος τῶ ἀνθρώπω τριτὸν εἶδος· τὸ μὲν γὰρ ἐντὶ ἄρχον, τὸ δὲ ἀρχόμενον, τὸ δὲ ἐπίκουρον τῶ οἴκω καὶ τᾶς συγγενείας, καὶ ἄρχον μὲν ὁ ἀνὴρ, ἀρχόμενον δ' ἁ γυνά· ἐπίκουρον δὲ τὸ γεννατὸν ἐκ τούτων, *Partium hominis duæ sunt, prima & maxima homo & res. Hominum autem domum adimplentium hi quidem cognati, hi autem domestici. Cognata verò & domestica partis hominis triplex species: aliud enim est imperans, aliud imperio subjectum, aliud auxiliare domus & cognationis, & imperans quidem vir, imperio subjectum uxor, auxiliare autem, quod genitum est ex his.* Hæ sunt duæ illæ Aristotelicæ rei familiaris partes, γαμικὴ & τεκνοποιητικὴ & tertia

tertia κτᾶσις, sive κτῆσις. Omnes autem quatuor describit Plato lib. III. de Legibus: Ἐν τε οἰκίαις, inquit, ὡσαύτως ἆρ' οὐχὶ ἓν μὲν τό τε πατρὸς καὶ μητρὸς, καὶ ὅλως γονέας ἐκγόνων ἄρχειν ἀξίωμα ὀρθὸν πανταχοῦ ἂν εἴη, *In domibus similiter nonne unam quidem patris & matris, & omninò parentes liberis imperare, autoritas recta utique fuerit.* Et mox: Τέταρτον δ' ἂν δούλους μὲν ἄρχεσθαι, δεσπότας δ' ἄρχειν, *quartum rursum servos quidem dominio subjici, dominos autem dominari.* Qui vult, legere quoqve potest Xenophontem Lib. V. Memorab. Socratis, qui Oeconomici præ se fert nomen. Porrò laudati I. Politicorum capite V. Philosophus hæc habet: *In iis, quæ ex partibus constant sive conjunctis, sive disjunctis conspicitur & imperans & parens, & imperium quidem est penes id, quod est præstantius. Ita cum animal constituatur ex anima & corpore, tanquam partibus diversis, illa quidem, cum præstantior sit corpore, imperat, hoc paret. Et in re domestica mas cum melior sit fœmina, imperat, hæc paret.* At idem habet rursus Archytas in Fragmento de lege & Justitia: Συνείρονται, ait, ταὶ πράξιες ἐκ τοῦ ἄρχειν καὶ ἐκ τοῦ ἄρχεσθαι· τὸ μὲν οὖν ἄρχειν τῷ κρείσσονος οἰκῆον, τὸ δὲ ἄρχεσθαι τῷ χερείονος, τὸ δὲ κρατὲν ἀμφοτέρων· ἄρχει μὲν γὰρ τὸ λόγον ἔχον τᾶς ψυχᾶς, ἄρχεται δὲ τὸ ἄλογον, *Actiones, quæ ex imperando & obediendo proficiscuntur inter se cohærent, & imperium quidem est præstantioris, obedire autem deterioris. Imperat enim pars illa, quæ rationem habet, paret quæ ratione destituitur.* Sed & Theages alia habet huc facientia lib. de Virtutibus, qui & rationem addit, cur id imperet, quod præstantius est. Συντέτακται γὰρ, inquit, τὸ χέρειον ἕνεκα τῶ βελτίονος· ὡς ἐν μὲν τῷ κόσμῳ τὸ αἰειπαθὲς πᾶν μέρος, ἕνεκα τῶ αἰεικινάτω· ἐν δὲ τᾷ συζυγίᾳ τῶν ζώων τὸ θῆλυ ἕνεκα τῶ ἄρρενος· ἐν δέ γε τᾷ ψυχᾷ τὸ ἄλογον τῷ λογικῷ, *Quod enim deterius est, præstantioris causa existit. Ut in mundo semper patiens pars est propter eam, quæ semper movetur: ita in animalibus fœmina est propter marem, in anima ratione carens pars propter compotem rationis*

Plato

Plato quoqve in Epimenide: Διαφέρει, inquit, ψυχὴ σώματος, ἔμφρον μὲν που, τὸ δὲ ἄφρον θήσομεν· ἄρχον δὲ, τὸ δὲ ἀρχόμενον, *Anima in eo differt à corpore, quod illa mentem habeat, hoc non, illa dominetur, hoc subjiciatur.* Idem habet & in Phædone, item in IV. de Rep. & alibi. Et ante eum quoqve Democritus apud Stobæum: Φύσει τὸ ἄρχειν οἰκεῖον τῷ κρέσσονι, *Naturâ imperare propriũ est præstantioris.* Bene autem, inquit, *naturâ*, præter naturam enim accidit non raro, ut corpus imperet, animus serviat, quod fit in vitiosis & intemperantibus, quod ipse Aristoteles dicto loco monet. Ait enim expresse id, *quod dixerat*, animam imperare, corpus parere, esse accipiendum de iis quæ κατὰ φύσιν se habent. In vitiosis enim sæpenumerò corpus animo imperat, propterea quod illi malè & præter naturam affecti sunt. At non ovum ovo similius esse potest, quam hæc sunt iis, quæ in eandem sententiam scribit Plato IV. de Rep.: Ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, inquit, περὶ τὴν ψυχὴν τὸ μὲν βέλτιον, τὸ δὲ χεῖρον· καὶ ὅταν μὲν τὸ βέλτιον φύσει τοῦ χείρονος ἐγκρατὲς ᾖ, τοῦτο λέγειν τὸ κρείττω αὐτοῦ, ἐπαινεῖ γοῦν· ὅταν δὲ ὑπὸ τροφῆς κακῆς, ἢ τινὸς ὁμιλίας κρατηθῇ ὑπὸ πλήθους τοῦ χείρονος σμικρότερον τὸ βέλτιον ὄν· τοῦτο δὲ ὡς ἐν ὀνείδει ψέγειν τε καὶ καλεῖν ἥττω ἑαυτοῦ καὶ ἀκόλαστον τὸν οὕτω διακείμενον, *In hominis anima duo quædam sunt. Unum quidem melius, alterum verò deterius. Et quando quod natura melius deteriori dominatur, tunc aliquis seipso potentior dicitur, atq; hoc sermone laudatur. Quoties autem propter improbam educationem, vel consvetudinem aliquam id quod melius est*, quum minus ipsum sit, deterioris *multitudine superatur, hoc opprobrio quodam vituperatur, & seipso imbecillius dicitur, & qui ita affectus est intemperans appellatur.* Ulterius citato capite Philosophus & hoc docet, esse quosdam, qui tam imbecillem naturâ rationem habent, ut perpetuo duce indigeant, qui actiones ipsorum dirigat. Et his servire melius esse dicit, quàm esse liberos. Idem verò denuò & Plato docet in Antiphone, atq; egregiâ ratione confirmat. *Unicuiq;*, inquit, *qui re aliquâ uti nescit, præstare usum istius rei intermittat, eumq; alteri relinquat, qui melius eam adhibere*

bere novit, veluti qui lyrâ uti nescit, eum præstat lyram seponere, ejusq; usum alteri concedere. Ergo similiter, concludit, ὅστις ψυχῇ μὴ ἐπίσταται χρῆσθαι, τούτῳ τὸ ἄγειν ἡσυχίαν τῇ ψυχῇ καὶ μὴ ζῆν, κρεῖττον ἢ ζῆν πράττοντι καθ' αὑτόν. Εἰ δέ τις ἀνάγκη ζῆν εἴη, δουλεύοντι ἄμεινον ἢ ἐλευθέρῳ διάγειν τῷ τοιούτῳ τὸν βίον, *Si quis anima* (ratione) *nescit uti, ei melius erit, ut otium agat, neq; vivat, quam ut vivat, & sui juris in agendo ipse sit, & si qua necessitas eum cogat vivere, melius ei est, ut servus vitam ducat, quàm liber.* Id quod simili egregio illustrat: Ἔστιν γὰρ καθάπερ πλοίου παραδόντα τὰ πηδάλια τῆς διανοίας ἄλλῳ τῷ μαθόντι τὴν τῶν ἀνθρώπων κυβερνητικήν, *Licet enim tanquam navis, ita & cogitationis gubernacula committere alteri, qui gubernatoriam humanæ vitæ sit adeptus.* Cap. IIX. artem οἰκονομικὴν & χρηματιστικὴν diversas esse probat ex eo, quod finis illarum sit diversus. Artes autem finibus distingui prolixè probat Plato in I. de Rep. οὐχὶ ἑκάστην μέν τι φαμὲν ἑκάστοτε τῶν τεχνῶν τούτῳ ἑτέραν εἶναι, τῷ ἑτέραν τὴν δύναμιν ἔχειν, οὐκοῦν καὶ ὠφέλειαν ἑκάστη τούτων ἰδίαν τινὰ ἡμῖν παρέχεται, ἀλλ' οὐ κοινήν; οἷον ἰατρικὴ μὲν ὑγίειαν, κυβερνητικὴ δὲ σωτηρίαν ἐν τῷ πλεῖν καὶ αἱ ἄλλαι οὕτω, *Nonne quaslibet,* inquit, *inter se artes diversas ex eo dicimus, quod diversam inter se habeant facultatem. — Et annon unaquæqve propriam nobis aliquam præbet utilitatem & non communem cum alia, veluti medicina quidem sanitatem, ars nautica in navigando salutem, aliæqve similiter?* Lib. III, cap. VI. discrimen facit inter imperia, & aliud quidem primariò spectare dicit salutem eorum, quibus imperatur, secundariò autem & salutem ejus, qui imperat, quatenus scilicet in eadem cum illis societate vivit, & tale esse dicit imperium Patris in liberos & uxorem: ἤτοι γὰρ, inquit, τῶν ἀρχομένων χάριν ἐστὶν ἢ κοινοῦ τινος ἀμφοῖς, *aut enim eorum gratia est, qui subsunt imperio, aut gratiâ alicujus, quod sit utrisq; commune.* Aliud autem dicit primò spectare salutem ejus, qui præest, quale herile ait esse imperium. Illud enim ita constitutum est, ut in eo Dominus primò suam respiciat utilitatem, servi autem secundariò & per accidens, ne pereunte i-

 pso

pso etiam Dominium perire videatur. Illi Aristoteles vult simillima esse civilia imperia, ut scil. imperantes, quia æqualibus, aut liberis hominibus imperant, pariter nō suam, sed subditorum spectent utilitatem. Quæ autem hanc non respiciunt, sed solum utilitatem imperantium, parentium utilitate neglecta, eas παρεκβάσεις esse dicit, τῶν ὀρθῶν πολιτειῶν, qualis est tyrannis, item Olygarchia & similes. lib. III. c. VII. Idem inculcat & IIX. Ethic. X. ut & VII. Polit. XIV. Sed ante eum jam idem docuit Plato in I. de Rep. idqve satis fusè, & ante utrumque Callicratides in libro de familiarum felicitate, nisi quod ille tria facit imperiorum genera, atque illud, quod communem respicit utilitatem, ab eo, quod eorum, qui sunt sub imperio, commodum spectat, distinguit. Verba ejus ita habent: Πρακτικᾶς καὶ κατὰ λογισμὸν ἀρχᾶς ἃ μὲν ἐντὶ δεσποτικά, ἃ δὲ ἐπιστατικά, ἃ δὲ πολιτικά· καὶ δεσποτικὰ μὲν ἐντί, ἃ τῶ ἰδίω συμφέροντες ἄρχοισιν, ἀλλ' οὐ τῶν ἀρχομένων· ταύταν γὰρ ἄρχεται ἀρχὰν ὁ μὲν δεσπότας, τῶν δώλων· ὁ δὲ τύραννος, τῶν ὑποτεταγμένων· ἐπισταλικὰ δὲ ἕνεκα τῶν ἀρχομένων, ἀλλ' οὐχ αὐτᾶς· ταύταν δ' ἄρχοντι ταὶν ἀρχὰν τοὶ μὲν ἀλεῖπται, τῶν ἀθλητῶν· καὶ τοὶ ἰατροί, τῶν νοσεόντων· καὶ τοὶ διδάσκοντες, τῶν διδασκομένων· οὐ γὰρ αὐτοῖς τὸ συμφέρον, ἀλλὰ τοῖς ἀρχομένοις ποτιποιοῦντι· τοῖς μὲν καμνόντεσιν, τοὶ ἰατροί· τοῖς δὲ σωμασκεῦσιν, τοὶ ἀλεῖπται· τοῖς δὲ ἀνεπιστάμοσιν, οἱ ἐπιστάμονες· πολιτικὰ δέ ἐντι ἀρχὰ ἅτις τέλος ἔχει, τὸ κοινᾶ συμφέρον καὶ τῶν ἀρχόντων καὶ τῶν ἀρχομένων· κατὰ γὰρ ταύταν τὰν ἀρχὰν, ἐν τοῖς ἀνθρωπίνοις, ὅτε οἶκος καὶ ἁ πόλις συνήρμοσται, *Activi & rationalis imperij aliud est herile, aliud præfectorium, aliud civile. Ac herile quidem est, quod ad summi, non ad subditorum commodum imperat. Istâ enim ratione Dominus quidem servis, tyrannus verò subditis imperat. Præfectorium verò subditorum, non verò propri. m utilitatem respicit. Et eo genere imperij imperant aliptæ athletis, Medici ægrotis, præceptores discipulis. Neq. enim in suam, sed in subditorum gratiam totam utilitatem procurant, ægrotantium quidem medici, corpus vero exercentium aliptæ, indoctorum deniq. docti. Civile autem imperium est, cui finis est propositus communis utilitas, tàm eorum, qui imperant, quam qui sub-*

*subditi sunt imperio. Secundum enim hoc genus imperij in rebus hu-
manis tum familia, tum civitas concinnatur.*

CCXCVI. Sed quid de Physicis dicemus? Sanè si in ullâ
disciplinâ veterum inventa in usum suum convertit, fecit id in
hac ipsa. Lubet & hoc uno atqve altero illustrare exemplo. Lib.
I. Phys. VI. t. 42. differens de principiis rerum per naturam gene-
rabilium, has illis assignat conditiones: *Oportet*, inquit, *principia,
neq; ex se invicem esse, neq; ex aliis, ex his autem omnia.* At hæ ipsæ
conditiones à Platone quoqve exprimuntur. Sic enim ille in
Phœdro: Ἀρχὴ δ' ἀγένητον· ἐξ ἀρχῆς γὰρ ἀνάγκη πᾶν τὸ γιγνόμενον
γίνεσθαι, αὐτὴν δ' ἐκ μηδ' ἐξ ἑνός, *Principium ingenitum est. Ex prin-
cipio enim omne genitum gigni oportet, ipsum verò ex nullo.* Porrò,
de materia prima, quæ unum est generationis principium, dicit
Philosophus, quod non cognoscibilis sit nisi καθ' ἀναλογίαν I.
Phys. I. 69. At idem ante eum scripserat Timæus Locrus, audi-
tor Pythagoræ, in libello de anima mundi. Sic enim de eo refert
Plato, quod dixerit, ταν ὕλαν λογισμῷ νόθῳ τῷ μήπω καθ' εὐθυω-
ρίαν νοεῖσθαι, ἀλλὰ καθ' ἀναλογίαν, *materiam cognosci adulterinâ
sive spuriâ quadam ratiocinatione, eò quod non rectâ quadam
animadversione intelligatur, sed per analogiam.* De eadem c. X.
t. 80. dicit, quod, cùm permaneat, *eorum, quæ fiunt unà cùm for-
mâ, causa sit* veluti *mater, quod subjectum patiens est, in quo ope-
retur efficiens, ut formam in eâ effingat.* At sub eadem similitu-
dine idem Timæus materiam adumbraverat. Sic enim eum
sensisse rursus Plato refert, τὰν ὕλαν εἶναι ἐκμαγεῖον, καὶ ματέρα, τι-
θάναν τε καὶ γεννατικὰν τᾶς τρίτας ὠσίας· δεξαμέναν γὰρ τὰ ὁμοιώματα
εἰς ἑαυτὰν, καὶ οἷον ἀναμαξαμέναν ἀποτελεῖν πάντα τὰ γεννάματα, *ma-
teriam esse velut effictile simulacrum, & matrem & nutricem & ad
generationem tertiæ essentiæ aptam. Qvum enim effigies rerum
in se susceperit & veluti impresserit, omnia genita producere.* Por-
rò I. Phys. t. 69. de materia scribit, qvod *æterna* sit & *inge-
nerabilis, non tamen sit ens, ut τόδε τι*; & alibi, quod sit apta
qvidem recipere formas, ipsa tamen per se sit ἄμορφος, ut
vide-

videre est, III de cœlo XII. t. 67. deniqve, quod *per seipsam neq; quid sit, neq; quantum, neq; aliud qvidpiam eorum, quibus ens definitur VII.* Met. I. At & hæc idem Locrus ante docuerat, materiam scil. esse ἀΐδιον, ἀλλ' ἄμορφον καθ' αὑτὰν, καὶ ἀσχημάτιστον δεχομέναν δὲ πᾶσαν μορφὰν, *informem per se & infiguratam, capacem tamen omnis formæ*, ut eodem loco refert Plato. Qui prolixius hæc deducit & aliquot similitudinibus declarat in proprio Dialogo de natura, cui Timæi titulum indidit, fortè quod Timæum illum Locrum quasi archetypum in Physicis rebus explicandis sibi proposuisset. *Primò*, inquit, *si quis cunctas figuras ex unâ eademq; auri materiâ fictas continuo in alias atq; alias reformet, deq; una aliqva illarum præsens aliqvis qvid sit qværat, verè & tutissimè respondere possumus, aurum illud esse, triangulum verò esse aut aliam figuram earum quæ impressæ sunt, illam materiam nullo modo putandum est, Eadem v. illius naturæ, quæ cuncta recipit corpora, ratio est. Ea semper idem esse dicenda est, siquidem ex propria potentia recedit nunquam. Suscipit enim semper omnia, nec ullam unqvam iis similẽ ullo pacto sibi formã contrahit.* Deinde, cum dixisset *tria* in naturalib9 cumprimis *spectãda* esse, *unum, quod gignitur, alterũ, in qvo gignitur, tertium à quo similitudinem trahit, quod nascitur*, tria hæc ita inter se comparat, ut *id, quod recipit*, (materiam,) dicat *similem* esse *matri: id, unde recipit* (ideam) *patri: naturam autem istorum mediam esse.* Addit autem hoc ita intelligendum esse, *quod cum esse debeat effigies rerum omni formarum varietate distincta, nunquam illud ipsum formationis bujus gremium* (materia sive subjectum) *possit esse præparatum*, πλὴν ἄμορφον ὂν ἐκείνων ἁπασῶν τῶν ἰδεῶν, ὅσας μέλλοι δέχεσθαί ποθεν, hoc est, *nisi sit informe & omnibus formis, quas unquam recepturum est, suaptè natura careat.* Rationem subjungit: ὅμοιον γὰρ ὂν τῶν ἐπεισιόντων τινί, τὰ τῆς ἐναντίας, τά τε τῆς τὸ παράπαν ἄλλης φύσεως ὁπότ' ἔλθοι δεχόμενον, κακῶς ἂν ἀφομοιοῖ, τὴν αὑτοῦ παρεμφαῖνον ὄψιν, *Nam si fuerit alicujus eorum, quæ in se recipit, simile, cum contrariam ejus, cujus simile est naturam, aut aliam prorsus susceperit, nequaquam ejus similitudinem & effi-*

giem exprimet, cum præ se tulerit suam. Concludit ergò: Διὸ καὶ πάντων ἐκτὸς εἰδῶν εἶναι χρεὼν, τὸ τὰ πάντα ἐκδεξόμενον ἐν αὐτῷ γένη, *Quapropter necesse est, ut nullam sibi propriam habeat speciem, quod est omnia genera suscepturum.* Id qvod rursus duplici similitudine illustrat. *Quemadmodum*, inquit, *qui ungventa suaviter redolentia confecturi sunt, humidam materiam, quam certo condire odore volunt, ita præparant, ut odorem nullum propriū habeat; & qui materiis mollibus impressioniqve cedentibus figuras inprimere aliquas volunt, nullam omninò in eis priorem figuram apparere patiuntur, sed exactissimâ quadam lævigatione eas poliunt: Ita illud, quod in omnibus passim æternorum omnium simulacris rectè figurandum est, his omnibus formis naturâ suâ carere necesse est. Quamobrem*, infert, *universi, quod genitum est, & omnibus manifestum, matrem ipsam receptaculumq́; neque terram, neq; aërem, neq; ignem, neq; aquam esse dicamus, neq; rursus ex his aliquid constitutum, aut aliqua, ex quibus propriè hæc ipsa subsistunt*, sed ἀόρατον εἶδός τι καὶ ἄμορφον πανδεχὲς, *invisibilem potius speciem quandam & informem sinum, omnium capacem.* Sed audiamus & Ocellum Lucanum ex lib. de natura universi c. II. t. 3. ubi materiæ naturā nobis his verbis describit: τοῦτο (loquitur de primo subjecto) εἴη πανδεχὲς καὶ ἐκμαγεῖον αὐτῆς τῆς γενέσεως, οὕτως ἔχον πρὸς τὰ ἐξ αὐτοῦ γενόμενα, ὡς ὕδωρ πρὸς χυλὸν, καὶ πρὸς ψόφον σιγὴ, καὶ σκότος πρὸς φῶς, καὶ ὕλη πρὸς τεχνιτεύ· τό τε γὰρ ὕδωρ ἄχυλον καὶ ἄποιον, πρὸς δὲ τὸ γλυκὺ καὶ τὸ πικρὸν ἀνάλογον, καὶ πρὸς δριμὺ καὶ ἁλμυρόν· καὶ ὁ ἀὴρ ἀδιατύπωτος πρὸς ψόφον καὶ πρὸς λέξιν, καὶ (πρὸς) μέλος· καὶ τὸ σκότος ἄχροον καὶ ἄμορφον, πρὸς λαμπρὸν καὶ ξανθὸν καὶ λευκόν· λευκὸν δὲ πρὸς ἀνδριαντοποιητικὴν, καὶ κηροπλαστικὴν, ἄλλως δὲ ἡ ὕλη πρὸς ἀνδριαντοποιητικήν· Δυνάμει γὰρ πάντα ἐν τούτῳ πρὸ τῆς γενέσεως, συντελείᾳ δὲ γενόμενα καὶ λάβοντα φύσιν, *Subjectum sive materia, omnia, quæ generantur, suscipit & est ipsius generationis simulacbrum, & ad ea se habet, quæ ex ipsa fiunt, ut silentium ad strepitum, & tenebræ ad lumen, & materia ad artificiale. Aqva enim sine sapore est & sine qualitate, ad dulce & amarum concinna, & acutum, ac salsum, &*

aër informis ad strepitum, elocutionem & concentum, & tenebræ sine colore, & forma, ad lucidum, flavum & album; album verò ad statuariam & ex cerâ effectricem, sed aliter materia ad statuariam. Potentia igitur omnia in hoc continentur, priusquam generantur, perfectione autem cum genita sunt & naturam (formam) *acceperunt.*

CCXCVII. Ita Aristoteli cum veteribus convenit in doctrinâ de materiâ. Nec tamen ideò quis crediderit, meritò ei crimen illud intentari, quod inurere ei nonnulli tentat, quasi veteres omnes eam materiæ conditionem, quâ ens in potentia esse dicitur, ignorasse, ipseq; primũ eam in lucem protraxisse scripserit I.Ph.c.IX.t.78. Non enim de omnibus id dicit, qui ante ipsum extiterant, Philosophis, sed illis tantum, qui eâ perciti dubitatione, quam t.71. proposuerat, in id erroris devenerant, ut assererẽt, nihil fieri seu generari, quod necesse sit, posito, quod aliquid fiat, fieri id aut ex ente, aut ex non ente, neutrum autem sit possibile. Neq; enim ex ente fieri, cum jam sit, neq; ex nihilo, cum ex nihilo nihil fiat. Hos ideò ait lapsos fuisse, quod divisionẽ entis in id quod est actu, & qvod est potentiâ, quale ens materiâ est, ignorarint. Deinde, licet veterum aliqui cognoverint, materiam esse omnia potestate, quæ in ipsa fiunt, vix tamen ullus, quantum sciam, est inter illos, qui dicat materiam esse potentiâ ens, sed ferè omnes materiam aliquam unam ponunt corpoream atq; separabilem, quod alibi observat Aristoteles nempe II. de Gen. & Corr. cap. I. t. 3. Ubi addit, ne ipsum quidem Platonem hanc rem satis distinctè determinasse. Non enim satis ex verbis ejus constat, num subjectum illud primum, quod omnia suscipit, velit esse separabile ab ipsis elementis, ita ut aliquando existat sub eorum forma aliquando non. Deinde etiam subjectum illud dicat elementis suis, esse prius, perinde ut aurum prius est operibus, quæ ex ipso fiunt, non satis sibi etiam hâc in parte constat. Quoties enim fermè compositum corpus in sua principia resolvit, toties fermè resolutionem facit in superficies;

es, quasi superficies sit materia, qvod tamen impossibile esse alibi est ostensum. Denique quemadmodum aurum de eo, quod ex auro comparatur, v.c. de statua dici putat, ita existimat & materiam dici de re genitâ. At neq; hoc verum est, neque illud. Nam ne statua qvidem rectè dicitur aurum, sed aurea, cum alia sit ratio ejus, qvod generatur, alia ejus quod alteratur. VII. Met. t. 26. Cum enim subjectum aliqvod alteratur, v.gr. cum ex statuâ albâ fit nigra, species non mutatur, at secus fit, cum quid generatur, veluti cum statua fit ex tigno aut limine. Quicquid sit, licet Plato in eo cum Aristotele sentiat, qvod materia nihil actu sit eorum, quæ ex ipsa fiunt, nuspiam tamen negat esse corpus aliquod separabile ab elementis, iisq;, quæ ex elementis fiunt, quinimò si rectè mentem ejus expendamus, videtur ille statuere materiam aliquam, olim à formis rerum naturalium separatam, Deoq; coæternam, ex qua DEUS in tempore produxerit res naturales. Nam & cœlum, & cum cœlo tempus aliquando cœpisse juxta Platonem, & ex Timæo ejus satis constat, & qvoqve Aristoteles ei tribuit IIX. Phys. t. 10. & I. de Cœlo t. 109. itemque Plutarchus II. de placitis Philos. c. IV. & Diogenes Laërtius in vitâ ejus. At Aristoteles dicit non solùm materiam esse potentiâ ea, quæ ex ipsa fiunt, sed per se & secundum totam naturam suam, nihil aliud esse, quàm *τὸ δυνάμει ὄν, ens potentiâ*, neqve ullo pacto separari posse, sed semper esse cum contrarietate I. Gen. & Corr. c. V. II. c. I. IV. de cœlo c. V. Unde soluturus dubium quærentiũ, num ens fieret ex ente, an ex non ente, respondet, neq; ex ente, neq; ex non ente, sed ex materia, quæ sit ens in potentiâ. Ad extremum aliqui veterum materiam non disjungunt à privatione, sed dum contemplantur aptitudinem, quæ illi inest ad suscipiendas formas, quibus caret, unum quid omninò videntur materiam cum privatione sibi annexa censere. Ita sanè sensisse videtur Ocellus, qui materiam exemplis illustraturus, tenebras assumit, quæ nil nisi privationem luminis exprimunt, ac si idem forent cum diaphano, quod est subje-

ctum

ctum ac veluti materia luminis II. de animâ t.69. & seqq. At Aristoteles rationem materiæ à privatione exactè distinguit I. Phys.t.58.& seqq. Ideoq; jure quorundam, quæ de materiâ posuerat, se affirmare potuit auctorem.

CCXCIIX. Præter materiam Aristoteles adhuc duo alia agnoscit generationis principia prima, quæ contraria esse dicit. Neq; enim *quodvis*, ait, fit ex *quovis*, *sed quicquid fit, fit ex contrario*, I. Phys.VI.t.43.seqq. At hoc ipso principio iterum utitur Plato, idqve per inductionem illustrat, in Phædone, ita scribens: Μὴ κατ' ἀνθρώπων μόνον, ἀλλὰ καὶ κατὰ ζώων πάντων καὶ φυτῶν, καὶ ξυλλήβδην ὅσαπερ ἔχει γένεσιν περὶ πάντων ἴδωμεν, ἆρ' οὑτωσὶ γίγνεται ἅπαντα οὐκ ἄλλοθεν, ἢ ἐκ τῶν ἐναντίων τὰ ἐναντία ὅσοις τυγχάνει ὄν τι τοιοῦτόν τι· οἷον τὸ καλὸν τῷ αἰσχρῷ, ἐναντίον που, καὶ δίκαιον ἀδίκῳ, καὶ ἄλλα δὴ μυρία οὕτως ἔχει· σκεψώμεθα ἄρα ἀναγκαῖον ὅσοις ἐστί τι ἐναντίον, μηδαμόθεν ἄλλοθεν αὐτὸ γίγνεσθαι, ἢ ἐκ τοῦ αὐτῷ ἐναντίου· οἷον ὅταν μεῖζόν τι γίγνηται, ἀνάγκη που ἐξ ἐλάττονος ὄντος πρότερον, ἔπειτα μεῖζον γίγνεσθαι; Ναί· οὐκοῦν κἂν ἔλαττον γίγνηται, ἐκ μείζονος ὄντος πρότερον, ὕστερον, ἔλαττον γενήσεται; Ἔστιν οὕτω· καὶ μὴν, ἐξ ἰσχυροτέρου γε τὸ ἀσθενέστερον, καὶ ἐκ βραδυτέρου τὸ θᾶττον; Πάνυ γε. Τί δὲ, ἄν τι χεῖρον γίγνηται, οὐκ ἐξ ἀμείνονος; καὶ ἂν δικαιότερον, οὐκ ἐξ ἀδικωτέρου; Πῶς γὰρ οὔ; Ἱκανῶς οὖν ἔχομεν τοῦτο, ὅτι πάντα οὕτω γίγνεται ἐξ ἐναντίων τὰ ἐναντία πράγματα; Πάνυ γε. *Non in hominibus solum, sed in animalibus omnibus & plantis, atq; ut summatim dicam, in omnibus, quæ gignuntur, in his, inquam omnibus consideremus, numquid omnia sic fiant, neq; aliunde, quàm ex contrariis contraria, quibuscunq; tale aliquid contingit, quemadmodum pulchrum turpi quodammodo contrarium est, & justum injusto, aliaq; ejusmodi quamplurima videmus. Ergo utrum necessarium est, cuicunq; aliquid est contrarium, nullo modo aliunde id, quàm ex suo contrario fieri? Veluti, quando quid majus efficitur, necesse est ex eo, quod ante fuerat minus, postea majus evadere? Ita est. Nonne et si minus aliquid fiat, ex eo, quod ante majus erat, postea fiet minus? Sic omninò. Quin etiam ex robustiori debilius, ex tardiori velocius? Prorsus. Quid vero? si quid evadat deterius, non-*

nonne ex meliori? Et si justius ex injustiori? Quidni? In omnibus ergò satis id exploratum habemus, omnia ita fieri, contraria vid licet ex contrariis? Prorsus. Hæc ille. Porrò eodem Phys. text. 50. *in unoquoq; genere, non nisi unam ait esse contrarietatem: unum enim uni contrarium esse.* At & hoc dogma apud Platonem reperitur. Sic enim ille in Protagorâ: οὐκ οὖν ἦν δ' ἐγὼ ἑνὶ ἑκάστῳ τῶν ἐναντίων ἓν μόνον ἐστὶν ἐναντίον, καὶ οὐ πολλά, *Nonne ergò inquam ego, unicuiq; contrariorum unum solum est contrarium, & non multa?* Et postea ait, *unum uni solum contrarium esse.*

CCIC. In II. Physic. inter alia de casu qvoqve differit & fortunâ, eàque in eo differre dicit, quod casus sit, cum *in rebus naturæ* aliquid per accidens evenit, ut si infans taurinus humano capite nascatur: fortuna autem, cum quid per accidens evenit *in iis, quæ fiunt ob* aliquem finem ex προαιρέσεως, ut si qvis fodiens agrum eo fine, ut arborem plantet, inveniat thesaurum. At in eadem significatione vocibus his usus fuerat ante eum Hippocrates lib. I. de morbis. *Cum* enim *in morbis homini quid accidit, sive boni, sive mali, Medico plane non operante, casu id evenire* dicit, ut si in morbo laterali aut pulmonis inflammatione detento, aut suppuratum thoracem habenti alvus perturbetur, aut febricitanti alvus resiccetur; si mulieri sanguinem vomenti, profluvium menstruum erumpat, aut ei, quæ fluore muliebri urgetur, ad nares aut os fluor transeat, item, si mulieri ex partu convulsione infestatæ febris succedat. Τὰ τοιάδε, inquit, ἀνθρώποισιν ἀπὸ ταὐτομάτου ἐν τῇσι νούσοισι γίνεται, τὰ δὲ κακὰ καὶ ἀγαθά, *Talia hominibus casu in morbis fiunt mala & bona, neq; enim ex Medici scientiâ, neq; ex inscitâ ejus contingunt.* At *cum Medicus operatur, & præter intentionem ejus aliqua accidunt, ea fortunâ* fieri astruit. ἀπὸ τύχης τὰ τοιάδε οἱ ἰητροὶ ποιέουσιν ἐν τῇ θεραπείῃ ἀγαθά, *Fortunâ talia faciunt Medici in curando bona,* veluti si medicamento purgante exhibito purgatio per superiora & inferiora rectè procedat; si mulieri exhibito medicamento, qvod bilem aut pituitam deorsum educat, menses retardati erumpant; si cui lie-

nem suppuratum habenti medicamento exhibito qvod bilem & pituitam deorsum educat, pus ex liene per inferiora expurgetur & æger morbo liberetur, sed & *κακὰ ἀπεργάζονται ἀπὸ ἀτυχίης, Mala aliqvando faciunt* Medici *fortunâ*, ut si exhibito medicamento, quod pituitam sursum educat, vena è pectore ex vomitu rumpat, cum nullus antea ibi manifestus dolor existeret, & morbus contrahatur: aut si mulieri uterum gerenti exhibito medicamento sursum purgante, alvus affatim deorsum erumpat, eaque fœtum per abortum ejiciat &c. Ulterius lib. IV. Phys. disserit Philosophus de *loco* & *tempore*, de quibus non pauca proponit iis, quæ ante ipsum à Platone & Pythagoreis, Archyta cumprimis, dicta fuerant, apprimè congruentia. Verum cum ea itidem collegerit Patritius, nolumus in iis repetendis tempus terere, ut nec in producendis iis, quæ ex Ocello Lucano, aliisqve Pythagoreis, petiisse videri posset. Adnotarunt enim ea, qvi notis aut commentariis Ocellum illustrarunt, Ludovicus Nogarola & Carolus Emmanuel Vizzanius Bononiensis. Quod autem Ocelli, Archytæ, aliorumque qvorum scripta ad ipsius manus pervenisse non dubitamus, singulatim non meminerit, mirum non est. Neq; enim dogmata, quæ isti tradiderunt, ipsorum fuêre propria, sed ex Pythagoræ scholâ profecta & sectæ Italicæ, cujus ille fuit conditor, communia. Sectæ antem hujus mentionem injicit Philosophus I. Met. t. 5. & alibi passim.

CCC. Deniqve, si quis libros, qvos de animalibus conscripsit Philosophus, non oscitanter pervolvat, atq; cum iis conferat, quæ ab Hippocrate in lib. de naturâ humanâ, de carnibus, de semine, de fœtus natura, de corde, de natura ossium, de glandibus, de insomniis, de visu & aliis scripta sunt, adeo cum illo consentire deprehendet, ut non pauca ex eo mutuatus esse non immeritò videri possit. Placet uno atqve altero exemplo & hoc illustrare. Lib. II. de part. Animal. cap. III. dicit, *sangvinem*, quantum ad *ὑποκείμενον*, quod sangvis esse dicitur, *non esse calidum*, *τό τί ἦν εἶναι* ejus autem esse, *calidum esse*. Ideoque

eoque ſanguinem eſſe, quaſi aquam ferventem uno nomine ſignificemus. At non ovum ovo ſimilius eſt, quàm verba hæc illis Hippocratis ex lib. de corde in fine: Τὸ αἷμα οὐκ ἔστι τῇ φύσει θερμόν, οὐδέ γαρ ἄλλο τι ὕδωρ ἀλλὰ θερμαίνεται, *ſangis naturâ calidus non eſt, ut neq; alia quædam aqua, ſed caleſcit.* Deinde lib. III. c. III. negat *potũ ad pulmones ferri per arteriam aſperam.* Aſt idem negat Hippocrates lib. IV. de morbis, eamq; rem pluribus iisq; egregiis, rationibus probat. Quodſi autem aliquid potûs aliquando in pulmones illabatur, id ſenſim fieri dicit ac inſtar roris, idq; iterum in libro de corde. Ulteriꝰ marem eſſe calidiorem fœminâ paſſim docet Ariſtoteles, veluti II. Part. II. III, I. IV. Gen. I. & VI. At idem docet Hippocrates lib. I. de diæta n. XXII. de Genit. VII. Partum in *menſem undecimum* cadere vult Ariſtoteles VII. Hiſt. c. IV. At idem vult & Hippocr. lib. de ſeptimeſtri partu. Lib. VII. Hiſt. Anim. c. IV. fœtum *menſe ſeptimo* editum vitalem eſſe ſcribit, octavo autem in lucem venientem non item, aut raro admodum. Aſt idem rurſus docet Hippocrates lib. de carnibus, citatus jam ante num. XXIIX. Venas ex corde ortum trahere paſſim Philoſophus inculcat. Aſt & hoc placitum eſt Hippocratis. Sic enim ille li. de carn. t. VI. Δύο εἰσὶ κοῖλαι φλέβες ἀπὸ τῆς καρδίης· τῇ μὲν ὄνομα ἀρτηρίη· τῇ δὲ κοίλη φλέψ, *Duæ enim ſunt cavæ venæ à corde. Huic quidem nomen arteriæ: huic verò venæ cavæ.* Ab his autem reliquæ continuo ductu per totum corpus derivantur, ſicut addit: Ἑνὶ δὲ λόγῳ, ἀπὸ τῆς κοίλης φλεβὸς, καὶ ἀπὸ τῆς ἀρτηρίης ἄλλαι φλέβες ἐσχισμέναι εἰσὶ κατὰ πᾶν τὸ σῶμα, *uno verbo, â venâ cava & ab arteriâ cæteræ venæ diſtribuuntur per totum corpus.* Sed & nervorum originem in corde videtur conſtituere, non minus ac Ariſtoteles, eodem loco: ὑμένες ἄλλοι τινὲς ἐν τῇσι κοιλίῃσιν ὁκοῖον ἀράχναι διαπετέες ζώσαντες πάντῃ τὰ στόματα κτηδόνας ἐμβάλλουσιν, ἐς τὴν στερεὴν καρδίην· οὗτοί μοι δοκέουσιν οἱ τόνοι τοῦ σπλάγχνου καὶ τῶν ἀγγείων, ἀρχαὶ τῇσιν ἀορτῇσιν, *Sunt quædam membranæ in ventriculis, velut araneárum telæ expanſæ oſcula undiq; cingentes & in ſolidam cordis ſubſtantiam filamenta immittentes. Hæ mihi videntur viſceris*

esse nervi & vasorum principia aortis exhibere. Figuram cordis totam non esse longam, sed rotundiorem, nisi quod in acutum se colligat, scribit I. Hist. XVII. At quid hoc aliud est, quàm quod Hippocrates in initio lib. de corde dicit: καρδίη, σχῆμα μὲν ὁκοίη πυραμὶς, *figura cordis, qualis pyramis dicitur.* Cordis tres esse ventriculos lib. I. Hist. An. XVII. docet, Lib. III. autem de Partibus c. VII. cor ventriculis bipartitum esse scribit. Quomodo autem hæc intelligenda sint, ex Hippocrate rursus quis posset conjectare. Nam, ut scribit ille c. I. cor δύο γαστέρας ἔχει διακεκριμένας ἐν ἑνὶ περιβόλῳ, οὐδὲν δὲ ἐοίκασιν ἀλλήλοισιν, *intra unum sepem duos habet distinctos sinus, sed nihil inter se similes, nisi in hoc uno,* quod *uterque,* μέσον τῆς βάσιος τοῦ κώνου καὶ τοῦ ὀξέος γύρωθεν, *medius inter basin coni & mucronem circulariter interjaceat,* ut loquitur Theophilus, *cæteris, sedibus, figuris ac magnitudine sunt dissimiles.* Porro, quod anima secundum substantiam in corde sit constans est Aristotelis sententia, sicuti videre est II. Part. An. VII. lib. III. c. IV. II. Gen. An. VI. Ast non alia rursus est & Hippocratis. Sic enim ille c. I: γνώμη γὰρ ἡ τοῦ ἀνθρώπου πέφυκεν ἐν τῇ λαιῇ κοιλίῃ, καὶ ἄρχει τῆς ἄλλης ψυχῆς, *Mens humana in sinistro ventriculo à naturâ insita est, & reliquæ animæ imperat.* Lib. III. Part. An. IV. cor dicitur ἀρχὴ καὶ πηγὴ τοῦ αἵματος, *principium & fons sanguinis.* At idem apud Hippocratem lib. IV. de Morb. t. 11. qui & lib. de corde text. V. occurrit: de ventriculis cordis sic loquitur: αὗται πηγαὶ φύσιος ἀνθρώπου· καὶ οἱ ποταμοὶ ἐνταῦθα ἀνὰ τὸ σῶμα, τοῖσιν ἄρδεται, τὸ σκῆνος· οὗτοι δὲ καὶ ζωὴν φέρουσι τῷ ἀνθρώπῳ· κὴν αὐανθέωσιν, ἀπέθανεν ὁ ἄνθρωπος, *Hi sunt naturæ humanæ fontes, hincque flumina excurrunt, quibus corporis alveus irrigatur: Atque hæc vitam homini conferunt, & si resiccata fuerint, homo perit.* Cætera mitto. Nam vel ex his etiam satis jam manifestum est, non præter rem dictum esse, quod scribit Galenus lib. I. method. med. c. II. ἐξηγητὴν εἶναι τῶν περὶ φύσιος λογισμῶν Ἱπποκράτους Ἀριστοτέλην, *interpretem cogitationum Hippocritis de Natura Aristotelem esse.*

CCCI. Deniqve & in Metaphysicis non pauca sunt, quæ aliun-

aliunde Philosophus accepit. Lib. I. c. I. *ex sensibus memoriam fieri ait, ex memoria experientiam, ex experientia* autem *scientiam & artem.* At his respondent rursus Hippocratis illa: ὁ λογισμὸς μνήμη τίς ἐστι ξυνθετικὴ τῶν μετ' αἰσθήσεως ληφθέντων· ἐφαντασιώθη γὰρ ἐναργέως· ἥ τε αἴσθησις προπαθὴς, καὶ ἀναπομπὸς ἐοῦσα εἰς διάνοιαν τῶν ὑποκειμένων ἡ δὲ παραδεξαμένη πολλάκις, οἷς, ὅτε καὶ ὁποίως, ταῦτα τηρήσασα, καὶ ἐς ἑωυτὴν καταθεμένη, ἐμνημόνευσε. Hæc ille in lib. præceptionum. Quæ quidem hunc habent sensum: *Ratiocinatio* (quâ scilicet utitur ars medica, reliquarum artium autem & scientiarum eadem est ratio) *in eorum, quæ sensu comprehenduntur, memoria sive recordatione quâdam consistit. Sensus namq́, antea passus* (ab objectis scil. sensibilibus) *ad* διάνοιαν *transmittit perceptionem rerum subjectarum. Hæc autem, ubi frequenter acceperit, quibus, quando, & quomodo hæc conservans & in seipsam reponens recordatur,* &, quod paucis interjectis addit, ὕστερον εἰς ἀλήθειαν ἤγαγον, *ad veritatem postea deducit.* Similia his habet & Plato in Phædone & Georgiâ. Eodem loco *visum* ait *maximè* inter omnes sensus *ad scientiam* conferre, quod plures differentias manifestet. At hoc ipsum ante eum itidem dixerat Plato in Timæo. Sic enim ibi ὄψις δὴ, inquit, κατὰ τὸν ἐμὸν λόγον αἰτία τῆς μεγίστης ὠφελείας γέγονεν ἡμῖν· ὅτι τῶν νῦν λόγων περὶ τοῦ παντὸς λεγομένων, οὐδεὶς ἄν ποτε ἐρρήθη, μήτε ἄστρα μήτε ἥλιον, μήτε οὐρανὸν ἰδόντων, νῦν δ' ἡμέρα γε καὶ νὺξ ὀφθεῖσαι, μῆνες τε καὶ ἐνιαυτῶν περίοδοι· μεμηχάνηνται μὲν ἀριθμὸν, χρόνου δὲ ἔννοιαν· περί τε τῆς τοῦ παντὸς φύσεως ζήτησιν ἔδοσαν, ἐξ ὧν ἐπορισάμεθα φιλοσοφίας γένος, οὗ μεῖζον ἀγαθὸν, οὔτ' ἦλθεν, οὔθ' ἥξει ποτὲ τῷ θνητῷ γένει δωρηθὲν ἐκ θεῶν, *Rerum optimarum, ut arbitror, cognitionem nobis oculi attulerunt. Nam hæc, quæ de mundo disputantur, nunquam inventa essent, si neq́ sidera, neq́ Sol, neq́ cœlum aspici potuissent. Cognitio verò diei ac noctis ab oculis orta, facit, ut dinumeratione quadam mensium annorumq́ ambitus metiremur, tempus cognosceremus, universæ naturæ ordinem scrutaremur; quibus ex rebus Philosophiam adepti sumus. Quo bono nihil unquam majus mortalium generi datum est Deorum*

munere, neque dabitur. Capite II. ejusdem libri sapientiam dicit versari *circa primas causas & principia prima.* At idem jam ante docuerat Peryctiones Pythagoreus. Sic enim ille libro de sapientiâ: Σοφία τὰς τῶν ἐόντων ἁπάντων ἀρχὰς ἀνιχνεύει, *Sapientia entium omnium principia indagat.* Et unâ atq; altera lineâ interjectâ: ὅστις ὢν ἀναλῦσαι οἷός ἐστι πάντα γένη ὑπὸ μίαν καὶ τὰν αὐτὰν ἀρχὰν, καὶ πάλιν ἐκ ταύτας συνθεῖναι καὶ ἀριθμήσασθαι, οὗτος δοκεῖ καὶ σοφώτατος εἶναι, καὶ ἀληθέστατος, *Quisquis resolvere potis est omnia genera ad unum idemq; principium, iterumque ex eo componere & enumerare, hic & sapientissimus esse & verissimus videtur.* Eodem respicere videtur & Plato in Timæo, dicens: Τὸν νοῦ καὶ ἐπιστήμης ἐραστὴν, ἀνάγκη τὰς τῆς ἔμφρονος φύσεως αἰτίας πρώτας μεταδιώκειν, *Mentis & scientiæ amatorem,* id est sapientem. (sapientia enim ex mente & scientia componitur V. Ethic. VII. & I. M. M. ult.) *Oportet principales sapientiæ quærere causas naturæ.* Eodem capite *propter admirationem,* inquit, *& nunc & primo incepere homines philosophari.* Sed & hoc rursus desumptum videtur ex Platonis Theæteto, ubi hæc leguntur: Μάλα φιλοσόφου τοῦτο τὸ πάθος, τὸ θαυμάζειν, οὐ γὰρ ἄλλη ἀρχὴ φιλοσοφίας ἢ αὕτη, *Philosopho maximè usu venit, ut admirentur. Neq; enim aliud præter hoc Philosophiæ est principium.* Sed satis etiam de veteribus ante Philosophum nostrum.

CCCII. His porrò jungi possunt Commentarii Interpretum, qui tamen omnes non eodem loco sunt habendi. Dividuntur illi in Græcos, Arabes & Latinos. Ex qvibus *Græcos* esse optimos dubium non est. Utinam verò omnium, qui ex Græcis in Aristotelem commentati sunt, scripta ad nos pervenissent, multum sanè lucis inde haurire possemus. At pauca sunt, quæ adhuc extant. Et primus qvidem eorum, quorum commentarios in Aristotelem nostra ætas vidit, est *Andronicus Rhodius,* qui sub Sylla Consule Rom. floruit & primus libros à Tyrannione Grammatico adeptos recognovit, restituit, & ea quæ hodie circumferuntur, volumina edidit, cui adscribitur Paraphrasis Ethi-

corum,

corum, quam edidit Græco-Latinam & notis illustravit Daniel Heinsius. Verum certo non constat, num sit ejus, annon. Hunc sequitur *Aspasius*, discipulus Alexandri Ægæi, qui claruit sub Nerone. Is sæpè citatur à Boëthio & Simplicio, verum ex operibus ejus nihil superest præter commentaria in aliquot libros Ethicorum ad Nicomachum. Seculo III. tempore Antomini Imperatoris vixit *Alexander Aphrodisæus*, cujus Cõmentarii in IIX. Topicos, itemq; in Sophist. Elench. in I. prior. Analyticor. nec nõ in posteriora Analytica, porrò in libros de Anima, & Meteorologicos, item & in Librũ de sensu & sensibili, deniq; & in Metaphysica Aristotelis adhuc supersunt. Eodem tempore celebris fuit *Galenus*, qui & ipse, Aristotelicæ Philosophiæ in plerisq; addictus, in principem Philosophiæ hujus commentaria scripsit, verum nihil ex iis superest, nisi quod in aliquot verba lib. Sophist. IV. est commentatus. Sub Aureliano autem eodem Seculo claruit *Porphyrius*, cujus Dialogus in Categorias etiamnum extat. Hujus præcipuus auditor fuit *Jamblichius*, qui & ipse quidem aliquos explanavit Aristotelis libros, ceu constat ex Simplicii testimoniis. Filii autem ejus, *Dexippi* (fuisse enim hunc Jamblichii filium nonnulli existimant & ex eo colligunt, qvod Simplicius procemio in lib. Categor. eum appellet ὁ ἰαμβλίχου) dialogum in Categorias adhuc hodiè habemus. Sec. IV. sub Juliano & Joviniano vixit *Themistius*, quod narrat Auctor Tripartitæ lib. VII. c. VI. & lib. IIX. c. XII. Hic Paraphrasi perspicuâ exposuit libros posterioris ἀναλύσεως, item libros IIX. Physicorum, & IV. de cœlo nec non libros de Animâ, & parva, ut vocant, naturalia, quibus omnibus adhuc fruimur. Eodem seculo sub Arcadio, Honorio, Theodosio secundo & Valentiniano secundo floruit *Syrianus*, cujus Commentaria in II. XII. & XIII. Metaph. adhuc supersunt. Eodem tempore Alexandrinæ scholæ in Peripateticis præfuit *Olympiodorus*, cujus aliqua Commentaria in Aristotelis Meteora ad nos pervenerunt. Post hos vixit *Proclus*, cujus discipulus fuit *Ammonius Hermias*. Hic inter alia scripsit in

Porphy-

Porphyrium, Categorias & librum περὶ ἑρμηνείας, quibus etiamnum gaudemus. Auditores habuit *Simplicium*, cujus prolixa commentaria in Categorias, in libros Physicos, de Cœlo, & de Anima adhuc supersunt: & *Johannem Philoponum*, cognomento Grammaticum, qui itidem satis prolixè & egregiè commentatus est in Physicos, Analyticos & alios libros, qui adhuc hodie leguntur. Circumferuntur & sub nomine ejus Commentaria in Metaphysicos libros à Frāci∫co Patritio editi & Latinitate donati, sed ea non sapiunt Philoponi stylum & acumen. Aliqvot Seculis abhinc, nempe Sec. XI, floruit *Eustratius*, Archiepiscopus Nicænus, qui in aliquot Nicomachicos itemq; in II. Poster. commentaria reliquit, qvi itidem adhuc inserviunt usibus nostris. Post sub Michaële Stratiotico claruit *Michael Psellus*, qui in librū de Interpretatione scripsit; inde *Michael Ephesius*, cujus brevia habemus commentaria in parva naturalia, & libros de partibus Animalium; item *Magentinus*, qui in librum Categoriarum & de Interpretatione scripsit.

CCCIII. Hi ferè sunt, quos ex Græcis interpretibus seculum nostrum vidit, inter quos palmam cæteris omnibus facilè præripit Alexander Aphrodisiensis. Hic enim Aristotelis sententiam maximè sequitur, optimeqve defendit. Nec ubi Aristoteles à Platone dissentit, defendit Platonem, ut Simplicius facit, itemqve Eustratius; vel cum eo conciliat, ut Ammonius: sed addit argumenta alia, quibus Aristotelis sententia roboretur, Platonis refellatur, quemadmodum & aliarum sectarum opiniones, ubi Aristoteli adversantur, impugnat, præcipuè Stoicorum. Quam ob causam & Plotinus, nobilis ille Philosophus Platonicus, Alexandrum inprimis consulere solitus fuit, ad mentem Aristotelis probè percipiendam, ut testis est Porphyrius in vita ejus. Sed & Hieronymus in epistolâ ad Domnionem refert, se Alexandri Commentarios Latinè vertisse ad Philosophiam discendam. Denique omnes Græci Aristotelis explanatores eum *καὶ' ἐξοχὴν* vocant *ἐξηγητὴν*, h. e. *interpretem*, quod omnium optimè

mè mentem Ariſtotelis & aſſecutus ſit, & pertraxerit in lucem. Poſt Alexandrum legendus eſt Themiſtius, qui & ipſe purior eſt Peripateticus, quàm cæteri, quorum plerique, excepto Olympiodoro, qui & ipſe Germanus fuit Peripateticus, nimis ſunt Platonis ſtudioſi, indeqve fermè quotiescunque in eum invehitur Ariſtoteles, calumnia ipſum ab illo affici queruntur, quaſi verba Platonis tantum, non ſententiam ſpectarit. Exemplo nobis ſit diſputatio illa celebris de ideis. De his enim eandem cum Platone foviſſe ſententiam, & nil niſi verba ejus, quæ ad malum ſenſum trahi poterant, reprehendiſſe diſertè ſcribit Simplicius, cum alibi, tum III. de cœlo, his verbis: Ὅ δὲ πολλάκις εἴωθα, καὶ νῦν εἰπεῖν ἄριστον, ὅτι οὐ πραγματική τις διαφωνία τῶν φιλοσόφων ἐστὶν, ἀλλὰ πρὸς τὸ φαινόμενον τοῦ λόγου τὸ δυνάμενον φαύλως νοεῖσθαι πολλάκις ἀπαντῶν ὁ Ἀριστοτέλης φειδόμενος τῶν ἐπιπολαίως νοούντων τὸν Πλάτωνα ἀντιλέγειν φαίνεται πρὸς αὐτόν h. e. vertente Mureto. *Quod autem crebris uſurpare ſermonibus ſoleo, id nunc quoque dicere operæ pretium eſt, inter Philoſophos* (intelligit Platonem & Ariſtotelem) *nullam quidem eſſe de rebus ipſis diſcrepantiam, ſed Ariſtoteles ſæpenumero dum occurrit ei ſententiæ, quam quis ex male accepta Platonis oratione elicere poſſet, eorum nominibus parcens, qui Platonis verba modò, non ſententias intelligunt, ipſi Platoni adverſari ac contra eum dicere videtur.* In eadem ſententia & Ammonius eſt, aliiqve. Verum non facilè hæc ſibi perſuaderi patietur, quisquis rectè expenderit, quæ nos ex ſententia Platonis de ideis docuimus ante. Ex iis enim ſatis manifeſtum eſt, Ariſtotelem ſententiæ Platonis è diametro adverſari. Et quid tam leve, tam nugatorium, tam alienum à Philoſophicâ gravitate eſſe poteſt, quàm verba alicujus captare ac cavillari, cum in ſententia non eſt, quod reprehendi queat? Sophiſtarum hoc eſt, Philoſopho autem planè indignum. Quid multa? Ariſtoteles ipſe expreſsè ait, ſe Platonem ipſum petere & ab eo diſſentire, & interdum excuſat ſe, ut I. Ethic. c. VI. (IV,) interdum indicat cauſas, quæ Platonem in errorem impulerint, veluti I. Met. c. VI. &c.

CCCIV. Inter Arabes Aristotelis interpretes princeps locus datur Avenroi, qui Cordubæ floruit in Hispania anno à nato Christo CIↃ CL, pervenit ad summam senectutem, & in omnes Aristotelis libros scripsit, unde & κατ' ἐξοχὴν dictus commentator. Concinnavit autem commentaria non suo marte, sed ex Græcorum scriptis, quanquam interdum etiam ab iis dissentiat, non satis assecutus mentem illorum. Deniq; ex Latinis interpretibus, quos habemus, primus est AnitiusManilius Severinus Boetius Vir Consularis Romanus, qui Seculo VI. claruit sub Theodorico Gothorum Rege, à quo & capite ob suspicionem truncatus est. Scripsit commentaria satis erudita in Categorias & librum de Interpretatione. Fuit tamen & hic nimis Platonis studiosus, promittitq; in librum περὶ ἑρμηνείας, se de Platonis & Aristotelis concordiâ scripturum esse. Præter hunc autem pauci fuere inter Latinos, qui Aristotelis libros evolverent, donec ab Arabibus Philosophiæ studia ad Latinos transirent, quod factum Sec. XIII. a.C.N. quo ferè omnes Aristotelis libros, præsertim Metaphysicos, commentariis non contemnendis illustrare cœpit Albertus Magnus nobilis Svevus, Ratisbonensis Episcopus & Doctor Coloniensis. Hujus discipuli multi fuerunt, præcipuus autem inter omnes D. Thomas Italus Aquinas, qui pariter in multos Aristotelis libros commentaria reliquit, cæterorum Scholasticorum omnium post ipsum scriptis præferenda. Post hunc Sec. XIV. floruit Johannes Duns, natione Scotus, Ordinis Minorum, Thomæ adversarius, sed ei minimè comparandus. Plurimum enim abit ab Aristotelis Philosophia. Deniq; eos secuta est ingens Monachorum multitudo, in diversas divisa sectas, Thomistarum, Scotistarum, Occamistarum, Nominalium, Realium, quorũ multi itidem in Aristotelem commentati sunt, verum pleriq; altercationibus atq; dubitationibus suis, quas de singulis penè rebus citra omnem necessitatem & quidem non convenienti loco movent, mentem Aristotelis magis obscurant, quàm dilucidant. Neq; enim id pensi habent, ut hanc candidè

& di-

& dilucidè proponant, sed ut eum nolentem volentem ad suam opinionem trahant, atque ex una dubitatione alteram derivent, ne ipsos deficiat materia, supra quâ contendant subtilitatemque ingenii sui ostendant. Ut in eos apprimè quadret, quod olim in Græciæ Philosophos pueros que scripsit Diodorus Siculus lib. II. Bibl. c. XXXIX. dicens: *Græci ex artificio lucrũ captando, novas condunt sectas, & de maximis inter se theorematis opinionibus contrariis disceptando; faciunt, ut discipuli sententiis huc illuc ancipites fluctuent, animiq; ipsorum per omnem vitam suspensi, dubiiq; manent, nec ulli rei certam tribuere assensionem queant.* Itẽ, quod in ἐρωτικοῖς Plutarch. dixit lib. περὶ τοῦ ἀκούειν, ita scribens: ἕτεροι, δὲ περιττῆς καὶ δριμύτητος ἐν οὐ δέοντι θηρώμενοι δόξαν ἀποκναίουσι λαλιᾷ καὶ περιεργίᾳ τοὺς λέγοντας, ἀεί τι προσδιαπορεῦντες τῶν οὐκ ἀναγκαίων, καὶ ζητοῦντες ἀποδείξεις τῶν οὐ δεομένων. οὕτως ὁδὸς βραχεῖα γίγνεται μακρὰ, ὥς φησι Σοφοκλῆς, οὐκ αὐτοῖς μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις. ἀντιλαμβανόμενοι γὰρ ἑκάστοτε κεναῖς καὶ περιτταῖς ἐρωτήσεσι, τοῦ διδάσκοντος, ὥσπερ ἐν συνοδίᾳ, τὸ ἐνδελεχὲς ἐμποδίζουσι τῆς μαθήσεως, ἐπιστάσεις καὶ διατριβὰς λαμβανούσης· οὗτοι μὲν οὖν κατὰ τὸν Ἱερώνυμον, ὥσπερ οἱ δειλοὶ καὶ γλισχροὶ σκύλακες τὰ δέρματα δάκνοντες οἴκοι καὶ τὰ τίλματα τίλλοντες, τῶν θηρίων αὐτῶν οὐχ ἅπτονται, *Contemplationis*, inquit, *& acritatis intempestivè gloriam venantes retardant loquacitate & superfluitate dicentes, semper aliquid addubitantes non necessarium, & requirentes demonstrationes rerum, iis non egentium. Sic via brevis fit longa, ut ait Sophocles, non ipsis solùm, sed & aliis. Retardantes enim in singulis rebus docentem vanis & superfluis interrogationibus veluti in trivio, impediunt disciplinæ continuationem, quippe interceptiones quasdam & remoras accipientis. Atq; quidem secundum Hieronymum* (est hic antiquissimus aliquis Peripateticus) *veluti timidi ac gulosi canes, coria domi mordentes & pilos vellicantes, ipsas feras non attingunt.* Hæc ille. Quibus subjungere placet judicium Johannis Aventini ex lib. VI. Annalium Bojorũ, sive veteris Germaniæ, de Scholasticis Doctoribus. Sic autem ille: *Hisce temporibus*, (sub quæ

Gratianus Jus Pontificale dilaniavit atque confudit) *fuisse reperio Rucelinum Britannum, Magistrum Petri Abaëlardi, novi Lycæi conditorem. Qui primus scientiam vocum sive dictionum instituit, novam philosophandi viam invenit. Eo namque authore duo Aristotelicorum Peripateticorum genera esse cæperunt, unum illud vetus, locuples in rebus procreandis, quod scientiam rerum sibi vendicat, quamobrem Reales vocantur: alterum novum, quod eam distrahit, Nominales ideò nuncupati, quod avari rerum, prodigi nominum atq; notionum verborum videntur esse adsertores. In hisce duobus generibus dissidium & bellum civile est, illius Thomas Aquinas Italus & Johannes Duns Scotus: hujus Wilhelmus Occomensis Anglus-Marsilius Heidelbergensis Academiæ, Johannes Buridanus Viennensis Gymnasii institutor, Gregorius Ariminensis- antesignani sunt. Alios, & tot munitos Peripateticæ familiæ Philosophos & proximos quosq; à prioribus dissentientes prætereo. Aliis subinde aliæ opiniones, alia placita sunt, ita fit, ut nulli duo concinant - Acutissimus censetur, qui maximè ab aliis discrepavit. Eruditionem discordiâ metiuntur, se invicem jugulant, seipsos invicem conficiunt, atque consumunt. Nunquam concordes, nisi cum conspirarint: sunt, qui armati adversus omnes omnium reprehensiones inter se colligant, eamq; pestem Grammaticæ, Theologiaq; invexere, nimirum Scholasticæ atq; Umbraticæ. Nihil potest sine suo interitu sibi esse contrarium, illa interiit, hæc nunc in se victas convertit manus.* Non absimile huic est judicium Joannis Ludovici Vivis ex lib. I. de causis corruptarum Artium, ubi inter cætera & hoc dicit, *Scholasticos tot nugas ex Aristotelis*, ut ipsos quidem putare ait, *dogmatibus excruciasse, ut ipse si reviviseeret, ne suos quidem libros, ut ipsi quidem explicant esset intellecturus.*

CCCV. Parum ergò horum hominum lectione quis juvari poterit ad intelligendam mentem Aristotelis: hâc tamen aliunde perceptâ poterunt & illi usui esse, præsertim in iis, quæ ad Practicas pertinent disciplinas. Nam & plura argumen-

menta, si non demonstrantia, Dialectica tamen, in iis, inveniet, quibus sententia Aristotelis confirmari queat, & dubia, quæ adversus eam moveri possint, de quorum solutione si attentius cogitaverit, in sententia tanto magis stabilietur. Præstabit tamen horum lectioni præmittere non solum lectionem aliorum interpretum, Græcorum, & Arabum, sed & aliorum cùm veterum, tum recentiorum auctorum, qui etsi commentaria in Aristotelem non scripserunt, doctrinam tamen ejus, sive in omnibus, sive in nonnullis, amplexi & secuti fuerunt. Nam ex Pythagoreis quoq;, qui Aristostelis tempora secuti sunt, velut Jamblichio & aliis, ex Platonicis item, veluti Plotino, Plutarcho, Proclo, Apulejo, Chalcidio, Maximo Tyrio, Alcinoo, Bessarione Cardinali, Marsilio Ficino &c. & Stoicis, Epicteto, Cicerone, Ariano, M. Aurelio Antonio &c. quin & Scepticis, inter quos primas tenet Sextus Empiricus Cheronensis, aliisque partim Philosophicis, partim historicis peti possunt, quæ pro stabiliendis & illustrandis dogmatibus Aristotelis faciant, si quando consentiant cum illo. E.gr. I. Ethic. c.V. (III.) probare conatur, *voluptatem non esse summum bonum.* At idem prolixè ex Stoicis confirmant Cic. II. de fin. bonorum & malorum, & Seneca lib. de beata vita, ut Platonicorum, aliorumq;, nunc mentionem non faciamus. Eodem I. Ethic. principium dicit *plus* esse, quàm *dimidium totius.* Idem verò habet & Polybius, qui inter alia lib. V. ita scribit de principio: Θαῤῥῶν γὰρ ἄν τις εἴποι, οὐχ ἥμισυ τὴν ἀρχὴν εἶναι τοῦ παντὸς, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὸ τέλος διατείνειν. πῶς γὰρ ἄρξασθαί τινος καλῶς οἷόν τε μὴ περιλαβόντα τῷ νῷ τὴν συντέλειαν τῆς ἐπιβολῆς, μηδὲ γινώσκοντα ποῦ καὶ πρὸς τί, καὶ τίνος χάριν ἐπιβάλλεται τοῦτο ποιεῖν; *Audacter enim dixerit quispiam, non dimidium totius esse principium, sed etiam ad finem pertingere. Quo enim modo incipere rem aliquam benè possibile est eum, qui mente initium cum perfectione non comprehendit, neq; cognovit, ubi, & ad qvid, & cujus gratia aggrediatur hoc facere?* & alia quæ sequuntur. Lib. II. Ethic. de virtute differit. At eandem

 doctri-

doctrinam, quam ibi nervosè proponit Aristoteles, Plutarchus in lib. de Virtute morali sequitur & egregiè explicat, ut liber hic, quantum ad hanc doctrinam, commentarii loco esse possit. Idem scripsit libellum de discrimine amici & adulatoris, ex quo non pauca, quæ de amicitia apud Aristotelem lib. IIX. & IX. Eth. adducuntur, eximiè illustrari possunt. Lib. X. probat vitam contemplativam esse præstantiorem activâ, rationibus aliqvot in medium adductis. Cum quibus si quis conferat quæ à Jamblichio in Protreptico & Maximo Tyrio dissert. VI. pro eadem sententia disputantur, mirificè in eâ poterit confirmari. In Politicis lib. III. docet Aristoteles; qvod non omnia comparari possint inter se, sed quæ unius sunt generis. At iis gemina habet Adrastus apud Theonem cap. XIX. de Musicâ. Sic enim ille: τὰ μὲν γὰρ ἀνομογενῆ πῶς ἔχει πρὸς ἄλληλα, εἰδέναι ἀδύνατον, οἷον πῆχυς πρὸς μνᾶν, ἢ χοῖνιξ πρὸς κοτύλην, ἢ τὸ λευκὸν πρὸς τὸ γλυκὺ, „ ἢ θερμὸν ἀσύγκριτα γὰρ καὶ ἀσύμβλητα, Illa qvæ diversis gene„ ribus subjacent, quomodo in ter se habeant, nec esse impossi„ bile, veluti cubitus ad minam, chœnix ad cotilam, album ad dul„ ce vel calidum: comparari enim & simul componi nequeunt. Ulterius in Physicis lib. I. diversæ citantur Philosophorum de principiis naturalibus sententiæ, sed breviter & obscurè, ad quarũ dilucidationem multum conferre poteſt libellus Plutarchi de Philosophorum decretis, nec non Historia Philosophica Galeno adscripta, item Diogenis Laërtii libri de vitis Philosophorum. In II. autem illorum multa proponuntur de causâ per accidens, cùm quibus exactè rursus consentiunt, quæ Plutarchus habet in lib. de Fato. In qvinque posterioribus libris ex professo differit de motu & speciebus, aut gradibus, ejus, cum quibus non inutiliter conjungi posset libellus Procli de motu, quo eruditè ac nervosè tradidit rem ferè universam huc pertinentem, Geometrarum vestigia ac demonstrandi modum sequutus. Sed & apud Plotinum rursus non pauca reperiuntur, quæ ad illustrandam Aristotelis doctrinam de materiâ, cœlo, ejusq; motu, mi-

xtione item, & hujusmodi aliis apprimè conducere possint. De frigore porrò notum est, quod juxta Aristotelem non privatio sit tantum nuda, sed & positivum quid, licet qvadantenus habeat & rationem privationis, si cum calore comparetur. Deterius enim inter duo contraria semper rationem habet privationis, ut ostendit ipsemet X. Metaph. At Plutarchus eandem sententiam iterum fovet, & fusè probat in lib. de primo frigido. Ulterius de etesiis lib. II. Meteor. c. V. ita scribit Philosophus: *Etesiæ spirant post solstitium & caniculæ ortum, neq; tunc, cum maximè propè fuerit Sol, neq; cum longius recesserit, & interdiu quidem spirant: noctu autem quiescunt.* Ast gemina his refert etiam Columella, cujus hæc sunt ex lib. XI. cap. II. *Octavo Idus Julij Capricornus medius occidit. VII. Idus Julij Cepheus vespere exoritur, tempestatem significat. VI. Idus Julij prodromi flare incipiunt.* Prodromos enim vocat etesias, quod caniculæ ortum diebus octo præcurrant. Ex quo & Plinius etesiarum prodromos appellat, cum lib. XIIX. c. XXIIX. tum lib. II. c. XLVII. ubi & narrationi columellâ de ortu illarū subscribit, & quidem his verbis: *Ardentissimo æstatis tempore exoritur Caniculæ sidus, Sole primū partem Leonis ingrediente: qui dies decimus quintus ante Augusti Kal. est, hujus exortum diebus IIX. fermè Aquilones antecedunt, quos prodromos appellant. Post biduum autem exortus iidem aquilones constantius perflant diebus quadraginta, quos etesias vocant.* Et postea: „Etesiæ noctu desinunt ferè, & à tertiâ diei horâ ori-„ untur. In sequentibus cap. VI. de etesiis Aristoteles etiam hæc, habet: *Etesiæ iis qvidem, qui ad occidentem habitant, è Septentrionibus in Thrascios, Argestas & Zephyros commutantur, initio facto ab ursa, fine autem in iis, qui loca longius dissita incolunt: iis verò, quibq ad orientem sedes est, usq; ad istum ventum, qui Apeliotæ vocatur.* Ast hanc ipsam sententiam confirmant verba Ciceronis ex lib. II. ad Cælium epist. XV: *Ego nisi quid me etesiæ morabuntur, celeriter, ut spero, vos videbo.* Nempe, cum è Cilicia Italiam versus, adeoq; ab Orientis partibus ad occasum, navigare se-

re secum constituisset, timebat, ne etesiæ sibi obicem ponerent, non à Septentrione sive dextro latere incurrentes, sed ab occasu, sive à fronte reflantes. Quod adhuc clarius comprobant verba ex Epistola VII, lib. VI. ad Atticum: *Rhodum volo puerorum causâ: inde quamprimum Athenas: etsi etesiæ valdè reflant*, à fronte scilicet impedimentum ponentes. Denique, ut taceamus alia, etiam Epist. XXV, lib. XII. ad familiares, etesias ab Occidente Orientem versus flare, eosqve, qui ex Italia Græciam peterent, prosequi solere, ostendit, ita scribens: *In Græciam, desperatâ libertate, rapiebar: cum me etesiæ, quasi boni cives, relinquentem rempublicam prosequi noluerunt*. Sed & Taciti ista huc pertinent ex lib. XIIX. Annal. sive II. Histor. cap. XCIIX: *Mare quoq; etesiæ flabant, harum flatu in Orientem navigantibus secundum, inde adversum erat.* Colligere quoqve idem est ex ipso Julio Cæsare, cujus hæc sunt lib. III. de bello civili, ubi de seipso: *Quibus rebus animadversis, legiones sibi alias ex Asiâ adduci jussit, quas ex Pompeianis militibus confecerat. Ipse enim necessariò etesiis tenebatur, qui Alexandriâ navigantibus sunt adversissimi venti.* Porrò in Meteorologicis passim meminit Philosophus ignis sub tellure existentis. Veluti lib. II. cap. III, ubi causam inquirens varii saporis fontium ac fluviorum dicit eam esse *ignes bullientes sub terrâ*. Insuperque & his utitur verbis: *Quicunq; amnium fontiumve fluxus salsi sunt, eos magnâ ex parte aliquando incaluisse, deinde ignis principium extinctum esse putandum est.* Item cap. IV, ubi de ventis agens terram ait multum ignis & caloris in se habere. Deniqve & cap. IIX, ubi de terræ motu verba faciens *fervori* eum, id est, igni sub terrâ latenti, & *calori Solis* vendicat, unde plurimas exhalationes provenire docet calidas & siccas. Ast hæc ipsa quoqve est sententia, ut aliorum, ita etiam Vitruvii lib. IIX. Architecturæ cap. III. Sed & ille locus ex Meteorologicis notabilis est, qui occurrit lib. I. cap. XIV. ubi ita Philosophus: *Omnium horum (inundationis, nec non mutationis terræ copiâ aquarum obductæ in continentem & similem) causam existimare oportet*

portet, quia sit per tempora finita, ut in temporibus, quæ secundum annum hyems, sic περιόδου τινὸς μεγάλης, *circuitu quodam magno magna hyems & excessus imbrium.* Ad quem locum ut videtur respexit Censorinus de die natali cap. XIIX. his verbis: *Est præterea annus, quem Aristoteles maximum potius, quàm magnum, appellat: quem Solis, Lunæ, vagarumq; quinque stellarum orbes conficiunt, cum ad idem signum, ubi quondam simul fuerunt, una referuntur. cujus anni hyems summa est* κατακλυσμὸς, *quam nostri diluvionem vocant: æstas autem* ἐκπύρωσις, *quod est mundi incendium. Nam his alternis temporibus mundus tum exignescere, tum exaquescere videtur.* Fecerat mentionem anni hujus Plato in Timæo verbis, quæ ita reddidit Chalcidius: *Est tamen intellectu facile, quod perfectus temporis numerus perfectum annum compleat, tunc demum, cum omnium octo circumactionum cursus peracti, velut ad originem & caput circumactionis alterius revertatur, quam semper idem atq; uniformis virtus dimetietur.* Sed multò plures post Platonem pariter & Aristotelem annum hunc notarunt, veluti Cicero II. de natura deorum. Solinus cap. XXXVI. Plutarchus II. de placit. Phil. c. XXXI. Apulejus de dogm. Platonis, Stobæus in Eclogis Philosophis, denique, ut multos alios silentio prætereamus, etiam Macrobius, qui annum hunc *mundanum* vocat II. in somn. Scipionis c. XI. Porrò *semen* quidem habere, sed *infœcundum*, eò quod spiritu careat, docetur in Lib. I. de Gen. Anim. At idem fuit & Stoicorum dogma, sic enim memorat Laërtius in vita Zenonis, dum inter placita hujus Philosophi & hoc refert: τὸ θηλείας σπέρμα ἄγονον εἶναι, *semen mulieris infœcundum esse,* quippe ἄτονον, καὶ ὀλίγον, καὶ ὑδατῶδες *& spiritu carens, & modicum, & aquosum.* De animâ jam supra dictum est, quod ἡγεμονικὸν ejus juxta Aristotelem sit in corde. At hæc ipsa quoque Stoicorum fuit sententia, teste Plutarcho IV. de Placit. cap. XXI. & Laërtio in vita Zenonis. De animalibus insuper multa in Æliano, Plinio & aliis occurrunt, quæ ad illustrationem Aristotelis faciunt. De plantis

 autem

autem in Theophrasto, Dioscoride, quin & Plinio rursum aliisque. Ad extremum in Rhetoricis quoq; quoad doctrinam de elocutione non absq; insigni fructu quis contulerit cum Aristotele Dionysii Halicarnass. libellum περὶ δεινότητος; qvantum ad doctrinam Exordiorum autem Hermogenem & alios. Magis autem certus adhuc de sententia Aristotelis reddi quis poterit, si qvis eos legat, qui Aristotelica non solum amplectuntur, sed & Aristotelicè h.e. genuinis & propriis principiis deducunt atqve corfirmant. Ante omnes autem Aristoteli jungendus est Theophrastus, quem ipse morti proximus successorem elegit, eoq; ipso reliquis suis Discipulis prætulit, ut autor est Gellius lib. XIII. c. V. & qui hunc audiverunt, inter quos non postremus est Demetrius Phalereus, cujus insignem de Elocutione libellum habemus superstitem, in quo non pauca continentur quæ ad uberiorem doctrinæ Aristoteleæ, quàm in Rhetoricis tradit, faciunt illustrationem. Taceo alios, Aristoclem, cujus fragmenta aliqua apud Eusebium habentur, Clementem Alexandrinum, Synesium, &c. Nam & in his si attente quis eos legat, non pauca inveniet, quæ ad illuminanda aliqua Aristotelis loca apprimè sint accommodata. Deniq; ex recentioribus qvoq; sunt nonnulli, qui egregiam in Philosophiâ Aristoteleâ præstiterunt operam & summa cum utilitate legi possunt. Tales sunt Andreas Cæsalpinus, quem merito primo ponimus loco, M. Anton. Muretus, Antonius Bernardus Mirandulanus, Antonius Monteratinus, Felix Accorambonus, Thomas Pellegrinus, Cæsar Cremoninus, Vincentius Madius, Flaminius Nobilius, Jacobus Mazonius, Franciscus Bonamicus, Octavianus Ferrarius, Federicus Pondasius, Bartholomæus Vittus, Itali; Johannes Baptista Monlorius, & Petrus Johannes Nunnesius, Hispani; Obertus Giphanius, Philippus Scherbius, Michael Piccartus, Johannes Neldelius, deniq; & Daniel Statius lumen quondam ac decus Academiæ Jenensis, & qui adhuc DEI gratiâ in Academiâ Juliâ floret Hermannus Conringius, omnes Germani, ut aliorum

liorum nunc non faciamus mentionem: Sed nec nostram Albertinam istiusmodi Viris fuisse destitutam, doctissima Christiani Drejeri ante hac Philosophiæ, hinc autem Theologiæ Doctoris ac Professoris Primarii in hac Academiâ devenerandi, itemqve M. Hartvvici Wichelmanni, designati olim Professoris Græcæ L. scripta Philosophica, benevolum lectorem abundè docebunt. Ego sanè quod in tales Ductores inciderim, mihi vehementer gratulor, atqve ut hunc tam repentè bono publico ereptum doleo, ita ut istum, diu adhuc illi & præesse & prodesse jubeat divina clementia ex animo precor. Atqve ita & huic libro finem impono.

ADDENDA.

ad num. XIC.

Pag. 220. post verba illa: ἐν τοῖς ἄνω μᾶλλόν ἐστιν.

ALiquando numero *multitudinis* utitur pro *singulari*. E.gr. lib.I.Post.cap.I.§.5.ubi postquam sequentia scripsisset: *Fieri potest, ut aliquis cognoscat id, quod partim prius cognovit, partim eo ipso tempore cognoscere incipit*, subdit: οἷον ὅσα τυγχάνει ὄντα ὑπὸ τὸ καθόλου, ὧν ἔχει τὴν γνῶσιν. Ubi manifestum est, quod ὧν positum sit pro οὗ. Unde & hoc pro illo Themistius posuit in Paraphrasi suâ. Similis locus extat etiam I. Ethic. II. (I.) Ita enim illic Philosophus: Ἡ μὲν οὖν μέθοδος τούτων ἐφίεται πολιτική τις οὖσα. Ubi τούτων idem valet, quod τούτου, videlicet τἀγαθοῦ. Interdum *abstractum* usurpat pro *concreto*. Exempli causa lib.IX.Met.cap.II.ubi probaturus, quod scientiæ effectivæ sint contrariorum, rationem hanc affert: *Scientia enim est ratio*. At scientia non est ipsa ratio, sed δύναμις quædam λογική, *facultas rationalis*, sive cum ratione conjuncta, quæ manifestat non solùm rem, sed & privationem ejus, in quam alterum contrariorum, nempe id, quod deterius est, resolvitur. Unde & Philoponus vocem, λόγος, ait positam hîc esse pro, λογικόν.

 Pag.

Pag. 222. post verba ultima ejusdem numeri, *decimo septimo rursus redire*, addatur. Deniqve & in verbis istis I. Polit. cap. II: *Et hoc est, quod dicit Homerus, Jura dat quisqve natis & uxoribus; sparsim namq; etiam sic antiquitus habitabant*, sub intelligendum, Cycoples.

Ad num. CCI. pag. 444. post verba illa, *aut nec dum intelligant satis.* Veluti sunt, qui ipsum reprehendunt, quod mundum statuerit ἀΐδιον, ast si rationem scientiæ haberent, in quâ Aristoteles id scripsit, à reprehensione ejus fortassis ultrò abstinerent. Scilicet asserit id in Physicis, ubi ἀΐδιον id dicitur, quod non cœpit per motum, aut, quæ species sive gradus motus est, per generationem. Ex quo & ἀΐδιον τῷ φθαρτῷ sive corruptibili opponit II. de Animâ cap. II: quod cum generabili coincidit. Omne enim generabile est & corruptibile I. de cœlo cap. ultimo. Quando ergò Aristoteles in Physicis mundum dicit esse ἀΐδιον, nihil aliud hoc ipso indicat, quam eum non cœpisse per generationem, quæ fit ex materia, neqve desiturum esse per corruptionem, quæ fit in materia, & quidem ex dispositione naturâ insita. Ex quo & quatuor hæc ἀΐδιον, ἀγένητον, ἄφθαρτον καὶ ἀθάνατον, de cœlo loquens, conjungit I. de cœlo III. & II. de cœlo cap. I. Ast id veritati non est adversum. Nam & secundum fidem mundus non cœpit per motum ex materia, sed à Deo conditus est sine motu ex nihilo Heb. XI, 2. Rom. V, 17.

Post num. CCXXXIX. Sed addamus adhuc unum exemplum ex Physicis & quidem de ventriculis cordis. Notum enim est, quæ Aristoteli à nonnullis tribuatur sententia, nempe quod inter animalia magna & parva distinxerit, atque hæc quidem duos, ista autem tres ventriculos sive cavitates aut sinus, (quos & Hippocrates ac Galenus nunc γαστέρας, nunc κοιλίας appellant) in corde habere putavit, & quidem juxta se positos. Cujus contrarium, cum etiam in ipso homine, quem illi magnis animalibus annumerant, deprehendatur, magni Philosophũ erroris hàc in parte admissi incusant. Præsertim cùm etiam alii & quidẽ

rerum

rerum naturalium peritissimi solùm duo Sinus in corde etiam
magnarum animalium agnoscant, inter quos est & ipse Hippo-
crates libro de corde text. IV: ita scribens: Δύο γαστέρας ἔχει διακε-
κριμένας ἐν ἑνὶ περιβόλῳ· οὐδὲν δὲ ἐοίκασιν ἀλλήλησιν, *Intra unam sepeem*
duos habet distinctos sinus: sed nihil inter se similes. Duorum quo-
que solùm sinuum sive ventriculorum meminit Julius Pollux lib.
II. Onomast. cap. IV. n. LXIV, *Supra diaphragma*, inquit, *est cor,*
sinus, κόλπους, *habens cum sanguinis, tum spiritus, quorum hunc*
quidem δι' ἀρτηριῶν, *per arterias emittit, illum verò* διὰ φλεβῶν,
per venas remittit. Et mox: οἱ δὲ κόλποι καλοῦνται κοιλίαι· ἡ μὲν
ἐπ' ἀριστερᾷ, παχυτέρα, ὡς πνεύματος οὖσα ἄφεσις· ἡ δὲ ἐν δεξιᾷ,
λεπτοτέρα μὲν, ἐπὶ μείζονος δὲ τῆς εὐρυχωρίας. ἀφ' ἧς οἱ τοῦ αἵμα-
τος ὀχετοὶ φέρονται, *Sinus autem vocantur ventriculi. Unus à sini-*
stris, est crassior, utpote spiritus custodia: alter à dextris, tenui-
or quidem, sed capacior, à quo sanguinis canales ducuntur. Ita &
Ruffus lib. II. cap. VIII. & alii. His ergò Aristotelem jam erro-
ris convictum habent persuasum, cum tamen ipsimet errore du-
cantur, in qvem & illos hoc ipsum induxit, quod ad unum solum
locum respexerint, reliquis posthabitis. Nempe respexerunt ad
locum illum, qui extat lib. III. de partibus Animal. c. IV. atqve ita
habet; Κοιλίας δ' ἔχουσιν αἱ μὲν τῶν μεγάλων ζώων τρεῖς· αἱ δὲ τῶν ἐλασσόνων,
δύο· μίαν δὲ πᾶσαι, *Habet ventriculos, tres quidem magnorum ani-*
maliũ; duos minorum; unum verò cunctorum. Ast non unus solum
fuisset locus expendendus, sed consideranda & reliqua, atqve in-
ter se conferenda. Quod si à nobis fiat, inveniemus Aristote-
lem in aliquibus quidem locis cordi tres, in nonnullis autem du-
os solum ventriculos assignare. Et trium quidem mentionem
facit lib. I. Historiæ Anim. cap. XVII. scribens: Ἡ δὲ καρδία, ἔχει
μὲν τρεῖς κοιλίας, *Cor verô triplicem sinum continet.* Et paucis in-
terjectis: *Habet sinum triplicem: maximum dextro in latere, mi-*
nimum in sinistro, medium magnitudine inter sinistrum & dex-
trum. Idem repetit lib. III. Histor. Anim. cap. III. & quidem his


verbis: *Habent contra omnia intra ſeſe ſinus. Sed in minutioribus animalibus maximus ſinus vix percipitur: in mediocribus etiam alter: in maximis univerſi tres.* Et mox ſubdit: *At maximus ſinus ſupremâ in parte cordis dextera minimus in ſiniſtra, mediocris inter utrumq;: at ambo ii longè minores maximo ſunt, ac pervio aditu pulmoni committuntur*, ſive ad pulmonem permeant *omnes, ſed latent*, videlicet in puſillis animalibus, ſive non deprehenduntur *ob meatuum parvitatem, uno excepto.* Lib. III. de partibus animal. cap. IV. inſuper deſcribit & conditionem ſangvinis in ventriculis his contenti: *Quia melius*, inquit, *eſt tres eſſe ventriculos, ut ſit unum principium commune. Eorum dexter verò plurimum ſangvinem ac calidiſſimum habet: unde & partium dextrâ calidiores. Siniſter autem pauciſſimum & frigidiorem. Medius deniq; mediocrem, copia caloreq;: ſed puriorem. Biſidum autem eſſe cor ventriculis docet lib. III. de partibus Animal. cap. VII. ubi viſcera omnia ait eſſe* διφυᾶ *bipartita*, ejusque rei cauſam eſſe corporis diſpoſitionem, quæ *bipartita* ſit, in *unum* tamen *initium* coëat conſummeturqve, aut enim *ſuperiore* & *inferiore*, aut *priore* & *poſteriore*, aut *dextra* & *ſiniſtra* parte diſtingvi. Hinc ſubdit de cerebro: *Quamobrem cerebrum quoq; omnium bipartitum eſſe ſibi vult, atq; etiam ſenſorium unumquodq;.* Et tum de corde: κατὰ τὸν αὐτὸν δὲ λόγον ἡ καρδία ταῖς κοιλίαις, *eademq; ratione & cor biſidum eſt ventriculis*, ſive in duos ventriculos tributum. Ex quibus omnibus apparet, Ariſtotelis ſententiam de ventriculis cordis hanc eſſe. Initio, quod omnium animalium, etiam puſillorum, cor tres habeat ventriculos, etiamſi in omnibus ob meatuum exiguitatem non æquè ſint perſpicui. Libro tertio enim Hiſt. ait apertè: ἔχουσι αἱ πᾶσαι μὲν καρδίαι κοιλίας ἐν αὐταῖς, *Habent autem omnia corda cavitatem in ſe*, & mox *triplicem* eam ponit, ſed *in minutiſſimis unam ſolùm perſpicuam* eſſe dicit, *in mediocribus duas, in maximis omnes tres.* Secundò, quod in III. de Partib. dicitur magnorum animalium cordibus tres eſſe ventriculos, minorum duos, reliquorum unum, id non eſſe accipiendum, niſi de

eo, quod oculis nostris apparet, non autem de re ipsa. In altero enim, modò ex III. Hist. laudato loco etiam in minutissimis animalibus non dicit unam solum esse κοιλίαν, *cavitatem*, sed unam solum esse φανερὰν *manifestam*, sive statim ad sensum patere. Tertio neqve discrimen istud, quod in ventriculis cordium observat esse absolutè de omnibus animalibus intelligendum, sed de animalibus solùm facultate pollētibus respirandi. Dicit enim eodem loco omnes tres cordis ventriculos tendere ad pulmonem: at pulmonem non habent nisi animalia respirantia. Neque aliter Galenus intellexit lib. VI. de usu partium c. IX. Sic enim ille: *Numerus ventriculorum cordis in omnibus animalibus nequaquam idem est: sed quæ aërem inspirant per fauces, per nares, & os, protinus quidē his quoq; est pulmo, & cordis dexter ventriculus: reliqvis v. omnibus neq; pulmo est, neq; ad dextram cordis partē ulla latitudo. Duo enim hæc necessariò una cum pulmone intereunt, animalis vox, & cordis dexter ventriculus. Ex quo intelligi potest, quantam ipsorum utrumq; adferat utilitatem. Nam dexter ventriculus gratiâ pulmonis est factus: pulmo verò ipse respirationis simul & vocis est instrumentum. Non igitur rectè Aristoteles numerum ventriculorum distinxit ad magnitudinem corporis & parvitatem referens multitudinem ipsorum. Neqve enim maximis quibusq; animalibus sunt tres, neq; minimis est unicus: eandem enim planè equus habet cordis fabricationem, qui maximus est, & minimus passerculus. Etsi murem dissecueris, aut bovem, aut aliorum animalium quodvis, sive præterea id minus mure, sive majus bove fuerit, omnibus ipsis tum ventriculorum numerum comperies æquabilem, tum reliquam cordis fabricam eandem. Neq; enim natura pro corporis magnitudine aut parvitate diversas facit, atq; immutat instrumentorum formas, sed in ipsa constructione propositam habet sibi, ceu scopum, actionis varietatem.* Hæc ille. Quibus rectè se habet, quod in supra laudatis locis Aristoteles de ventriculis cordis differit ad animalia respirantia restringit: falsò interim eidem tribuit, quod numerum ventriculorum distinxerit ad magnitu-

gnitudinem corporis & parvitatem. Contrarium enim Il. cc. docet apertè, nempe in omnibus animalibus facultate respirandi gaudentibus æqualem esse numerum sinuum sive ventriculorum cordis, verum in omnibus non æquè conspici ob parvitatem. In eo qvoqve impingit Galenus, quod in maximis animalibus ex Aristotelis sensu habet eqvum, bovem, cum tamen illa in maximis ab eo non censeantur, sed mediocribus solùm annumerentur, in quorum classe & hominem reponit lib. IV. de Generat. Animal. cap. ult. qvum ita scribit; τὰ μείζω καὶ τελειότερα τῶν ἐναίμων ζώων οὐ ζῶσι πολὺν χρόνον· οὐ μέντοι τὰ μείζω πάντα μακροβιώτερα· πάντων γὰρ ὁ ἄνθρωπος πλείω ζῇ χρόνον [πλὴν ἐλέφαντος] ὅσων ἀξιόπιστον ἔχομεν τὴν πεῖραν· ἔλαττον δ' ἐστὶ τὸ γένος τὸ τῶν ἀνθρώπων, ἢ τὸ τῶν λοφούρων, καὶ πολλῶν ἄλλων, *Majora & perfectiora sangvinei generis animalia plus temporis vivunt. Sed non omnia majora sunt vivaciora. Homo enim plus temporis, quàm quodvis animal vivit, excepto elephante, quantum quidem fide digna experientia hactenus cognovimus, & tamen minus est genus animalium, quàm jumentorum, aliorumq; multorum.* Verum uti alibi, ita etiam hic qvò minus Aristotelis mentem assequeretur Galenus, fecit libido Philosopho huic contradicendi, quæ & ipsi extorsit, qvod hic scribit, dextrum cordis ventriculum factum esse gratia pulmonis, pulmonem verò gratia respirationis & vocis. Cur enim de solo dextero ventriculo id scribit non item de sinistro, qui non minus ad pulmones tendit, ac dexter? Et cur non potiùs pulmonem dicit factum esse ventriculorum cordis gratiâ, cum ipsemet alibi non semel ex membris id, quod minus nobile est, factum esse dicat nobilioris ergò, neque diffitentur, cor & nobilius esse membrum, & magis necessarium, quod & res ipsa clamat, quia multa animalia pulmone carent, nullum autem est, qvod non aut cor habeat, aut analogum, sive quidpiam cordi respondens. Deniq; nuspiam scribit Aristoteles ventriculos istos tres, quos in omnibus respirantibus ponit animalibus, juxta se esse positos, ut positi sunt illi duo, quos novimus: imò hactenus

dicit:

dicit, *τὴν καρδίαν ταῖς κοιλίαις εἶναι διφυῆ, cor ventriculis suis es-se biduum*, & quidem, quemadmodum cerebrum, oculi, aures, aliaque sensoria. Qvod fortassis vel ipsum Galenum movit, ut alibi, videlicet lib. de anatomiâ sive dissectione venarum & arteriarum cap. XI. evidentiâ rei victus Philosophum hoc nomine excuset, quod pro tertio ventriculo habuerit partem dextri, quâ v ena arteriosa est. Verba ejus hæc sunt: *Ac sanè ob id cordis ipsius corpus circumfusas in ambitum duas habet arterias, alteram quidem majorem, quæ maximam ipsius partem amplectitur, alteram eâ maximè regione distributam, ubi tertium ventriculum esse Aristoteles* existimavit. *Αὕτη δὲ ἐστὶν ἡ κατὰ τὸ πλατὺ τῆς καρδίας μόριον οὖσα τῆς δεξιᾶς, οὐκ ἄλλη τις τρίτη, Atqui hic in latiore cordis parte jacet, particula existens dexterioris ventriculi, non etiam alius quispiam tertius ventriculus.* Sed hac de re alibi fortè, favente supremo Numine, plura.



INDEX

Locorum quorundam emendatorum, conciliatorum, explicatorumve.

INDEX.

Rerum & Verborum in hoc libro contentorum, ubi P. Præfationem, A. Addenda notat, α. autem columnam primam & β. ſecundam.

C.

Cor

 De-

Fidem

O.

Pri-

S.

Sensi-

FINIS.




ERRATA nonnulla ita tollenda.

In Præfat.A 3.b,linea 19.leg.crebro.lin.penult.perreptant 4.b. l.3.immensæ B.3.b.l.16.Sorori.l.17.adoptivæ,D.1. a.l.12. narrasse *deleatur.b.l.10.Atarnensi. 11. quem 2.b. l.1.suspicatur.3.b.l.25. Socratis E.2.b.l.7.Lyconem.l.12.confinxissent 3.a.l.2.Lagi l.6. est b. l.8. Alexandrinum 4.a.l.18.Chalcidem F.1.b.penult.queunt.3.a.l.21.quod.G. 3.b.l.18.πολιμαθὲς. H.1.b.l.17.secretiora l. 21.stellis quod. 2.b.l.10.octingenta.pag.ult.lin.1.pro Chrosoes,legendum,*Chosrois. *In Libro ipso pag.36.lin.18.pro* cieat *l.*cieant.*p.48.l.28 l. τεχνικῶ.p.53.l.5.l.* pertingebat.*p.56.l.20.delend.*illam.*p.58. l.10.l.* Aphrodisæus *p.71. l.26.pro* credibile,*l.*incredibile. *post p.72.numerus interruptus est & p.63.l.63.b.p.63.b.l.16.pro,*philo,*l.*phile.*p.66.l.29.l.*quod habet.*p. 70.b.l.2.l.*ut *quisq́;, l.29.quàm* si *ab homine.p.75.l.2.l.*suum.*p.78 l.6. l.*subjicere *placet.l.79.l.3.l.*est,*crura.p.82.l.23.pro XVII,leg.XXVII. p.89.l.12.l.*quod jucundum est, naturâ prop.*p.97. l.2.l.* reciprocicoraton.*p.200.l.30.l.quod* batuere *dicebāt* (quæ vox occurrit apud Plautum Casinâ Act.II. Svetonium in Cæsare Caligulâ c.XXXII. &LIV. Kævium Philemporo,& alios)*p.201.l.19.l.*Stobæum Serm. de literis.*p.102.l.25.l.*flagitavit.*p.110.l.14.l.*caput.*p.123.l.19.l. in I.de Gen.& corr.*III.*l.21.ibidem* cap.V.*p.127.l.1.del.*at.*p.134.l.3.pro* quoad,*l.*quod.*p.136.l.24.& 25.l.ex bysso, id est,* villo, sive lanâ illâ pinnali,ut reddidit Gaza,*proveniunt, At byssus pro* lanâ.*p.140.l.6.lib.1. leg.*libro.*p.144.l.31.l.*V.Hist.anim.XIX.*p.146.l.17. l.*Nascitur.*pag. 148.l.ult.leg.*ordiamur.*p.154.l.31.l.ex* 1.M.M.*l.32. l.σκοπεῖν*, ubi [illegible] *&c. p.156. l.21.l.* videlicet, *lin.30. Simile* quid.*p.159.l.11. l.*dicentes.*p.167.l.12.l.*speciem.*p.175.l.11.l.suscipiat,*non *est motus.p.176 l.6.sed & in posteriori,veluti.p.177.l.2.l.* similibusq́;*p.181.l.14.cõcentu p.182.l.3.alioqui.p.186.l.27.l.*in *Poëticâ.p.188.l.21.illos l. 23. sed & loca p.190.l.26.l.*hecatombe.*p.194.l.penult.in eo versari.p.196.l.23.l. eadem est ratio,* adeoque.*l.28.l.ποσόν τι.p.200.l.antep.bujus.p.203. l. 10.corruptibilium.l.14.* Exercitationibus.*p.205.l.10.ratione sive essentiâ totâ,l.21.22.plurimarum.l.29.essent p.215.l.1.forma.pag.216.l. 20.sententiam.p.217.l.1.hac.l.2,3.coagmentatum.p.217.l.29.* perficiant.*p.220.l.16.l.*aorta.*l.20.malacostracorum.p.22.l.28.in* hac.*p.222. l.1. se-*

ERRATA.

*l.1.separari.l.12.l.*decidendum.*p. 229.l.18. aliter l.28.primo.p. 231l. 20.l.*philosophi.*p.233.l.3.l.*aut si *eam doceat.p. 238.l.9.deletâ.p.249. l.ult.l.*ὑπόστημα.*p.252.l.5.l.*ἔπος.*p.257.l.5.Pireæo.p.261.5.*λύκου.*p.268. l.6.& 7.Si excrementum telæ* essent, emitterent eas & araneoli pusilli. Deinde illa, οὐδ' ἔσωθεν, Gaza transtulit.*p.283. l. 21.* ἐν πέδῳ.*p. 291.l.5.*προϋπαρχούσης.*p.299.l.13.*animâ.*l.14.*nominetenus.*p.360.l.12 pro actione,l.*ratione.*p.427.l.9.l.* At ἀκριβῶς.*p.444.l.18.* ἀκριβεστέρας.*p.446.l.18.*Differentiæ.*p.447.l.28.*est *probata.p. 469.l.28.* virtutem *l.473.l.26.l.*diductum.*p.509.l.penult.l.*halitus. *p.530.l. 14.l.* quo contrariorum.*p.543.l.22.l.& lationem:* & tamen in physicis generationem & corruptionem negat esse species motus.*p.549. l.5.l.c.ult.*dividit animæ facultates in rationalem & irrationalem *divisionem &c.p.555.l.22 l.quatenus* res,*præd.Et porrò: hæc* propositio, omne *amb.p.560.l.14.*ἀληθείας *l.29.assequeremur.l.16.l. aliud veritus*, aliud similitudo; *ap. 566. l.11.indicio.l. 21.ut.p.566.l.23.si &* ipse ab aliquâ.*p.575.l.8.l.*expendatur.*p.580.l.8. Ad* summam.*p. 587.l.19.l,*determinari,*l.231.*dicatur.*p.593.lin.penult.legend.*aërem *p.674.l.28.l.*Pendasius. *In Addendis. fol.4.b.l.27. l.neq.* diffiteatur.



Aristoteles

27

Zeidlerus Melchior Dr. Th. et Ph.

Prodromus
Introductioni in
Lectionem Aristotelis, causas
obscuritatis Philosophi hujus, quoad
verba pariter et res, ac modum ambo
tractandi, aperienti et remedia ejus
circa singula ista suppeditanti, quae
brevi, favente Deo, sequetur, praemissus

Regiomonti

Ex Officina Matthaei Gilberti
1680

8°- 5 K. u. + Str. 144 - A - A3 - S - S3 + 7 K. u. + 4 K. u. +
Str. 72 - a - a3 - i - i3 + Str. 675 A - Q3 - Ssss - Ssss3 +
+ K. u. 27

[illegible]

Zeidlerus Melchior Dr. Th. et Ph.

Prodromus
Introductioni in Lectionem
Aristotelis, causas obscuritatis
Philosophi hujus, quoad verba pariter
et res, ac modum ambo tractandi,
aperienti et remedia ejus circa singula
ista suppeditanti, quae brevi, favente
Deo, sequetur, praemissus.

Regiomonti
Ex Officina Matthaei Gilberti
1680

8° - 5 K. n. + 8 bl. 144 - A-A_3 - L-L_3 + 7 K. n. + 4 K. n.
+ 8 bl. 72 - a-a_3 - i-i_3 + 8 bl. 675 - A-A_3 - Ssss-
$Ssss_2$ + K. n. 27 = Index
bpr. pry.